UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Antonii Svcqvet E Societate Iesv Via Vitæ Æternæ

Sucquet, Antoine

Antverpiae, 1630

Liber III.

urn:nbn:de:hbz:466:1-54856

Visual Library

LIBER TERTIVS

VIA PERFECTORVM.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

VIGESIMÆNONÆ IMAGINIS ANNOTATIO.

Baruch 3. Disce, ubi sit prudentia, ubi sit virtus, ubi sit intellectus; ut scias simul, ubi sit longiturnitas vitæ & victus, ubi sit lumen oculorum, & pax. Quis invenit locum ejus? & quis intravit in thesauros ejus?

MVlti dicunt: Quis ostendit nobis bona? ecce indicabo tibi, quid sit bonum, & quid Dominus requirat à te: utique facere judicium (si enim nosmetipsos frequente examine ut A *hic, judicaverimus, non judicabimur à Domino) & diligere misericordiam, aliorum defectus tolerando, &* B *sollicitum ambulare cum Deo tuo. Hoc pacto enim, &* C *crebrâ passionis Christi meditatione, ac* D *contemplatione, &* E *Pœnitentiæ ac sanctissimi Sacramenti frequentatione, & maximè* E *amore Dei & proximi, pervenies ad veram animi tranquillitatem, & locum, ubi est lumen oculorum, & pax quæ exsuperat omnem sensum; præsertim si, saltem in solitudine cordis, pijs istis exercitationibus animam tuam excoluerit.*

PRÆ-

SIMILIS FACTVS SVM PEL-
LICANO SOLITVDINIS. *Psal. 101.*

XXV

29

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

PRÆFATIO.

VOBVS libris prioribus actum de viâ Incipientium, ac Proficientium, & auxilijs in eâ. Hoc libro de Perfectorum viâ, & eorum exercitijs agendum est. quæ, uti dictum, non ita eorum sunt, quin & aliorum. Ferè enim, parte saltem aliquâ, quævis exercitia omnibus sunt communia, uti virtutes omnes: sed perfecti perfectiùs ea possident, & exercent. Perfectos appello, non ex omni parte: quis enim ille est? Imò verò, inquit Bernardus, nemo perfectus est, qui perfectior esse non appetit; sed eos, qui in virtute, maximè humilitatis & charitatis, magnos progressus fecerunt. *Bern. ep. 34. ad Drog.*

Cùm autem Perfectio cõsistat in Dei amore, de illo, atque de iis, quæ maximè ad eum animam Christianam disponunt, hîc agitur. Sunt verò illa, animi puritas, quæ frequenti renovatione, & sui discussione ac confessione, cum divinâ gratiâ paratur. Dixi, cùm divinâ gratiâ: quis enim potest facere mundum de immundo conceptum semine? nónne ille solus, qui scrutatur corda & renes? Verùm id non sufficit: sed speculo animæ purgato oportet illud irradiari à sole justitiæ. Quomodo autem id commodiùs futurum est, quàm frequenti communione, & Christi crucifixi amantissimi Domini nostri attentâ considerationem?

ratione?& purâ intentione in omnibus actionibus nostris, quâ actiones nostras in Deum dirigamus, gratissimumque divinæ bonitati offeramus sacrificium; eumque in omnibus creaturis, & omnes in eo amemus? Dehinc ad præsentiam divinam crebrò habendam ascendit anima: atque in illo meridie, & sui creatoris aspectu vulnerata, amore illo æterno accenditur, amore quo non tantùm illum stringit amantissimis amplexibus, sed omnia ad eum trahit, omnia in eo videt, & illum unum in omnibus intuetur, nihil novit nisi IESVM, & hunc crucifixum; illum in pueris puerum, speciosum præ filijs hominum; in juvenibus juvenem crescentem gratiâ apud Deum & homines; in viro virum perfectum, & sponsum suum. Hunc ubi invenerit diu quæsitum, diu desideratum, & mille suspiriis vocatum, complectitur ubicumque sit, quidquid agat, sive comedat, sive bibat, sive quid aliud agat, omnia propter eum agit, qui se dilexit: in eoque vivit, moritur, & quiescit; quiescit, inquam, contemplationis quiete; sedetque in pulcritudine pacis, & requie opulentâ, & notas salutis consequitur, testimonium perhibente Spiritu Sancto, quòd filius sit Patris cælestis, Patris misericordiarum, & Deus totius consolationis.

Præsentia Dei est meridies.

Intentio pura.

CAPVT

CAPVT I.

De perfectione, in quo ea consistat.

QVONIAM de perfectione hîc agendum erit; forsitan optes scire, ac meritò, in qua virtute maximè perfectio sita sit. Itaque paucis hæc accipe. Primò, non consistere in gratiis gratis datis, ut miraculorum gratia, sublimis contemplationis, & orationis: non in magna, etiamsi sit infusa, scientia, ut in Salomone fuit: neque in status perfectione, etsi foret is Angelicus: neque in severioris disciplinæ observantia, neque in castitatis præstantia. ad quam illa ordinatur. sed sunt quidem ea magna ad sanctitatem præsidia, quæ in charitate consistit, non tamen illa perfectio sunt, sicut nec miracula patrare, etsi hæc magna sanctitatis indicia, de quibus Dominus dixit: verumtamen in hoc nolite gaudere, quia spiritus subjiciantur vobis, & ut dixi teste Gregorio, sanctitatem ostendant, non faciant. Consistit verò perfectio in charitate Dei, & proximi; plenitudo enim legis est dilectio; atque adeò, etsi linguis, ait Apostolus, hominum loquar & Angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans, & cymbalum tinniens. Etsi habuero prophetiam, & noverim mysteria omnia, & omnem scientiam: & si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam; charitatem autem non habuero, nihil sum. Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.

Perfectio nõ est in gratiis gratis datis.

Hom. 9. in Euangelia.

Rom. 13.
1. Cor. 13.

Perfectio in quo sit, nempe charitate.

Duplex verò est charitas; alia concupiscentiæ, quâ amamus Deum propter nos, & bonum nostrum: alia amicitiæ: quâ amamus illum non propter nos, sed propter seipsum, & bonitatem suam; & in hac perfectio est. Non sine præmio quidem diligitur Deus, etsi absq;

Charitas duplex.

Bern. de dilig. Deo.

præmij intuitu diligendus sit. vacua namque vera charitas esse non potest, nec tamen mercenaria est. Id verò intellige non de charitate afficiente solùm, sed de efficiente. neque enim gaudere solùm de bonis Dei, præsentia, & alloquio ejus, veram charitatem arguit: sed impulsus ad servandum mandata & consilia ejus. Nam, ut Gregorius, probatio dilectionis, exhibitio est operis. Et D Ioannes, Filioli, ait, non diligamus verbo, neque linguâ, sed opere & veritate. Quod egregiè Richardus explicat, dicens: Affectuosa dilectio, quâ superiùs dilectionem animæ significari diximus, interdum plus afficit minùs diligentem, minùs perfectiorem. Non enim tantum diligit quisque, quantum sentit, & quantum in illo statu diligere sibi videtur; sed quantum in virtute & charitate fundatus fuit, & in servādis mandatis fidelis habetur. Dulcis in Deum affectus quodammodo carnalis est, & fallax, & humanitatis interdum potiùs, quàm gratiæ; cordis, quàm spiritus; sensualitatis, quàm rationis. Quid verò aliud Veritas ipsa declarat, dicens: Qui habet mandata mea, & servat, hic est qui diligit me? Diligere autem eum debemus ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente, & ex omnibus viribus nostris. Ex toto corde, ait Chrysostomus, id est, cor tuum non sit inclinatum ad ullius rei dilectionem ampliùs, quàm ad Dei: nec delecteris in aliqua specie mundi ampliùs, quàm in Deo, non in honoribus, non in auro, &c. sed hæc omnia existimes tibi esse in Deo, ut præ omnibus Deum ames. Totum, ut vides, cor sibi præberi vult, totamque animam: igitur si aliquid ames non propter eum, minùs eum amas, & imperfectè. Sed oportet pro perfectione omnem creaturæ affectum in auctorem ipsum transferre. Fiet verò id primò, si eũ exuas. quo pacto? inquies. dic mihi: quid odisti? nónne noxium, pestiferum, majoris boni impedimentum? Hoc tibi verè est amor creaturæ, quo de Creatoris amore aliquid detrahis, cùm eum etiāsi toto

Probatio charitatis.

Gregor. 1. Ioan. 3.

Richard. in Cant. c. 6.

Non tãtum quis diligit quantum sentit.

Diligere Deum ex toto corde quid sit.

Chrysost. in Imperf. sup. Mat. hom.

Creaturæ affectus quomodo sit exuendus.

cord-

corde, animâ, ac viribus ames, dignè tamen nequeas amare, qui omne bonum tuum est, & summa bonorũ. Si verò insuper infinities perfectiùs, hoc ipsum quodcumque est creatum bonum, in Deo esse scias, eoque te posse frui, quæ poterit creatura te decipere, & dividere cor tuum? Hoc est quod eleganter Thom. à Kempis: Cui omnia unum sunt, & omnia ad unũ trahit, & omnia in uno videt, potest stabilis corde, & in Deo pacificus permanere. In cælesti beatitudine erit Deus unus omnia in omnibus; in ea autem quæ in hac lacrymarum valle obtinetur, idem aliquâ ratione perfecti consequuntur. omnia enim ad Deum trahunt, & omnibus trahuntur ad eum: omnia in eo vident, quia tamquam æternæ lucis radiolos minimos quidquid creatum est, intuentur, illisque velut scalis ad eum tendunt: omnia in eo habent, ut verè cum B. Francisco dicant, Deus meus, Deus cordis mei, & omnia; ideòq; & opes, & honores, famam, favorem, parentes, liberos, amicos, & quidquid haberi potest, potiùs quàm ei displiceãt, perdunt libenter, imò & ultrò projiciunt & despiciunt; imprimis seipsos, animamque suam oderunt & perdũt, ut inveniant eam: ea libenter, sicut puer crepundia & conchilia daret, ut regnum consequeretur. Et verò omnes Christiani parati esse debent opes, famã, vitam & omnia potiùs amittere, quàm Dei gratiam, quod est diligere Deum super omnia: adeò ut potiùs quàm Deum offendant, libenter, uxore, liberis, opibus, honoribus, ac vita ipsa, ut omnes Martyres, spolientur. Vnde colligé affectum omnem ab omnibus erga creata tẽperandum esse, à perfectis etiã abnegandum. Perfectus enim servus Christi, ut Hier. ait, nihil præter Christum habet, aut si quid præter Christum habet, perfectus nõ est. Ad quod libri de vanitate mundi inducunt. Vanitate enim rerum humanarum perspecta, earum æstimatio minuitur & amor, quo infelix homo in certã perniciem trahitur sui amore illusus. Etenim amor sui, seu cupiditas, juxta

De imit. Christi l. 1. cap. 3.

1. Cor. 15.

Perfecti mores.

Qualiter Christianus se habere debeat.

Epist. 1. ad Heliodor.

Libri de mundi vanitate ad quid utiles.

Aug. ser. 39. de Temp. juxta August. radix omnium malorum est, & radix omnium bonorum est charitas. Quæcumque enim appetimus creata, ea propter amorem nostri, eoque impulsi appetimus De quo pluribus jam actum est secundo libro, & declaratum, quemadmodum odio sui superandus sit, ut charitas Dei diffundatur in cordibus nostris per Spiritum sanctum. Ac bonorum quidem cupiditas, paupertate vincenda; commodorum corporis & voluptatum & propinquorum, abnegatione eorum; voluntatis verò propriæ, libertatis & honoris, renuntiatione atque obedientiâ. Quæ autem hoc consecuta fuerit anima, per se in Deum tendit, ut apertâ fornace, ignis; ut suber quod sub aqua depressum fuit, sublato pondere supernatat: ita enim anima creaturarum amore liberata, evolat, & velut acus nautica in suo Septemtrione, id est, Deo, conquiescit, eique adhæret, & unus spiritus fit cum eo: denique idem vult & non vult quod est perfecta cum Deo amicitia, & ipsa perfectio Hoc Dominus IESVS apertè testatus est, dicens: Non rogo pro eis tantùm, sed pro eis qui credituri sunt per verbum eorum in me, ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te, ut & ipsi in nobis unum sint, & aliàs ait, Quæ est mater mea, & qui sunt fratres mei? quicumque fecerit voluntatem Patris mei, qui in cælis est, ipse meus frater, & soror, & mater est Ecce quàm arcta conjunctio inter animam, & Deum? quanta, & quàm sincera amicitia? Quomodo verò, dices, differunt justi inter se, perfecti ab imperfectis, cùm hi etiam potiùs omnia, quàm Deum deserere debeant? Respondeo, ut reges à rusticis, ab infirmo robustus: eo modo quo stella differt à stellâ in claritate; quo semina, quorum unum trigesimum, aliud sexagesimum, aliud centesimum fructum profert; quo institores, quorum alius duo talenta, alius tria, alius quinque superlucratur. Perfectus, inquam, facit omnes voluntates Dei, ut de Davide dicitur. ad quod Apost.

Anima purgata à creaturæ amore volat, &c.

Ioan. 17.

Matth. 12.

Conjunctio animæ cum Deo.

2. Cor. 15.

Apost. Iacobus hortatur dicens: Vt sitis perfecti, & integri, in nullo deficientes, imperfectus ea ferè tantùm facit, quæ sub æternæ gehennæ supplicio mandantur. Perfectus omnibus potentiis adhærere Deo nititur: intellectum enim captivat in obsequium fidei, & in omnibus operibus Deum laudat; memoriâ eum præsentem ubique habet, voluntate eum in omnibus creaturis amando, ei adhæret: non loquitur, nisi sermones Dei, & ex ejus amore: non administrat, nisi ex virtute quam administrat Deus, qui omnia ei tribuit: ex omnibus quæ videt, audit, gustat, sentit, in Deum assurgit, omnes ad eum adducere nititur, ubique aliquid Dei videt quod amet: & quia novit separare preciosum à vili, ita amat creata, ut per ea in potentias Domini introëat, & ferventissimam fornacem amoris, quam beneficia omni creaturæ præstita propter nos, & nobis in iis, quasi cinnanomum & balsamum accendunt in odorem suavitatis. Præcepta omnia servat, illa enim ordinantur ad removenda ea, quæ sunt charitati contraria, cum quibus charitas esse non potest. Consilia autem ordinantur ad removenda impedimenta actus charitatis, quæ tamen charitati non contrariantur: sicut est matrimonium, occupatio negotiationum sæcularium, & alia hujusmodi. Ex quo liquet perfectum eum virum appellari, qui non solùm nullius mortalis culpæ reus est, sed longè etiam abest ab iis, quæ nos ad eum pertrahunt, & à virtute impediunt: sive, perfectio consistit in optimo usu virtutum, ac tollendis impedimentis oppositis charitati, & eamdem remorantibus; deinde in ipso divini amoris affectu, qui finis est legis. Hinc Dominus: Ego sum A & O, principium & finis: & aptè Gregor. Virtutis principium & finis, est dilectio. Apostolus verò, Finis præcepti est charitas, de corde puro, & conscientiâ bonâ, & fide non fictâ. hæc omnium fundamentum est bonorum. Immò credere esse Deum, omnia mala arcet, omnia bona

Iacobi 1.

Quomodo perfectus tribus animæ potentiis utatur.

In omnibus Deum videt perfectus.

D. Thom. 2. 2. q. 184. a. 3. Præcepta Dei ad quid ordinata.

Quis perfectus.

Hom. 23. ad Rom. 1. Tim. 1. Charitas est finis & initium.

Fides viva quid operetur, peccata removet, &c.

bona inserit. Dic mihi qui credit Deum esse omnipotentem, omniscium, & optimum, simulabítne, & fallere sperabit impunè, ac superbiet? Nónne scire eum novit, & despicere superbos, ac omnem extollentem se humiliare, & exaltare in æternum humiliantem se? Avarus erit, qui Deum habere se posse novit, & omnia in eo? nimis certè avarus, cui ille non sufficit. Luxuriosus, cui ille fons gaudij, & Deus totius consolationis ad manum est? Invidebit, qui scit Deo fieri, quod proximo: Dei esse voluntatem, ut ille his bonis ornetur? an verò malum, aut minùs providum ejus consilium judicabit? Gulosus, qui momentaneam voluptatem potest in Deo æternam facere, si illam velit aspernari? Cui verò iracundus irascetur? Deo? qui dixit, Qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei? quomodo erit acediosus, ignavus, qui quãtis sese bonis exuat, quantis ærumnis induat, agnoscit? Quòd si fides hæc præstat, longè magìs charitas. Ex hac charitate erga Deum, fluit amor proximi: fluvius, inquam, pacis, cordis dulcedo, & verbum dulce, & opera misericordiæ, maximè spiritualia: qui enim amat proximum, in bonis omnibus illi consentit, mala potissimùm animæ ab eo, quoad potest, arcet, bona procurat, neminem temerè judicat, nemini obloquitur, juvat omnes opere & exemplo.

Ex charitate Dei fluit amor proximi.

An quivis possit esse perfectus. Col. 10. c. ult.

Sed quæres, an quivis ad perfectionem pervenire possit? Respondeo omninò, quocumque in statu positus sit, licet alius alio magìs sit accommodatus ad eam. Cassian. ait, Constat neminem prorsus ob imperitiam litterarum ab perfectione cordis excludi, nec rusticitatẽ obesse ad capessendam animę puritatem: imò cùm sit cum simplicibus Dei sermocinatio, hos ferè ad altiorẽ gradum sanctitatis evehit, ut non glorietur omnis caro in conspectu ejus. Non potes orare, contemplari, crebrò confiteri & communicare, sanctam austeritatem æmulari; patiẽs esto, & humilis, dilige opere & veritate proximum & Deũ, voluntatem ejus in omnibus lauda;

&

& acquires preciosam margaritam, thesaurum, sapientiam, veram perfectionem.

CAPVT II.

Meditatio de Imitatione Christi Domini, in quo omnis perfectionis exemplar.

CHRISTVS. PVNCTVM I. Fili, vis venire post me? vis perfectus esse? audi igitur me, qui animam meam posui pro te? Qui vult venire post me, tollat crucem suam, & sequatur me; si quis enim venit post me, & non odit Patrem suum, & matrem suam, adhuc autem & animam suam, non potest, non potest meus esse discipulus. Considera quis te vocet, quem vocet, & quò. quo item præmio. Spei, fidei & charitatis affectus excita. *Luc. 14.*

PVNCTVM II. Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis. Admirare & imitare.

PVNCTVM III. Qui mihi ministrat, me sequatur, & ubi ego sum, illic & minister meus erit. Credis hæc? & nonne per gratiam meam me sequi potes? cur igitur, non obedis voci meæ?

Eadem diducta.

HOMO. Effundo in conspectu tuo, Domine, orationem meam, & tribulationem meam ante te pronuntio; etenim ecce universus orbis in maligno positus, & in erroribus mille quasi deviis, & non est qui reducat nos in viam rectam. nisi tu, bone JESV, qui es via, veritas, & vita. Vias tuas, Domine, demonstra mihi, & semitas tuas edoce me. Omnis siquidem creatura decipula est, & laqueus pedibus insipientium! Et eheu! quot video, ô Bonitas, ô Pater misericordiarum, quot video perire abstractos & illectos ab ea! Quid faciam, Deus meus, inter tot hostes, & tot laqueos, quibus tegitur universus orbis? quid in tanta caligine, & tot jam coram

Præsentia Dei.
Ps. 141.
Mundus in errore.
Creatura decipula.

coram me præcipitiis? Quando, quando, sedenti in tenebris, & umbrâ mortis orieris mihi lux, & vita mea, ut sequar vestigia pedum tuorum?

IESVS. Ecce veni, veni, sequere me; Nónne enim ego sum lux mundi? errare times, & rectam viam ad perfectionem quæris? Ecce ego sum via. Quid? an fallì metuis, cùm paupertatem præ opibus, crucem præ deliciis & honoribus offero? Atqui ego sum bonitas in te propensissima, & diffidis mihi qui te sic redemi? ego sum veritas: quid dubitas aut metuis, damna, pericula, mortē, nónne sum tibi salus & vita & omnia? ego veni & venio ut vitam habeas, & abundantiùs habeas sanguine meo partam, & quidem sempiternam. Nónne qui habitabam lucem inaccessibilem, ex invisibili factus sum visibilis, ut redemptus à me, non jam Patrem prævaricatorem in superbia, gula, &c. sequerere; sed me humillimum & patientissimum, & imitareris me, qui sum speculum sine macula, figura substantiæ Patris, in quo habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter, ut divinitas mea in humanitate vobis præluceret, & actiones hujus ab illâ etiam fieri sciretis. Cur homo mortalis, passibilis, & similis vobis factus sum, & ut homo operatus, nisi ut te divinitatis meæ facerem participem, si humanitatis essem imitator? Si præscripsi medicinam, ipse prior hausi ut tu sequerere, & in singulis actionibus id mihi propositum fuit, ut nominatim tu imitareris, quod intelligebat Apostolus meus, dicēs: Qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me.

Christi sequela necessaria.

Matth. 5.

Deus descēdit de cœlo, ut sequeretur eum homo, tu recusas.

Sap. 7.

Galat. 2.

HOMO. Id cupio, & in omni cogitatione, verbo, & actione te velut depingere, & opus meum tuo in omni etiam ætate conformare: sic enim video, soles Sanctos ad tuum exemplar similes facere, itaque in omni etiam ætate te imitari cupio, te præsentem quasi intueri. Benedictus sis in æternum, in æternum, in æternum, bone IESV. Utinam, utinam cum Apostolo dicere possemus: Nos autem non spiritum hujus mundi accepimus, sed spu-

Christus in omni actione imitandus.

Rom. 9.

spiritum, qui ex Deo est; quos enim Pater tuus elegit. etiam vocavit, ut sint conformes imagini filii sui, & dedit te præceptorem, & ducem gentibus. Itaque non opto aliquid scire nisi te JESVM crucifixum, ut sicut Apostoli speculati Deum in te revelatâ facie transformari sunt de fide in fidem; ita ego ad honorem tuum crescam in te, & de claritate in claritatem transeam, & vivam in te S. Paulus: Ideò apparuit gratia Dei Salvatoris nostri omnibus hominibus erudiens nos, ut abnegantes impietatem & sæcularia desideria, sobriè & justè & piè vivamus in hoc sæculo. Inspice ergo & fac secundùm exemplar, quod ex infinitâ charitate tibi à Patre luminum monstratum est. Abjice opera tenebrarum, & indue arma lucis, immò induere Dominum JESVM Christum, ut possis comprehendere quæ sit longitudo, latitudo, sublimitas, & profundum; & scire supereminentem scientiæ charitatem Dei, aspiciens in omni horâ, & tempore auctorem fidei & consummatorem JESVM.

Isaiæ 53.

Tit. 2.

Exodi 25. Rom. 13. Ephes. 3.

HOMO. Utinam mihi liceat, ô Beate Paule, tecum dicere: Vivo ego, jam non ego, vivit verò in me Christus! Utinam ô B. Virgo, quæ à Christi Nativitate in singulis actionibus divinitatis lucem in humanitate emicantem peculiariter es imitata, tanquam speculum nitidissimum Soli justitiæ oppositum, te sequi possim! Utinam tu Mater nostri amantissima, velut olim Rebecca Jacobum induit vestibus Primogeniti sui, sic tu me Christo JESV, & des ut oportet offerre æterno Patri corpus & sanguinem ipsius in cibum, quo libenter eum vesci nosti! Utinam, amantissime IESV, cùm vehementer cupias, me imitari te facias, ut in omni vitâ meâ portem imaginem tuam, meliùs quàm sindon illa, & sanctissimum Veronicæ linteum, aut ad Abagarum missum amoris tui monumentum: pone te signaculum super cor meum, & omnes actions meas. In illo enim gloria tua, & charitatis tuæ pignus erga

B. V. & Sancti Christum sunt imitati.

Genes. 27.

nos est, si imaginem ad quam creati sumus, sic in nobis restituas, & tuam animæ nostræ imprimas, ô IESV pro me crucifixe, uti etiam corporaliter in electis tuis Francisco & Catharinâ Senensi declarasti.

CHRISTVS. Fili, uti te creavi ad imaginem ac similitudinem meam; ita te recreavi, redemi, ut similis mei fieres; utque in creatione mundi ideam meam secutus sum sempiternam, ita in renovatione, & omnium etiam minimarum gratiarum largitione Pater meus respicit in faciem meam filii sui? & hoc spectat ut mihi similis evadas.

Roman. 8. HOMO. Ita credo firmâ fide, nam quos Majestas tua, ô Pater æterne, præscivit & prædestinavit conformes fieri imaginis filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus. Sis benedictus in æternum, & tu, ô JESV, ô via, veritas, & vita; spes mea, quæ de tenebris facis lumen splendescere. Quid ultrà hæreo? quis nisi fatuus deliberare potest, an te sequi lucem inquam in tenebris velit? sed eheu! verè dixisti Domine: Dilexerunt homines magìs tenebras quàm lucem: quas quidem sic & sic N. dilexi. At nunc absit ut amem illud abs te omne bonum, & teipsum nisi propter te: Absit mihi gloriari nisi in cruce tuâ, benignissime Domine mi. Detestor insipientiam meam, & sequar te, ô æterna Sapientia, quocunque ieris Rex meus & Deus meus; scio enim si te sequar, errare nequeo. Qui sequitur te, non ambulat in tenebris, & qui videt & sequitur te, videt & sequitur eum qui te misit.

Omnes debent Christo conformari.

Ioan. 12.

CHRISTVS. Nónne hoc vel nomen tuum, ô Christiane, exìgit à te ut hoc exemplum quod tibi in monte Calvariæ monstravi sequaris, quando & cum clamore valido sanguinis mei clamantis de terrâ, & de arâ crucis in vita vi exemplo meo, reipsâ dicens: Qui vult venire post me, tollat crucem suam, & sequatur me, & qui non accipit crucem suam, & sequitur me, non est me

me dignus. *Aspira*, ut supr. pag. 8. *Hæccine firmâ fide*, vel O JESV *Magister*.

HOMO. Ita Domine, & olim per Apostolum tuum monuisti, dicentem: Imitatores mei estote, sicut & ego Christi. & per alium iterum: Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum ut sequamini vestigia ejus. O vestigia amabilissima animæ meæ! ô quàm speciosi pedes tui; euangelizantis pacem, euangelizantis bona! Utinam irrigem omnia vestigia quæ pro me posuisti, & lacrymis & sanguine meo, & pes meus sit in viâ rectâ, ut inveniam te. Wenceslai tui vestigia nivi impressa insistentis iisdem & sequentis, non plantas tantùm, sed totum corpus sacro calore recreavit: quantò magis tua, Redemptor mi, cùm sis ignis ardens, & non deficiens? Scio igitur nos vocatos omnes ut te sequamur, sed eheu! quàm multi declinaverunt etiam religiosi, qui tamen ad hoc vocati ut te propiùs imitentur: & perfectionem sequantur. *Vestigia Christi sequi dulce.*

CHRISTVS. Exemplum quidem dedi vobis omnibus, sed maximè Ecclesiasticis & Religiosis, ut quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis. Age actiones tuas à manè in vesperam considera, meisque compone, & vide an exemplum meum sequaris. Non enim feci taliter omni nationi, & judicia mea non sic, ut tibi manifestavi eis. *Hæccine vera*, ut sup. pag. 7. *Psalm. 147.*

HOMO. Operuit confusio faciem meam, dum Te video viam; & meditor & lego, me hortor ut ineam. Quid hoc dementiæ? viâ planâ, & rectâ relictâ, mille præcipitiis & periculis scatentem, sic N. sequi, & inire? O Deus meus! ô bonitas! miserere & trahe me post me, ut sequar te; etsi enim viam ad perfectionem, ad beatitudinem infinitâ bonitate tuâ ostendas, ecce quàm tardè eheu sequor: etsi, ô lux mea, appareas mihi in tenebris meis, non confugio ad te, non uti debeo, sequor te. Trahe igitur me, & sequar quocunque ieris, sive in vitâ sive in mortem. paratũ cor meũ, paratũ cor meum. *Resignatio.*

CHRISTVS. Veni & sequere. neque pigebit in æternum; sed qui mihi ministrat, me sequatur, & ubi ego sum, illic & Minister meus erit, & sedebit mecum in throno meo. Verùm regnum meum vim patitur, & violenti rapiunt illud. Vis ergo tibi, vis illi sic vim facere, & in terribili judicio audire dulcissimum verbum: Venite, possidete regnum, quod vobis paratum est constitutione mundi?

HOMO. Volo, volo, gratiâ tuâ, bone IESV, & cupio atque amo te toto corde meo.

IESVS. Ecce hoc est consilium meum, postquam princeps tenebrarum, & mundi hujus infinitas proprias animas seduxit, & diluvium peccatorum inundavit, cupio, ut fortis armatus, diripere spolia impiorum, & animas perditas quærere, & salvas facere. Ad hoc descendit ut gigas ad currendam viam. Vis militiæ meæ nomen dare? si dederis, dabo tibi edere de ligno vitæ & accumbere ad mensam meam in regno Patris mei, & Regem te constituam in sempiternum. Credis hæc ita sese habere? quid ergo moraris contemptum tui pro honore mundi amplecti, paupertatem pro divitiis, mortificationem pro deliciis, idque tantùm ad momentum vitæ pro longâ, & felicissimâ æternitate? Fili mi, putas si mundus, aut Rex quispiam tantum offerret militi suo, eum pauci sequerentur; præsertim si eundem victum, vestitum, habitationem etiam vilissimo caloni offerret, quo ipse Rex uteretur, uti me facere vides?

Christus Rex & Dux noster.

HOMO. Omnes equidem eum sequerentur, immò parvo stipendio magna, & innumera pericula, ac labores adit; atque adeò deposcit miles; & me pudebitur Domine IESV sequi Rex regum, & Domine dominantium? mansuetudinem inquam, charitatem & humilitatem, ac patientiam: præsertim cùm assiduè sonet vox tua in auribus meis, vox inquam illa tua dulcis: Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.

Miles mundi non confundit.

JESVS. Quid ergo moramini; ego ante vos ibo, & gloriosos terræ humiliabo: Neque est, quòd mortem timeas: Qui enim manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet in se vitam æternam. Si famem quis timeat, ego sum panis, qui de cælo descendi, ut manducet me, & vivat propter me. Si sitim, ecce sanguis meus verè est potus, quem ex nunc tibi offero paratum, *hic affectum gratitudinis excita.* Denique, quod Apostolis, hoc tibi dico: Quando misi vos sine sacculo, aut perâ, numquid aliquid defuit nobis? Responderunt, nihil. At forsitan non potes onus militiæ meæ ferre verùm nónne dixi: Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos? neque tantùm portabo onus vestrum, sed etiam vos uti ovem perditam libenter tollam in humeros meos. An credis hæc? Ergo sicut me videtis, & vidistis facere, sic facite: Et certò scias, falli nequeo, neque fallere. Dixi, & ita est: Jugum meum suave est, & onus meum leve.

Isaia 45.

Matth. 11.

HOMO. Credo Domine, adjuva incredulitatem meam: credo, & cùm alicui militare & servire mihi necesse sit, quem præter te eligam Regem regum sapientissimum, quique nôrit reprobare malum, & eligere bonum? Te potentissimum, & fortissimum Ducem, & quod super omnia me trahit, mei amantissimum. Filioli, exclamat Apostolus tuus, quos iterum parturio, donec formetur in vobis Christus, volens nos conformare tibi. Pone igitur te, ut signaculum super cor meum, sicut signaculum super brachiũ meum, ut qui portavimus imaginem terreni, jam portemus & cælestis. Tuam Christe JESV sanguine tuo coloratam. Denique Christianus sum immensâ, & incomprehensibili gratiâ tuâ. Confiteri igitur te volo coram hominibus ô æterna, & amabilis mihi veritas, neque diligere te verbo, sed opere, & veritate. Tu pro me mortuus es, ut tibi vivam, pro me natus, ut tibi renascar, pro me circumcisus, ut abnegem circumcisione non

Marc. 9.

Galat. 4.

1. Cor. 15.

Confiteri Deum facta oportet.

manu factâ impietatem, & sæcularia desideria, & sobriè, justè, & piè vivam in hoc sæculo. Cupio ambulare sicut ambulasti, & sanctificare me sicut tu sanctus es, & quantum possum gratiâ tuâ perfectus esse, sicut Pater noster cælestis perfectus est.

Ioan. 2.

Paupertas Christi omnibus amanda, &c.

JESVS. Ne cunctetis igitur, aut deliberes. Ego sum via, & non est alia, & cùm essem dives, propter te factus sum pauper, ut non haberem ubi caput reclinarem, nempe ut tu aliquando conversus saltem animo talis fores; qui enim non renunciat omnibus quæ possidet, attende iterum, & iterum, qui non renunciat saltem animo, paratus id re facere, cùm jussero, non potest meus esse discipulus. Similiter factus sum obediens usque ad mortem, mortem autem crucis, cibusque meus fuit facere voluntatem Patris mei, ut tu Superioribus tuis obsequens fores. Ego delicias carnis & commoda ab ortu meo usque ad extremum vitæ abnegavi. Ego inquam, sapientia æterna, & intellectus infinitus, ita judicavi, ita judico. An qui verbo non auderes arguere me, facto velles, & deserere me, & sequi hostes tuos? me relinquere veram vitæ viam, & abire in praeceps, & ambulare vias difficiles, & quod caput est, impermeabiles? At forsitan difficilè est me sequi.

HOMO. Facile est, quidquid gratiâ tuâ præstare possimus; suaviter enim equitat, quem gratia tua portat, & erubesco, qui video sæculi filios ambulare vias adeo difficiles, tot adire pericula, seu mercatores, seu milites sint.

Sap. 5.

JESVS. Et quo quæso præmio in hoc mundo, ubi transeunt omnia tamquam umbra, & tamquam navis cujus non est reperire vestigium in fluctibus? Et quare dubitas, num me sequi possis? Putásne, fili mi, invito te illudam tibi? nónne sæpiùs inclamavi, & jam præsens tibi dico: Petite, & accipietis; quærite, & invenietis; pulsate, & aperietur vobis. Ergo omnia possibilia sunt credenti, & me amanti; neque puto, sequi pudet, quo ego

Facile Deũ sequi.

ego præivi, neque pigere potest; si memineris, quòd ab hâc viâ vita, vel mors dependeat sempiterna.

HOMO. Habeamus ergo, ô anima, fiduciam in introitu Sanctorum in sanguine Christi, quam initiavit nobis viam novam, & viventem per carnem suam, & sacerdotem magnum, super domum Dei accedamus cum vero corde in plenitudine fidei. Ecce enim venit, ecce venit, & nobiscum est; ergo, sive comedimus, sive bibimus, sive quid aliud agimus, omnia ad gloriam ejus & exemplar ejus velut præsentis faciamus. Ipse radix bonorum justitia nostra. Hebr. 10.

EXERCITIVM.

O JESV Magister bone, Pastor bone, Dux meus, & notus meus; vis me similem esse tibi, ô Rex regum, me tibi? cur, obsecro te, spectavit huc omnis labor tuus, & dolor & afflictio tua, ut benè mihi esset? an idcirco Sanctis electis tuis communicas dolores & vulnera tua? ideò hominem verè induisti ut ego te? ideò de cælo descendisti, & ad me incomprehensibili dignatione toties declinas, ut eò ascenderem, & sim unus tecum, & similis tibi? adeò formam servi accepisti, & eheu pro me colonus factus es super terram, ut ego hæres & civis essem regni tui? verá-ne hæc & certa & indubitata, & piget sequi? Nónne nos agricultura tua sumus & tua ædificatio, tu verò fundamentum & lapis angularis, nunquid in te verâ petrâ ideam fecisti mihi, & descripsisti sanguine tuo, infinitâ charitate tuâ? utinam superædificem non lignum, fœnum, stipulam, sed aurum, argentum, lapides preciosos, & honorem te, & delecteris super me, & discam à te mitis esse, & humilis corde. Et utinam nihil sciam nec scire ultrà velim nisi te, dulcissime JESV, & quidem crucifixum. Hæc est enim vita æterna, ô Pater æterne, ut cognoscamus te Deum verum, & quem misisti JESVM Christum, & sequamur vestigia ejus. Induo ergo te, & cupio imitari, Domine JESV, & respicio in te unum consummatorem & remuneratorem, & amantissimum Redemptorem, & currere cupio in viam mandatorum tuorum, ut perveniam ad te, & amem te toto corde meo. Amen. 1. Cor. 3. Ioan. 17.

Praxis pro Imitatione & perfectione assequendâ.

1. SÆpe IESVM præsentem intuere, ideoque illud à S.P.N. in initio Meditationum vitæ Christi valdè commendatum. Tum verò id maximè fac, quando actio aliqua instat faciendâ, cogita quomodo eam in hoc sæculo fecerit, aut fieri suaderet, & imitare.

2. Nota autem valdè conducere ad Christi JESV imitationem, amorem ejus sæpè in se excitare hoc pacto, ut in discipulis patet; sine sensu induuntur Magistri mores & amici.

3. In examine etiam actiones tuas, præteritas & futuras examina. Ipse enim est norma vitæ nostræ, & Regula ædificii spiritualis. Et quicunq; hanc regulam secuti fuerint, pax super illis & misericordia.

Galat. 6.

Gradus ad perfectionē.
1. vitare minima.
2. contēnere temporalia.
3. passiones domare.
4. cohibere linguam.
5. profectui studere.
6. patientiā servare.
7. internas solidas virtutes exercere.
8. resignatū esse.
Nota.

Quòd si gradus ad perfectionem habere velis, ecce tibi Primus est, postquam à peccatis gravioribus purgatus es, minima etiam diligenter devitare. ac modestiam colere. Secundus, temporalia contemnere, & saltem affectu abnegare. Tertius, passiones, maximè appetitum honoris, refrænare. Quartus, linguam cohibere, maximeque à detractione & vanitate coërcere. Quintus, puritatem cordis, & cogitationum frequenti renovatione quærere: ac zelo profectus quotidie ad anteriora se extendere & actiones suas, ac cogitationes suas perficere. Justorum enim semita, quasi lux splendens, crescit usque ad perfectam diem. Sextus, patientiam servare in adversis, & gaudium existimare cùm in varias tentationes inciderimus: patientia enim opus perfectum habet. Multi enim in oratione, regularum observatione seduli, modesti, quieti; sed si tangas montes, fumigabunt. Septimus, virtutes interna frequenter exercere, maximè solidas; intentionis puræ, charitatis, zeli, & præsentiæ Dei. Octavus, unum atque idem velle cum Deo, de nullo queri, sed æquabilitatem animi atque tranquillitatem, inter tot rerum vicissitudines conservare. In his te examina, atque in singulis excitatâ contritione, propone hos gradus ascendere, & gratiam pete. Est enim gradus ad virtutem primus, ejus desiderium.

Dignatus es, ut supr. pag. 10.

Regula

REGVLA *brevis, seu via ad perfectionem, respondens petitionibus orationis Dominicæ. Hanc meditando expendere juvabit.*

PRIMA. *Pater noster qui es in cælis.* Et contemplaris in omni loco bonos & malos. da mihi, obsecro quod jubes, ut ambulem coram te & sim perfectus sicut tu Pater meus cælestis perfectus es. *Hæccine vera*, ut sup. pag. 7. *De præsentia. Gen. 17. Matth. 5.*

Secunda. *Sanctificetur nomen tuum.* Utinam, utinam ô bone IESV, in illo flectatur omne genu, & ab omnibus omnia purâ intentione fiant in nomine tuo ut in omnibus honorificeris, dulcissime Redemptor mi, atque exemplo & verbo omnes traham ad te omne bonum, ego servulus tuus. *Intentio pura, fides & zelus animarum.*

Credo tibi, ut sup. pag. 7.

Tertia. *Adveniat regnum tuum.* Ad hoc enim nati sumus, sed quod majus est, sic N. redempti à te, ut terrena hæc despiciamus, & conversatio nostra in cælis sit, & tecum sit, qui non dedignaris omni horâ audire me in conspectu Sanctorum tuorum, neque obliviscerìs mei vincti & improbi servi tui in gloriâ tuâ. Quid ergo me separabit à te? *Contemptus rerum humanarum & spes.*

Aspira, ut sup. pag. 8. *Hæccine firmâ fide* ibidem.

Quarta. *Fiat voluntas tua sicut in cælo & in terrâ.* In corpore & animâ meâ. Nónne enim omnes Angeli, omnes creaturæ obediunt voci tuæ? quanto magìs ego vermis & non homo, faciam voluntates tuas, quas aut inspiraris mihi, aut per Superiores indicaris? quid enim mihi est in cælo, & à te quid volui super terram? *Credo tibi*, ut sup. pag. 7. *Resignatio perfecta & charitas.*

Quinta. *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*, ô benignissime IESV, non tantum supersubstantialem, corpus tuum, sed meditari dolores tuos, atque eloquia tua, dulciora super mel & favum. Verè enim non in solo pane vivit homo, sed de omni verbo quod procedit de ore tuo, favus enim distillans labia tua. Da mihi omnem solicitudinem in te projicere, dixisti enim & credo quod hæc omnia adjicientur nobis. *Meditatio rerum divinarum. Psalm. 18. Matth. 4.*

Aspira, ut sup. *Hæccine firmâ* pag. 8.

Sexta. *Et dimitte nobis debita nostra* plurima; *sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Numquid enim oportet alterũ alterius onera portare, & sic adimplere legem tuam? ille enim verè perfectus est, qui ad imperfectionem proximi impatiens non est. O quàm suavis est Domine spiritus tuus; Ecce si ego demisero denarium unum proximo meo, talenta plurima dimittes mihi ex infinitâ misericordiâ tuâ, & te mihi dabis ex immensâ charitate tuâ. *Hæccine vera*, ut sup. pag. 7. *Dilectio proximi etiam inimici. Gal. 6. Gregor. Perfectus quis sit. Sap. 1. Matth. 18.*

Fortitudo in tentationibus ac sui mortificatione.
2. Cor. 3.
Psalm. 50.
Diffidentia sui ac confidentia in Deo.

Septima. *Et ne nos inducas in tentationem.* Tentatio enim est vita hominis super terram: sed concede ut resistam, sic ut possum per gratiam tuam: fidelis enim es, nec sines me tentari ultra id quod possum. Tribue etiam ut mortificatione illam præveniam, & judicia hominum contemnam, & momentanea æternis, coram te judice meo, & patre amantissimo non præferam. *Credo tibi*, ut sup. pag. 7.

Octava. *Sed libera nos à malo* culpæ & pœnæ, nihil enim verè absque tua providentia accidit nobis, & nihil possumus ex nobis, sed omnis sufficientia nostra ex te est. Libera ergo me, ô charitas Deus meus, sicut & quando tibi placuerit; & cor mundum crea in me, atque illud examine frequenti purga, velut speculum mundum radios bonitatis tuæ excipiam & reddeam amore tui, & vivam ego jam non ego, vivas autem in me Christe Iesu refugium meum, & ut securus committam me totum paternæ providentiæ tuæ in tempore & in æternitate.

Aspira, ut sup. pag. 8. *Haccine firmâ fide*, &c.

Brevis Regula S. P. Ignatii pro perfectione consequenda sæpè expendenda.

Hoc documenta suis Ignatius edit alumnis.
Vt methodo parvâ commoda magna ferant.
Nulli, vel minimo, quavis ratione repugnes,
Cedere te potiùs quàm superare juvet.

PRimò Adverte quam turpe sit facilè alicui contradicere sive superiori, sive inferiori, sive æquali; semper ego dum licet, quod aliis probatur tu complectere, & appende, quantò melius te & alios in pace servare, eosque charitate & humilitate superare, quàm à tui amore ac judicio proprio superari ac perturbari excusando, contradicendo, &c.

Credo tibi, ut supra pag. 7.

Obsequium studeas præstare per omnia cœcum;
Iudiciumq; lubens subjice cuique tuum.

Luca 10.

Secundò, Præstare debes obedientiam cœcam in rebus minimis & parvis. Numquid enim scriptum nosti: Qui vos audit me audit? Iudicium verò etiam æqualibus & inferioribus subjicere stude; Omnis enim qui se humiliat exaltabitur. Credis hæc? *Credo tibi Domine*, ut sup. pag. 7.

Non vitia inspicias aliena, & visa retundas,
Sed propria accuses, atque patere velis.

Tertiò,

Tertiò, vide quàm turpe curiosè defectus aliorum observare; & semper paratus esto ad excusandum eos: certè nónne utilius tibi accusare teipsum, & non cũ Adamo excusare? Nónne enim Deus novit insipientiam tuam, & omnes in judicio eam agnoscent si jam te vanè excuses? ignoscent verò si te accuses? *Aspira*, ut sup. pag. 8. *Haccine firmâ, &c.*

Quidquid agas, dicas, mediteris, prospice finem:
Proximo an expediat, complaceatq; Deo.

Quartò, Numquam loquaris, vel respondeas, vel mediteris, vel ambules, vel quid demùm facias; nisi priùs cogites an Deo placeat; an exemplo & ædificationi sit proximo: stas enim coram Deo, cui de omnibus nónne reddenda severa erit ratio? *Haccine vera*, &c. ut sup. pag. 7.

Sit sua spiritui libertas semper; & illam
Nec persona potens, caussa vel ulla gravet.

Quintò, Serva libertatem spiritus ubique etiam cum quacumque personâ: Christianam inquam tene libertatem ad opposita: & ne eam propter humanum respectum perdas; nónne enim scriptum; qui hominibus placent confusi sunt, Deus sprevit eos. *Credo tibi*, &c. ut sup. pag. 7.

Ne facili jungas tibi consuetudine cunctos;
Spiritus ac ratio quemlibet ante probent.

Sextò, Ne sis communis omnibus, neque familiaris, sed consule spiritum, ad quem ipse magìs te moveat atque impellat. Inspicias tamen accuratiùs, quales & qui sint motus, qui ad hoc te moveant. Nónne enim scriptum, Cum bono bonus eris. Et rursus, Vir iniquus lactat amicum suum, & ducit eum per viam non bonam. *Credo tibi*, ut sup. pag. 7. *Prover. 16.*

Exerce assiduè pia mente & corpore facta;
Sis populo demens, sic sapis ipse Deo.

Septimò, Exerce te continuò actualiter & mentaliter in exercitiis piis, & desidera haberi stultus ab hominibus, ut sapiẽs habearis à Deo, & ipsum lucrifacias, ut dicere queas: nos stulti propter Christum; stulta enim mundi elegit Deus, suadetque dicens: Si quis videtur inter vos sapiens esse, stultus fiat, ut sit sapiens. *Haccine vera*, ut sup. pa. 7. *1. Cor. 1.*

Fac matutino vespertinoq; revolvas
Hæc studio: & lectum dum petis adde preces.

Octavò, Hoc inquit erit tuum studium. Mane & Vesperi cùm ibis cubitum, ista percurre.

Exer-

Exercitium seu descriptio viri spiritualis, ad quam te examina.

POteris autem utiliter id facere, si singulis notis subjicias hanc interrogationem. An talis sum? & cur non? An talem me vult Deus, & esse possum? quid igitur faciam? firmumque adde propositum, & libet. *Credo tibi*, ut sup. p. 7.

Vir spiritualis hominem interiùs ordinat: Exteriùs ornatu à rebus turpibus cohibet, sermones rectos & utiles amat: non pueriliter in risum effunditur, non altè loquendo clamat, modestè incedit: aliorum facta non curiosè inquirit, admonitiones hilari vultu recipit: errori aliorum facilè condonat, laudibus non extollitur, detractione non dejicitur: interrogatus facilè leniterque respondet, contendenti facilè cedit: patienter alios audit; in omnibus ædificare fratrem studet. Rari est & gravis sermonis: in cibo & potu parcus & sobrius: Compositus in vultu & verbis, filius veritatis, oculos habet dimissos, & simplices: puritate candidus, humilitate insignis: obedientiâ promptus, patientiâ præmunitus, in oratione assiduus, in fide stabilis, in opere diligens, in abstinentiâ rigidus, in moribus exemplaris: in conversatione gratus: in verbis affabilis, in dando liberalis, amicis fidus: inimicis benignus: Deo resignatus: sibi mortuus, mundo crucifixus: omnibus omnia, ut omnes lucrifaciat.

CAPVT III.

PRÆFATIO *in vitam Christi.*

VITA Domini nostri IESV verè lignum est vitæ & medicamentum animæ nostræ. Quam verò sit utile eam meditari, audi Bonaventuram: Super omnia (ait) spiritualis exercitii studia hoc magis necessarium, magisque proficuum credo, & quod ad excelsiorem gradum producere possit. Meditatio hæc, inquit, roborat mentem contra vana & caduca, fortificat contra tribulationes, docet circa gerenda, &c. Vitâ igitur Domini nostri digressi in puncta, eaque verbis S. Scripturæ conflata. Vix adjeci ullas considerationes, scientibus enim Scripturas loquor: Indicavi dumtaxat quinam affectus excitari queant, unde si opus fuerit extendi & intendi. Huc spectant quæ de affectibus suprà habes

Quàm utile meditari vitam Iesu.

bes de modo meditandi, per actus trium virtutum Theologalium, de exercitiis præcipuarum virtutum: & rursùm aspirationes quas infrà invenies ca. de Contemplatione. Igitur cùm inveneris hæc verba, exerce contritionem, fidem, &c. item paupertatem, contemptum rerum humanarum, id ita accipias ut vel illud perte facias Spiritus sancti ductum sequendo, vel si placet languenti animæ subsidium petas ex affectibus & exercitiis suprà positis, si non meliora, quod opto toto corde, te unctio docuerit.

Meditationes de vitâ Christi IESV *amantissimi Domini nostri.*

1. MIssus est Angelus Gabriel ad Mariam virginem desponsatam Ioseph de domo David, & dixit Ave, &c. *Expende verba & crede, gratulare Abigaëli & Esteræ nostræ* 2. *Cui turbata* ait. Ne timeas Maria, invenisti gratiam apud Deum, Spiritus sanctus superveniet in te: ecce concipies & paries filium; & vocabis nomen ejus IESVM Filium Altissimi, & regni ejus nō erit finis, *Crede & admirare & gaude in Christo* IESV. 3. Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum. *Imitare resignationem humilitationem, crede & ama* IESVM *hominem pro te factum, quasi velatum ut Moyses.* DE ANNVNTIATIONE. *Luca* 1. *Exodi* 34.

1. Exurgens Maria jam mater Dei, abiit in montana, & salutavit Elizabeth, & exultavit infans in utero ejus. *Imitare Charitatem B. Virginis & zelum, humilitatem, & compungere de superbia.* 2. Et exclamavit Elizabeth & ait: Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui. Vnde hoc mihi, &c. *Crede & gratulare B. Virgini matri tuæ veræ Iudithæ nostræ & Annæ.* 3. Et ait Maria: Magnificat anima mea Dominum, &c. & mansit tribus mensibus. *Imitare, & gaude in Domino.* DE VISITATIONE. *Luca* 1. *Iud.* 13. 1. *Reg* 2.

1. Cùm desponsata esset Maria Joseph, inventa est in utero habens, & voluit occultè dimittere eam. *Compatere Dominæ in suspicionem adductæ ut Susanna, & admirare, & resignate Deo.* 2. Hæc eo cogitante apparuit ei Angelus: Noli timere accipere Mariam conjugem tuam. Quod enim in eâ natum est, de Spiritu sancto est. *Gratulare B. Virgini, & gratias age Deo.* 3. Pariet filium, & vocabis nomen ejus IESVM, ipse enim salvum faciet populum suum à peccatis eorum, *Fidem, spem in Iesum, & amorem excita.* DE REVELATIONE FACTA IOSEPHO. *Matth.* 1. *In Vigilia Nativitatis Domini.*

1. Eli-

NATIVITAS S. IOANNIS BAPTISTÆ. *Lucæ 1. In festo nativitatis S. Ioannis Baptistæ.*

1. Elizabeth impletum est tempus pariendi, peperit filium, & vicini gratulantur, & die octavo cum Zachariam illum vocari vellent, ipsa ait: vocabitur Ioannes, id est gratia. *Imple & tu tempus, & humilitatem exerce, & diffide tibi, ac gratiæ omnia tribue.* 2. Et Zacharias postulans pugillares idem scripsit, & apertum est os ejus, & prophetavit dicens: Benedictus, &c. 1. *Fidem excita, 2. gratitudinem Zachariæ imitare.* 3. Et dicebant omnes: Quis putas puer iste erit? etenim manus Domini erat cũ illo. 1. *Admirare Dei judicia & te resigna. 2. fiduciam in eo loca.*

CHRISTVS NASCITVR. *Lucæ 1. In nocte Nativitatis Domini.*

1. Exiit edictum à Cæsare Augusto, ut describeretur universus orbis, ascendit autem & Ioseph à Galilæâ in Bethlehem, ut profiteretur cum Mariâ uxore prægnante. *Admirare obedientiã Christi & imitare.* 2. Factum est autem cùm esset ibi, impleti sunt dies ut pareret. *Crede & Deo gratias age.* 3. Et peperit filium suum primogenitum, & pannis eum involuit, & reclinavit eum in præsepio, uti Moysem mater sua in fiscellâ, quia non erat eis locus in diversorio. *Crede, & amorem excita, & imitare paupertatem, & gratias age Deo tuo.*

Exod. 2.

PASTORIBVS REVELATVR. *Lucæ 2. In aurorâ Nativitatis Domini.*

1. Et pastores erant in regione eadem vigilantes, & ecce Angelus Domini stetit juxta illos & dixit: Ecce Euangelizo vobis gaudium magnum quod erit omni populo. *Admirare tales elogi & imitare.* 2 Et hoc erit vobis signum; invenietis infantem pannis involutum, & positum in præsepio. *Admirare signum, & inde spem excita & gaudium:* 3. Cecinerunt Angeli, Gloria in excelsis Deo, &c. & venerunt illi festinanter, & invenerunt Mariam & Ioseph, & infantem positum in præsepio. Et reversi sunt glorificantes Deum. *Crede, admirare, & ama Redemptorem, eiq; gratias age.*

DE CIRCVMCISIONE. *Lucæ 2. Genes. 25.*

1. Postquam consummati sunt dies octo circumcisus est puer verus Isaac noster. *Fidem excita, compatere, & admirare humilitatem, patientiam, & imitare & ama.* 2. Et vocatum est nomen ejus IESVS, id est, Salvator, non Ægypti ut Ioseph, sed orbis, quod vocatum est ab Angelo priusquam in utero conciperetur pro te. *Gaude & spem excita & gratias age.* 3. Redditus matri suæ. *compatere & spem excita.*

DE REGIBVS *Matth. 2. 1. Reg. 10.*

1. Cùm natus esset IESVS in Bethlehem Iudâ, ecce Magi, ut olim regina Saba ad Salomonem, ab Oriente venerunt Hierusalem, dicentes: Vbi est qui natus est Rex Iudæorum? Vidimus enim stellam ejus in Oriente, & venimus adorare eum. *Vide quos, quò vocet, admirare, & gratias age.* 2. Turbatur Herodes, tamen

tamen per Sacerdotes indicat Christum è Scriptura, & mittit eos in Bethlehem. Et ecce stella, quam viderant in Oriente, antecedebat eos, & gavisi sunt gaudio magno valde. *Imitare, & sequere vocantem, & gaude in Domino.* 3. Et intrantes domum invenerunt puerum cum Mariâ matre ejus, & procidentes adoraverunt eum, & obtulerunt ei Aurum, Thus, & Myrrham; & per aliam viam reversi sunt in regionem suam. *Fidem, Spem, & imprimis charitatem excita, & paupertatis affectum.*

DE PURIFICATIONE. *Luca 2. 1. Reg. 1.*

1. Postquam impleti sunt dies purgationis secundùm legem tulerunt IESVM, ut olim Anna Samuëlem suum in Hierusalem, ut sisterent eum Domino, & darent hostiam parturturum, aut duos pullos columbarum. *Imitare Christi humilitatem, obedientiam, & B. virginis paupertatem, & admirare.* 2. Et ecce homo; homo erat in Hierusalem Simeon, qui venit spiritu in templum, & accepit eum in ulnas suas, & benedixit Deum, & dixit. Nunc dimittis servum tuum Domine. *Spem excita & amorem magnum erga Iesum.* 3. Et Anna superveniens confitebatur Domino, & loquebatur de illo omnibus qui exspectabant redemptionem Israel. *Gaude, & gratulare Domino tuo, & amorem excita.*

DE FVGA IN ÆGYPTVM. *Matth. 2. In festo Innocentium.*

1. Angelus apparuit in somnis Ioseph, dicens: Surge & accipe puerum, & matrem ejus & fuge in Ægyptum, & esto ibi usque dum dicam tibi. *Admirare Deum fugientem pro te, & spem cum Ioseph excita.* 2. Qui consurgens accepit puerum & matrem illius nocte & abiit in Ægyptum, sicut olim Iacob & Moyses in Madian. *Imitare obedientiam etiam Christi, & charitatem excita.* 3. Tunc Herodes iratus, quòd illusus esset à Magis, cecidit pueros à bimatu & infrà. illo defuncto Angeli monitu rediit Ioseph & in Nazareth habitavit. *Conterere de superbiâ, & te ipsum Deo in omnibus committe.*

DE ASCENSV IN TEMPLVM. *Luca 2. Dominica infra Octavam Epiphaniæ.*

1. Cùm factus esset annorum duodecim, ascendit IESVS cum parentibus ad festum. consummatis diebus remansit puer IESVS in Hierusalem, & non cognoverunt parentes ejus. *Quære eum, & spem in eo excita, compassionem IESV pauperu & amorem.* 2. Et requirebant eum inter tristes cognatos & notos frustrà, ut Tobiæ mater olim, & factum est post triduum invenerunt illum in templo, sedentem in medio Doctorum, audientem & interrogantem eos stupentes. *Admirare & resignate illi.* 3. Et dixit mater ejus. Fili quid fecisti nobis sic: cui ait: Nesciebatis quia in his quæ Patris mei sunt, oportet me esse? *Compatere matri, & gratias age Domino Iesu.*

1. Anno

IOANNIS PRÆDICATIO. *Matth.3. Lucæ3. Marci 1. Domin.4. Adventus & Sabbatho 4.Temp. Adven.*

1. Anno 15. Tiberii venit Ioannes in deserto Iudææ, dicẽs: Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cælorum. 1. *Conterere de peccatis. 2. spem excita.* 2. Ipse autem habebat vestimentum de pilis camelorum, esca autem locustæ. Exibat ad eum Hierosolyma, & baptizabatur. *Excita 1. diligentiam. 2. contemptum rerum humanarum.* 3. Videns autem Pharisæos ait: Progenies viperarum, quis vos docuit fugere à venturâ irã? ne velitis dicere, Patrem habemus Abraham. Potens est Deus de lapidibus suscitare filios Abrahæ. Omnis arbor quæ non facit fructum bonum excidetur, & in ignem mittetur. Qui post me venturus est, baptizabit Spiritu sancto & igni, & mundabit aream suam. 1. *Admirare Dei potentiam, 2. Gratias age pro vocatione & fide. 3. Ignem amoris excita.*

DOMIN.3. ADVEN. *Ioan.1.*

1. Ioannes testimonium perhibet de Christo: Hic est qui ante me factus est, quia prior me erat. Lex per Moysem, gratia & veritas per IESVM Christum. *Fidem & amorem* IESV *excita.* 2. Et miserunt ad eum rogantes, tu quis es? & ait: Non sum ego propheta, Helias, aut Christus, ego vox clamantis in deserto, parate viam Domini, rectas facite semitas ejus. *Humilitatem exercere ut Ioannes.* 2. Charitatem erga proximum & zelum. 3. Ego baptizo in aquâ, medius autem vestrûm stetit, cujus non sum dignus solvere corrigiam calceamenti. *Humilitate valde, & amorem Dei ubique præsentis exerce.*

DE BAPTISMO CHRISTI. *Matth.3. Marci 1. Lucæ3. Ioan.1.*

1. Factus jam 30. annorum, quos privatus egit, ut etiam ad tempus certum Ioseph. Moyses, David, Matri valedicit IESVS, venit ad Ioannem ut baptizaretur in Iordane. *Admirare & humilem* IESVM *imitare & ama.* 2. Ioannes autẽ prohibebat eum, dicens: Ego debeo à te baptizari, & tu venis ad me? ipse verò ait: Sine modò, sic enim decet nos implere omnem justitiam. *Crede & admirare humilitatem, & imitare.* 3. Baptizatus autem IESVS ascendit de aquâ, ut arca olim viam aperiens, & ecce aperti sunt ei cæli, & vidit Ioannes spiritum descendentem, & audivit. Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui. *Gaude, & gratulare Domino, & ama eum toto corde.*

DE TENTATIONE. *Matth.4. Domin.1. Quadrag.*

1. Tunc ductus est in desertum à Spiritu sancto ut tentaretur. Imitare & spiritum sequere, & resigna te. 2. Et cùm jejunasset 40. diebus & 40. noctibus, postea esuriit. Accedẽs autem tentator dixit ei. Si filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant. Mitte te deorsum, hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me. *Admirare, & Dominum imitare, & gratias age pro cibo.*

plo. 3. Angeli accesserunt, & ministrabant ei. *Gratulare, & amorem excita.*

1. IESVS sequentibus se ait: Quid quæritis? qui dixerunt: ubi habitas? quibus ille, venite & videre, & manserunt die uno. *Admirare quos eligat & amorem erga* IESVM *excita.* 2. Adduxit autem Andreas Petrum, cui ait: Tu vocaberis Cephas & Philippo ait: sequere me. deinde Nathanaëli. priusquam te Philippus vocaret, cùm esses sub ficu novi te. *Admirare & gratias age pro fide.* 3. Filios Zebedæi lavantes retia vocavit, qui continuò relictis retibus & Patre, secuti sunt eum. *Tu etiam omnia relinque, & spem in Deo excita & amorem.*

DE VOCATIONE APOSTOLORVM. *In Vigiliâ S. Andreæ. Matth. 4 & 9. Matth. 4.*

1. Nuptiæ factæ sunt in Canâ Galilææ, & vocatus est IESVS, & discipuli ejus. *Admirare benignitatem & hic abstinentiam disce.* 2. Deficiente vino dicit mater IESV: vinum non habent, cui ait: Quid mihi & tibi? nondum venit hora mea. *Contemne mundum deficientem, & spem in Deo & B.V. loca.* 3. Dixit mater ministris, quodcumque dixerit vobis facite. tunc mandavit hauriri aquam hydriis sex, & convertit eam in vinum, quo gustato ait Architriclinus: Omnis homo primò bonum vinum ponit, tu autē servasti usq; adhuc. *Vide vim obedientiæ, Dei potentiam admirare, & gratias age pro solatiis acceptis.*

DE NVPTIS *Ioan. 2. Dominica 2. post Epiph.*

1. Nicodemus venit ad IESVM nocte, cui IESVS: nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu S. non potest videre regnum Dei. Quod natum est ex spiritu, spiritus est. Spiritus ubi vult spirat *Zelum & fervorem excita.* 2. *diffide tibi, resigna te Spiritui sancto.* 2. Nemo ascendit in cælum nisi qui descendit. Sicut Moses exaltavit serpentem in deserto, sic oportet exaltari filiū hominis, ut omnis qui credit in eum non pereat. *Fidem excita & gratias age Domino* IESV sic exaltato. 3. Sic Deus dilexit mundum ut filium suum unigenitum daret. Qui credit in eum non judicatur. Hoc est judicium mundi, quia dilexerunt homines magis tenebras quàm lucem. *Resigna etiam te Deo & amorem excita, cum vivâ fide.*

NICODEMVM IESVS INSTRVIT. *Ioan. 3. In inventione Crucis.*

1. Venit IESVS in Samariam, & fatigatus sedit sic suprà fontem, & mulieri dixit, ut olim Helias Sareptanæ viduæ: da mihi bibere. Si scires donum Dei, & quis est qui dicit tibi, da mihi bibere, tu forsitan petiisses ab eo, & dedisset tibi aquam vivam. *Compatere* IESV *& fidem excita, & admirare judicia Dei, & electionem, & gratias age.* 2. Omnis qui bibit ex hâc aquâ, sitiet iterum, qui autē biberit ex aquâ quam ego dabo ei, non

DE SAMARITANA. *Ioan. 4 Feria 6 ante Dominicam Lætare. 3. Reg.*

sitiet in æternum: sed aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. Sed discipulis ait: meus cibus est ut faciam voluntatem ejus qui misit me. *Excita te ad obedientiam & imitare & gaudium spirituale, & rerum humanarum contemptum, quia non satiant.* 3. Veri adoratores adorant Deum in spiritu & veritate. Et cùm advocasset Samaritanos, mansit ibi, & multi crediderunt in eum. *Excita te ad charitatem & zelum hoc exemplo.* 2. *humilitatem,* 3. *amorem tantum bonitatis.*

REGVLI FILIVS SANATVR. *Ioan.4. Domin.20 post Pentec.*

1. Reguli filius infirmabatur Capharnaum; petiit itaque parens, ut descenderet & sanaret filium ejus priusquam moreretur. *Vide 1. rerum vanitatem in morte.* 2. *Charitatem excita exemplo Reguli.* 1. Cui Dominus: nisi signa & prodigia videritis non creditis, & dixit: Vade, filius tuus vivit. *Fidem excita & fiduciam, & admirare Dei potentiam.* 3. Et ecce credidit, & ibat, & intellexit quod hora 7. reliquit eum febris & credidit, & domus ejus tota. *Fidem tuam excita, ut Sunamitis, & ut vidua illa Eliæ & IESVM ama.*

4. Reg. 4. 3. Reg. 17.

DE SEDATA MARIS TEMPESTATE. *Matth. 8. Dominica 4. post Epiph.*

1. Et ascendente IESV in naviculam secuti sunt eum discipuli ejus, & motus magnus factus est in mari, ipse verò dormiebat. 1. *Admirare Dei providentiam.* 2. *patientiam animi.* 2. Accesserunt discipuli dicentes: Domine salva nos perimus. *Spem in Deo loca, gratus esto toties salvatus.* 3. Quibus ille: Quid timidi estis modicæ fidei? & imperavit ventis & mari, & facta est tranquillitas magna. *Admirare potentiam, & spem excita.*

DE PARALYTICO. *Matth. 9. Domin. 18. post Pentec.*

1. Cùm venisset IESVS Capharnaum, convenerunt ad eum ex omni castello Galilææ, & ecce offerebant ei paralyticum jacentem in lecto, & videns fidem illorum dixit: Confide fili, remittuntur tibi peccata tua. 1. *De paralysi, id est, negligentiâ conterere.* 2. *charitatem proximi eorum exemplo excita, & fiduciam in IESV.* 2. Et ecce quidam dixerunt, hic blasphemat: quibus IESVS: Quid cogitatis mala in cordibus vestris? *Compatiens IESV, & Sapientiam Dei admirare.* 3. Vt autem sciatis quia filius hominis habet potestatem in terrâ dimittendi peccata, ait paralytico; surge & tolle lectum tuum, & vade in domum tuam. Et abiit &c. *Admirare potentiam Dei, & amorem excita.*

MATTHÆI VOCATIO. *Matth. 9.*

1. IESVS vidit hominem sedentem in telonio, & ait illi: Sequere me. & surgens secutus est eum. *Tu etiam obedientiam exerce.* 2. *contemptum rerum hoc exemplo.* 2. Et discumbente

teto in domo: Ecce multi peccatores accesserunt Pharizeis murmurantibus. *Admirare bonitatem IESV, & ama.* 3. Non est, ait IESVS, opus valentibus medico. Ite, discite, quid est, misericordiam volo, non sacrificium. *Hic aperi tuos morbos & conterere. 2. Charitatem erga proximum exerce.* *In festo S. Matth.*

1. Venit Princeps ad IESVM dicens: Domine filia mea modò defuncta est, sed veni, impone manum tuam super eam, & vivet. Et surgens IESVS sequebatur eum & discipuli ejus. *Contemptum rerum humanarum excita. 2. Spem in Deo, & charitatem Christi admirare.* 2. Et ecce mulier, quæ sanguinis fluxum patiebatur, multa perpessa à medicis, & erogaverat omnia sua frustra, accessit & tetigit fimbriã & sanata fuit. cui timenti Dominus: Confide filia, fides tua te salvam fecit. *Considera peccati miseriam & conterere. 2. Spem excita. 3. amorem erga Iesum.* 3. Ejecit turbam tumultuantem, & tenuit manum puellæ, & ait: Tibi dico surge, & dixit: date illi manducare. *Admirare potentiam Dei, & amorem Dei excita, ac spem.* DE FILIÃ IAÏRI. *Matth. 9. Dominica 23. post Pent.*

1. In piscina probatica 5. porticus habente erat multitudo languentium, & Angelo movente aquam, qui prior in eam descendebat, sanus fiebat. *Admirare Dei potentiam & judicia.* 2. Erat autem ibi homo 38. annos habens, cui IESVS: vis sanus fieri? ille verò: Domine hominem non habeo. & ait illi IESVS: tolle grabatum tuum & ambula. *Excita & tu spem in Deum. 2. in obedientia te exerce.* 3. Nesciebat æger quis esset huic ergo IESVS invento in templo ait; Ecce sanus factus es, jam ampliùs noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat. *Gratiarum tu actionem pro sanitate animæ exerce, eiq; insiste. 2. humilitati. 3. charitati.* DE PARALYTICO IN PISCINA. *Ioan. 5. Feria 6. ante Dominicam 2. Quadr.*

1. Videns autem IESVS turbas, ascendit in montem & cùm sedisset, accesserunt ad eum discipuli, quos ille docuit hos octo esse beatos, pauperes, mites, lugentes, esurientes justitiam, misericordes, mundo corde, pacificos, & persecutionem patientes propter justitiam. *Admirare, & harum virtutum affectum excita, at imprimis, fidem.* 2. Hortatur ut talentis suis rectè utantur; Sic ait, luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum qui in cælis est. *Excita zelum in te, & conterere quòd secus feceris.* Ostendit se non solvere legem, sed adimplere explicatis præceptis de homicidio furto, fornicatione, perjurio, & diligendis inimicis; Ego autem dico vobis: diligite inimicos vestros, & benefacite his qui oderunt vos. *Exerce te in charitate.* DE OCTO BEATITVDINIBVS. *Matth. 5. In festo omnium SS.*

DE IVSTITIA PHARISÆORVM. *Matth 5. Dominica 5. post Pentec.*

1. Nisi abundaverit justitia vestra plusquam Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum. *Contere de tepore.* 2. Qui irascitur fratri suo, reus erit judicio: qui dixerit Racha, concilio, qui fatue, gehennæ. *Patientiam & charitatem exerce.* 3. Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris quod frater habeat aliquid adversum te, vade prius reconciliari fratri tuo. *Admirare Dei bonitatem erga nos, charitatem exerce, & obedientiam.*

DE AVARITIA FVGIENDA. *Matth 6. Dominica 14 post Pent.*

1. Nemo potest duobus dominis servire, aut enim unum odio habebit, & alterum diligit, aut unum sustinebit, & alium contemnet. *Considera Dei potentiam, & dole quòd alium serviens.* 2. Non potestis Deo servire & Mammonæ, ideò dico vobis: Nolite solliciti esse ut Gentes, quid manducetis. Respicite volatilia cæli, quoniam non serunt, considerate lilia agri. *Fiduciam in Deo loca, & amorem erga Patrem cælestem.* 3. Quærite ergò primùm regnum Dei, & hæc omnia adjicientur vobis, nolite solliciti esse in crastinum, sufficit diei malitia sua. *Contemptum rerum humanarum excita, & amorem erga providum Patrem.*

DE FALSIS PROPHETIS. *Matt. 7. Dominica 7. post Pentec.*

1. Attendite à falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestibus ovium, à fructibus eorum cognoscetis eos. *Compungere de illis admissis & peccatis. Christi amorem excita sic tuis caventis.* 2. Non potest arbor bona malos fructus facere, neque contrà. Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur, *Considera hæc, & contere de fructibus malis tuis.* 2. *Gratias age Deo pro pœnitentiæ dono.* 3. Non omnis qui dicit, Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum, sed qui facit voluntatem Patris. *Diligentiam acue, & resignationem excita.*

DE LEPROSO. *Matth. 8. Dominica 3. post Epiph.*

1. Cùm descendisset IESVS de monte, secutæ sunt eum turbæ multæ, & ecce leprosus adorabat eum, dicens: Domine si vis, potes me mundare. *Spem tu similiter in Deum pone, & resignate ejus providentiæ in omnibus.* 2. Extendens IESVS manum tetigit eum, dicens: Volo, mundare, & confestim mundata est lepra ejus. O quanto felicior Naamano Syro! *Gratias age pro sanitate animæ tuæ.* 3. Vide, ait, nemini dixeris, sed vade, ostende te Sacerdoti, & offer munus tuum quod præcepit Moyses. Accessit Centurio rogans pro servo suo, cui Dominus: Ego veniam & curabo eum. At ille: Domine

4. Reg.

Domine non sum dignus. Cui Dominus : vade & sicut credidisti, sic fiat tibi *Humilitatem exerce & spem, & verum humanarum contemptum.*

DE NAIM. *Luc. 7. Dominica 15 post Pentecost. 3. Reg 17.*

1 Et factum, deinceps ibat in civitatem quæ vocatur Naim, & efferebatur filius unicus matri suæ, & ait illi : noli flere. *Amorem Dei excita & spem in eo, item contemptum rerum humanarum.* 2. Et tetigit loculum, & qui portabant, steterunt, & ait : Adolescens, tibi dico, surge, & resedit, & dedit eum matri suæ, ut olim Helias viduæ suum. *Admirare potentiam Christi, & gaude.* 3. Accepit autem, omnes timor, & magnificabant Deum dicentes : quia Propheta magnus surrexit in nobis, &c. *Gratias age Deo pro sæpe suscitata anima tua.*

IOANNIS AD CHRISTVM LEGATIO. *Matth. 11. Dominica 2. Advent.*

1. Ioannes cùm audisset in vinculis opera Christi, mittens duos de discipulis suis ait : Tu es qui venturus es, an alium expectamus ? *Tu nullum exspecta, & amorem IESV excita.* 2. *Patientiam cum Ioanne.* 2. Et respondens IESVS ait, dicite Ioanni : cæci vident, claudi ambulant, surdi loquuntur, mortui resurgunt, & beatus est qui non fuerit scandalizatus in me. *Admirare potentiam Dei.* 2. *Fiduciam excita in malis tuis.* 3. Illis abeuntibus cœpit IESVS dicere : Quid existis in desertum videre ? arundinem vento agitatam ? Prophetam ? immò plus quàm prophetam. Hic est enim de quo scriptum : Ecce ego mitto Angelum meum, qui præparabit viam meam ante te. Non surrexit inter natos mulierum major, &c. Regnum cælorum vim patitur. *Excita contemptum laudis & rerum humanarum.* 2. *prepara viam per zelum erga proximum & charitatem.*

DE S. MAGDALENA. *Luc. 7. In festo S. Magdal. 4. Reg. 4.*

1. Rogabat IESVM quidam Pharizæus ut manducaret panem, id ut cognovit accessit Magdalena, vel ut Sunamitis illa Elizæum filio mortuo, & attulit alabastrum unguenti, & lacrymis cœpit rigare, ac osculari pedes ejus & capillis tergere, & unguento ungere. *Amorem excita erga bonitatem tantam, & conterere cum Magdalenâ, & contemptum mundi excita.* 2. Pharizæo scandalizato de eo IESVS parabolam adfert duorum debitorum quibus fœnerator dimiserat debitum, uni quingentos denarios, alii quinquaginta, & petit uter eum plus diligat ; æstimo ait, & rectè

quia is cui plus donavit. *Admirare & spem & amorem Dei excita.* 3. Tum dixit ei: Vides hanc mulierem? & commemoravit beneficia ejus, & remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. *Excita te ad diligentiam peccatricis exemplo, & amorem Dei ob ejus clementiam.*

DE CVRATO DÆMONIACO MVTO ET CÆCO. *Luc. 1. Dominica 3. Quadrag.*

1. Erat IESVS ejiciens dæmonium mutum, & dicunt: in Beelzebub ejicit dæmonia. Quibus Dominus; omne regnum divisum in se, desolabitur, si Satanas Satanam ejicit. *Compatiere IESV & patientiam exerce.* 2. Cùm fortis armatus custodit atrium, in pace sunt omnia quæ possidet: si autem fortior venerit, universa arma ejus auferet. *Admirare Dei potentiam & spem excita.* 3. Qui non est mecum contra me est, & qui non colligit mecum, dispergit. Cùm immundus spiritus exierit ab homine, si redeat assumit septem spiritus nequiores se, & fiunt novissima pejora prioribus. Tum mulier ait: Beatus venter qui te portavit &c. *Contritionem & diligentiam excita.*

PARABOLA SEMINANTIS. *Luc. 8. Dominica Sexagesim.*

1. Dominus IESVS cùm turba plurima convenirent de civitatibus dixit per similitudinem. Exiit qui seminat seminare semen suum, & aliud cecidit secus viam, & concultatum est, & comederunt illud, *IESVS seminat, dole quod sæpè sine fructu in te sit.* 2. Alius cadit in petram, & natum aruit, quia non habebat humorem, aliud inter spinas, & ille suffocaverunt illud, aliud cecidit in terram bonam, & ortum fecit fructum centuplum. *Spinas rerum humanarum contemne.* 2. *Gratitudinem exerce.* 3. *Diligentiam ut centum proferas ut Isaac.* 3. Discipulis autem explicuit dicens: vobis datum nosse mysterium. Semen ait verbum Dei, quod aliquando diabolus tollit, aliquando intentatione auditor ab eo recedit in alio sæculi curis suffocatur, alii fructum deferunt in patientiâ. *Gratias age pro fidei dono, & patientiam exerce.*

Gen. 26.

PARABOLA ZIZANIORVM. *Matt. 13. Dominica 5. post Epiph.*

1. Simile factum est regnum cælorum homini seminanti bonum semen in agro suo, cùm autem dormirent homines, venit inimicus ejus, & superseminavit zizania, & abiit. Cùm autem crevisset, apparuerunt simul. *Ad diligentiam te excita, & gratias age pro semine inspirationis.* 2. Accedentes autem servi patrisfamil. dixerunt: Nónne bonum semen seminasti? unde ergo habet zizania? & ait: Inimicus homo hoc fecit. *Imitare patientiam Dei,* 2. *in eâ te exerce.* 3. At servi dicunt: vis imus, & colligimus ea? at ille: Sinite utraque crescere usque ad messem, & tum dicam messoribus; Alligate ea in fasciculos ad comburendum, triticum autem congregate in horrea mea.

Contri-

Contritionem excita. 2. amorem erga Deum tam longanimem.

PARABOLA SINVPI ET FERMENTI, *Matth. 13. Dominica 6. post Epiph.*

1. Simile est regnum cælorum grano synapis, quod accipiens homo seminavit in agro suo, quòd minimum est, cum autem creverit majus est oleribus, & fit arbor, ita ut volucres cæli habitent in ramis ejus. *Vide ut humilitatem colas. 2. Admirare Dei potentiam in sanctis & sapientiam.* 2. Simile est regnum cælorum fermento, quod mulier abscondit in farinæ satis tribus, donec fermentatum est totum. *Humilitate tuâ tege te, & IESVM fermentum verum ama.* 3. Hæc in parabolis, & sine illis non loquebatur, seorsim autem discipulis edisserebat omnia dicens? Qui habet aures audiendi audiat. *Gratias age pro fide, & ama Deum.*

DE MISSIONE APOSTOLORVM *Matth. 10.*

1. Et convocatis discipulis suis, dedit illis potestatem spirituum immundorum & ut curarent omnem languorem, *Admirare Dei potentiam & benignitatem, & fidem excita.* 2. Docuit eos dicens: Ecce, ego mitto vos sicut oves in medio luporum. Estote ergo prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ, *Disce patientiam & prudentiam, & resignate Deo ac fiduciam in eo loca.* 3. Gratis accepistis, gratis date, nolite possidere aurum neque argentum, cùm stetteritis ante reges, nolite cogitare quid loquamini, non enim vos estis qui loquimini. *Spem excita in Deum, resignate ei, ac paupertatem & patientiam exerce, & gaude in ejus providentiâ, quâ ut vides mittit 12. quot olim erant Iacobo filii quotque olim Moyses misit exploratores.*

DE SVRDO ET MVTO. *Marci 7. Dominic. 11. post Pentec.*

1. Exiens de finibus Tyri adducunt ei surdum & mutum, & apprehenso de turbâ seorsum misit digitos in auriculas, & expuens tetigit linguam ejus, & sanavit illum. *Admirare Dei potentiam & charitatem, & eam in te excita.* 2. & præcepit ne cui dicerent; illi verò tanto magis prædicabant, populo acclamante, Bene omnia fecit, &c. *Humilitatem exerce, gratulare, & gaude in Deo.* 3. Et ascendens in montem accesserunt turbæ, habentes claudos, mutos, & surdos, & sanavit eos, mirante populo & Deum laudante. *O quanta benignitas! Spem excita ergo in Deo & amorem.*

DE SEPTEM PANIBVS. *Marci 6. Dominic. 6. post Pentec.*

1. Convocatis discipulis suis ait: Misereor super turbam, quia ecce jam triduo sustinent me. quidam ex eis de longè venerunt. 1. *Fiduciam excita.* 2. *Christi amorem eorum exemplo.* 2. Interrogavit, Quot panes habetis? qui dixerunt: septem. & præcepit turbæ discumbere, & accipiens illos pisciculos benedixit, & dedit discipulis ut apponerent. *Potentiam admirare.* 3. Et apposuerunt turbæ, & saturati sunt, & sustule-

runt septem sportas. *Admirare Dei ubique liberalitatem, & excita contemptum rerum quæ non satiant.*

CLAVES PETRO CONTINENTI PROMITTVNTVR. *Matth. 16. In festo A post Petri & Pauli.*

1. Quem dicunt homines esse filium hominis? illi vero: alii Ioannem Baptistam &c. Vos autem, ait, quem me esse dicitis? cui Petrus: tu es Christus filius Dei vivi. *fidem hanc vivifica.* 2. Beatus ait, es Simon Bar Iona, tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt. *Spem in Deo loca & gratias age quòd Pater tibi etiam filium revelaverit.* 3. Tibi dabo claves regni cælorum, quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cælis. *Admirare bonitatem & ama.*

DE TRANSFIGVRATIONE DOMINI. *Matth. 17. Dominica 2. Quadrag.*

1. Et post sex dies assumpsit IESVS Petrum, Iacobum, & Ioannem in montem excelsum, & dum oraret, transfiguratus est ante eos, & resplenduit facies ejus sicut Sol, vestimenta autem alba sicut nix. *Admirare & ama bonum IESVM & gratulare.* 2. Ecce apparuerunt ibi Moyses & Elias loquentes de excessu ejus in Hierusalem. *Gratus esto, & compatere IESV tuæ salutis memori.* 3. Petrus autem ait: Bonum est nos hic esse, faciamus hic tria tabernacula, tibi unum, Moysi unum, & Heliæ unum. Et audierunt vocem: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite. Et timentibus ait IESVS: Surgite, nolite timere, nemini dixeritis &c. *Contemne humana solatia, & gaudium in Domino excita.*

DE PRIMATV ET HVMILITATE. *Matth. 18. In festo S. Michaëlis.*

1. Quis putas major est in regno cælorum? & advocans IESVS parvulum statuit eum in medio, & ait, nisi efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cælorum. *Fidem suavam & humilitatem & diligentiam exerce.* 2. Si quis vult primus esse, erit omnium novissimus. *Audi & contemptum rerum humanarum excita.* 3. Qui susceperit unum parvulum in nomine meo, me suscepit. *Fidem hujus & charitatem hic exerce in IESVM.*

PARABOLA REGIS PONENTIS RATIONEM CVM SERVIS SVIS. *Matth. 18.*

1. Simile est regnum cælorum homini regi, qui posuit rationem cum servis suis, & oblatus ei qui debebat decem millia talenta, & jussit eum venundari, &c. *Excita contritionem de debitis tuis.* 2. *Humilitatem.* 2. At ille procidens ait: Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi, & dimisit eum. *Tu etiam gratias age Deo pro peccatorum remissione, & diligentiam excita ut omnia reddas.* 3. Egressus ille conservum tenens suffocabat

socabat eum frustrà rogantem, qui debebat ei centum denarios. Videntes autem conservi narraverunt Domino, qui tradidit eum tortoribus dicens: Nónne oportuit te misereri conservi tui? Sic faciet vobis pater cælestis, &c. *Charitatem exerce erga fratrem.* 2. *Admirare Dei in nos bonitatem & ama.*

Dominica 21. post Pentecost.

1. Cùm ingrederetur castellum, occurrerunt ei decem Leprosi à longè stantes, & dicentes: IESV, præceptor miserere nostri. *Vide morbos tuos & conterere.* 2. *Humilitatem disce.* 2. Quos ut vidit, ait, ite, ostendite vos Sacerdotibus. & factum est dum irent mundati sunt. *Obedientiæ affectum indue & humilitatis* 3. Vnus autem alienigena solus; ut se mundatum vidit, regressus dedit gloriam Deo, cui ait: fides tua te salvum fecit. *Attende Dei beneficia erga te, & gratias age, & ama.*

DECEM LEPROSI CVRANTVR. *Luc. 17. Domin. 13. post Pentec.*

1. Quis ex vobis arguet me de peccato? si veritatem dico, quare non creditis mihi? qui ex Deo est, verba Dei audit. *Fidem excita & conterere de incredulitate* 2. At Iudæi, dæmonium inquiunt, habes, & Samaritanus es. IESVS verò: non habeo, & honorifico patrem meum, & vos inhonorastis me. Est qui quærat & judicet. *Compatere IESV & patientiam disce.* 3. Numquid, aiunt, tu major es Abraham? quibus Dominus: Abraham exultavit ut videret diem meum, & antequam Abraham fieret ego sum, & tulerunt lapides ut jacerent in eum. *Admirare patientiam & exerce eam, & humilitatem & amorem.*

IESVM IN TEMPLO DOCENTEM CONANTVR LAPIDARE. *Ioan. 8. Dominica Passionis.*

1. Amen, amen dico vobis, qui non intrat per ostium, fur est. Ego sum ostium, ego veni ut vitam habeant, & abundantiùs habeant. Ego sum Pastor bonus, bonus Pastor animam dat pro ovibus suis, mercenarius autem fugit. *Admirare IESV bonitatem & amorem excita.* 2. *Contemptum rerum humanarum.* 3. *Charitatem erga proximum.* 2. Ego sum Pastor bonus, & cognosco oves meas, & voco eas nominatim, & cognoscunt me meæ, & animam meam pono pro ovibus meis; propterea diligit me Pater. *Admirare charitatem IESV, compatere illi, & resignationem exerce.* 3. Alias oves habeo quæ non sunt ex hoc ovili, illi aiebant: Dæmonium habet. *Imitare patientiam & stupesce, charitatem exerce, & gratitudinem provocatione.*

DE VERO PASTORE. *Ioan. 10. Dominica 2. post Pascha.*

DISCIPVLOS SVOS FELICES PRÆDICAT. *Matth.* 11. *In festo S. Matthæi & S. Francisci.*

1. Cùm reversi discipuli 70. dicerent, etiam dæmonia subjiciuntur nobis, ait: in hoc nolite gaudere, sed gaudete quia nomina vestra scripta sunt in cælis. In illâ horâ dixit, IESVS confiteor tibi Pater, quia abscondisti hæc à Sapientibus & revelasti ea parvulis. *Contemne res humanas.* 2. *gratias age pro vocatione.* 3. *humilitatis excita affectum.* 2. Omnia ait mihi tradita sunt à Patre meo, & nemo novit Patrem nisi filius, & cui voluerit filius revelare. 1. *Gratulare & gaude in Domino.* 2. *Gratias age pro fidei dono* 3. Venite ait, ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos. Tollite jugum meum super vos, & discite à me: quia mitis sum & humilis corde, & invenietis requiem, jugum enim meum suave est, & onus meũ leue. 1. *Confide in Domino.* 2. *resignate illi.* 3. *humilitatẽ eius & patientiam.*

PARABOLA DE SAMARITANO. *Lucæ* 10. *Dominic.* 12. *post Pentec.*

1. Et conversus ad discipulos ait: Beati oculi qui vident quæ vos videtis. multi reges voluerũt videre, & audire quæ auditis & non audierunt. *Conterere de negligentia.* 2. Et ecce quidam petiit: Quid faciendo vitam æternam possidebo? cui duo præcepta charitatis proposuit. *Admirare Dei benignitatem mandantis, & charitatem exerce.* 3. Ille verò suscipiens ait: Quis est meus proximus? cùm IESVS proposuit ei parabolam peregrini descendentis ab Hierusalem in Iericho læsi & vulnerati à Sacerdote & Levita relicti, sed à Samaritano curati oleo & vino, &c. *Gratias age Deo pro tui curâ.* 2. *resignate medico* 3. *erga eum amorem excita.*

HOSPITIO IESVS EXCIPITVR A MARTHA. *Lucæ* 10. *In Assumpt. B. Virg.*

1. Intravit IESVS in quoddam castellum, & Martha accepit eum in domum suam. *Vide an castellum sis & si non contrahe. Amorem* IESV *excita & eum invita.* 2. Huic erat soror Maria, quæ sedens secus pedes Domini, audiebat verbum illius, Martha autem satagebat & questa de sorore ait: dic illi ut me adjuvet. *Gaude in Domino, & patientiam exerce, ubique necessarium.* 3. Cui Dominus: Martha, Martha, sollicita es, & turbaris erga plurima: porrò unum est necessarium. Maria optimam partem elegit. 1. *Fiduciam in obtrectatione in Deo loca.* 2. *contemnẽ humana judica.* 3. *resignate Deo tuo.*

VIM ORANDI DISCIPVLOS DOCET JESVS. *Lucæ* 11. *In Litaniis.*

1. Cùm oratis dicite: Pater noster, *&c. Expende præstantiam orationis hujus, & percurre si libet.* 2. Simile adfert ejus cui amicus venit de viâ, & petit ab amico panes mediâ nocte, eosque propter improbitatem impetrat, & ait: Petite & accipietis, quærite & invenietis, pulsate, & aperietur vobis. Omnis qui petit accipit. *Fiduciam hic excita, & charitatẽ in* IESVM. 3. Ad-

nec-

nec Patrem filio dare pro pane lapidem, neque pro pisce serpentem, neque pro ovo scorpionem. Itaque cælestem Patrem daturum bonum spiritum petentibus se. *Considera bonitatem Dei & ama. 2. Gratias age pro beneficiis datis & acceptis, & resignationem exerce.*

PARABOLA DE LVCERNA. *Luc 11. In festo S. Martini.*

1. Nemo accendit lucernam, & ponit eam sub modio. Si oculus tuus simplex fuerit, totus corpus lucidum erit. *Excita te ad diligentiam ut Deus honoretur, & intentionem rectam.* 2. Vide; ait, ne lumen quod in te est, tenebræ sint. *Compungere de gratiis male impensis.* 3. Invitatus à Pharizæo arguit eos qui calices mundant, & quod intus est, seu cor habent plenum rapinâ & addit: Date eleemosynam, & omnia munda sunt vobis, Væ qui diligitis primas cathedras, decimatis mentham & Anethum, gravia onera aliis imponitis. *Humilitatem exerce, contemptum rerum humanarum.*

HYDROPICVS CVRATVR. *Luc. 14. Dominic. 16. post Pentec.*

1. Cùm intraret IESVS in domum cujusdam Pharisæi, ut manducaret panem, ipsi observabant eum. *Vide abstinentiam Christi & imitare, compatere illi 3. paupertatem sectare.* 2. Et ecce homo hydropicus ante illum, & respondens Pharizæis ait: Si licet Sabbatho curare? & tacentibus eis, sanavit illum, & dimisit. *Admirare Dei potentiam, contemptum rerum humanarum excita, quia non satiant, & ama IESVM.* 3. Et ait: Cujus vestrûm bos in puteum cadet, & non continuò extrahet illum? dixit verò illis parabolam, ut invitati in novissimo loco recumberent, ne jubeantur eum tenere, quia omnis qui se exaltat humiliabitur, & qui se humiliat exaltabitur. *Humilitatem exerce propter IESVM, & imitare.*

DE COENA MAGNA. *Lucæ 14. Dominica 2. post Pentec.*

1. Homo quidam fecit cænam magnam, & vocavit multos, & misit servum dicere invitatis, quia jam parata sunt omnia. *Gratias age pro vocatione.* 2. Et cœperunt simul omnes excusare, unus; villam emi, & necesse habeo videre illam. alter juga boum emi quinque, tertius, uxorem duxi, & ideo non possum venire, *Compatere Domino IESV vocanti, & conterere de negligentiâ tuâ, contemptum rerum humanarum excita.* 3. Iratus Paterfamilias dixit servo: exi cito in plateas, & pauperes, & debiles, ac claudos introduc, & iterũ misit & dixit: Compelle intrare. Nemo virorum illorum gustabit cœnam meam. *Admirare Dei bonitatem, compellentis te, & amorem excita.*

PARABOLA OVIS ET DRACHMÆ.

1. Erant Publicani & peccatores appropinquantes illi, & murmurabant Pharisæi dicentes. Quia hic peccatores recipit

&

Luca 15. Dominica 3. post Pentec.

& manducat cum eis. *Admirare benignitatem* IESV, *& ama, & appropinqua imitando.* 2. Et ait ad illos parabolam de eo, qui relictis nonaginta novem ovibus, quærit centesimam, & inventam ponit in humeros, & ait amicis: Congratulamini mihi. Ita gaudium erit in cælo super uno peccatore magis, quàm super nonaginta novem justis. *Excita hic amorem erga IESVM, gratias age quòd sic te quærat.* 3. Quæ mulier, inquit, habet drachmas decem, & si perdiderit unam, quærit donec inveniat, & cùm invenerit, convocat amicas. Ita ait, erit gaudium super uno peccatore pœnitentiam agente. *Charitatem exemplo hic excita, 2. diligentiam, & denique spem in Deum.*

PARABOLA FILII PRODIGI. *Luc 15. Sabbatho post Dominicam 1. Quadrag.*

1. Homo quidem habebat duos filios, & dixit adolescentior: Pater, da mihi substantiam, & divisit eis, & peregrè profectus dissipavit eam. *Vide dementiam, admira Dei erga te bonitatem, & ama.* 2. Et facta est fames valida, & adhæsit uni civium, qui misit eum ut pasceret porcos, & cupiebat implere ventrem siliquis, & nemo illi dabat. *Contemptum hic rerum humanarum disce.* 3. In se reversus ait: Quanti mercenarii in domo Patris mei abundant panibus. Surrexit, & cùm longè esset, accessit Pater, & incidit super collum ejus, & osculabatur eum dicentem: Pater, peccavi in cælum & coram te. Et jussit indui stolâ primâ, & annulum, & occidit vitulum indignante primogenito. *Contritionem hic excita, & amorem erga Deum tam bonum.*

INIQVI DISPENSATORIS PARABOLA. *Luc. 6. Dominica 8. post Pentec.*

1. Homo quidam erat dives; & diffamatus est villicus ejus apud illum, quasi dissipasset bona ipsius, & vocato dixit: Reddere rationem villicationis tuæ. *Timorem Dei excita, & de peccatis conterere.* 2. Ait autem villicus: quid faciam? ut cùm amotus fuero à villicatione, recipiant me in domos suas. Itaque convocatis debitoribus providit sibi & minuit debitum. *Considera prudentiam sæculi, & excita te ad fervorem.* 3. Et laudavit Dominus villicum iniquitatis, qui fidelis est in minimo, & in majori fidelis est.

DE DIVITE EPVLONE ET LAZARO PAVPERE. *Luc. 16.*

1. Homo quidam induebatur bysso, & epulabatur quotidie splendidè. Lazarus verò jacebat ad januam ejus ulceribus plenus, cupiens saturari de micis, & nemo illi dabat. *Vide, contemptum mundi excita, & patientiam amulare, & conterere de excessibus tuis.* 2. Mortuus autem est Lazarus,

tus, & portatus ab Angelis in sinum Abrahæ, similiter & dives, & sepultus est in inferno. *Vide hanc Metamorphosin, & excita te ad diligentiam & patientiam.* 3. Elevans autem oculos in tormentis, petiit ut mitteret Lazarum, ut intingeret extremum digiti sui in aquam, ut refrigeraret linguam suam, sed audiit: Fili, recordare, quia recepisti bona in vitâ tuâ, Lazarus mala, petiit verò ut mitteretur ad fratres; sed dictum illi: Habent Moysem, & Prophetas. *Elige cui similis esse velis, & fidem excita, & amorem quia hactenus parcitum tibi.*

Feria 5. Dominica 2. Quadrag.

1. Dixit IESVS ad quosdam, qui in se confidebant parabolam de Pharizæo & Publicano. Duo ascendebant in templum ut orarent, ille verò gratias agit, quòd non sit sicut cæteri hominum. *Humilitatem exerce, & fiduciam in Deo loca.* 2. Publicanus à longè stans, nolebat nec audebat oculos ad cælum levare, sed percutiebat pectus suum, dicens: Deus propitius esto mihi peccatori, & descendit justificatus in domum suam. *Admirare Dei bonitatem erga humiles.* 2. *Humilitatem exerce & contritionem.* 3. Omnis qui se humiliat, exaltabitur; & qui se exaltat, humiliabitur. *Exerce contemptum rerum humanarum, & amorem in IESVM pro te humiliatum.*

DE PHARIZÆO ET PVBLICANO. *Lucæ 18. Dominic. 10. post Pentec.*

11 Simile est regnum cælorum Paterfamil. qui exiit primò manè conducere operarios in vineam suam, conventione factâ ex denario diurno. Item hora tertia, sexta, & nona; circa undecimam dicens: Quid statis hic totâ die otiosi? *Gratias age pro vocatione. Excita te ad diligentiam, & charitatem erga vocationem.* 2. Cùm serò esset, dicit procuratori: Voca operarios, & acceperunt singuli singulos denarios. *Spem gloriæ excita & gaude* 3. Venientes autem primi murmurarunt quòd pares essent sibi qui portassent pondus diei, & æstus. quibus Paterfamilias: An non licet mihi quod volò facere? sic erunt novissimi primi, & primi novissimi. *Humilia te valdè.* 2. *Bonum patrem ama, & charitatem proximi exerce.*

PARABOLA DE OPERARIIS *Matth. 20. Dominica Septuages.*

1. Lazarus erat languens frater Mariæ & Marthæ, quæ miserunt ad IESVM, dicentes: Ecce quem amas infirmatur. ille verò, Infirmitas est pro gloria Dei, eamus ergo: Et metuebant Apostoli. quibus ille: Duodecim sunt horæ diei. Thomas verò, Eamus & nos, & moriamur cum eo. *Spem excita in*

RESVSCITATVR LAZARVS. *Feria 6. post Dominic. 4. Quadrages.*

in Deo, cum his. 2. amorem erga IESVM cum Thoma. 2. Cum Maria intellexisset IESVM venire, cecidit ad pedes ejus dicitque; Domine, si fuisses hîc, frater meus non fuisset mortuus, infremuit autem, & ait: ubi posuistis eum? & lacrymatus est, & ait: Tollite lapidem. *Compatere Domino & conterere de tuis peccatis, & imitare zelum IESV. Gratias age pro tua conversione, &c.* 3. Cum autem orasset IESVS ait voce magnâ: Lazare veni foras, & statim prodiit. at IESVS: solvite eum, & sinite abire. *Admirare Dei potentiam. 2. obedientiam disce. 3. contemptum rerum quibus ligamur.*

IESVS MORTEM SVAM APOSTOLIS PRÆDICIT. *Luca 18. Dominica Quinquag.*

1. Assumpsit IESVS discipulos secretò, & ait illis: Ecce ascendimus Hierosolymam, & filius hominis tradetur gentibus, & flagellabitur, & conspuetur, & occident eum, & tertia resurget. *Fidem excita, & compatere Domino tuo.* 2. Et ipsi nihil horum intellexerunt. *Tu ne reipsa capis? conterere de impatientia, & imitari IESVM propone.* 3. Cùm autē appropinquaret Iericho, cæcus clamabat, licet increparent eum: IESV fili David miserere mei. Stans autem IESVS jussit illum adduci ad se, & Dominus ait: Quid vis ut faciam tibi? Respondit, ut videam, & ait: respice, fides tua te salvum fecit. *De cœcitate tua conterere, admirare Dei potentiam & amorem in eum excita.*

FILIIS ZEBEDÆI PRIMATVM CHRISTVS NEGAT. *Matth. 20. in festo S. Iacobi.*

1. Mater filiorum Zebedæi petit, ut filii duo sedeant unus à dexteris, alter à sinistris. Quibus Dominus: Nescitis quid petatis. *Humilitatem disce & resignationem.* 2. Petiit, potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum? dicunt ei, possumus. Sed ille: bibetis quidem, sedere autem à dextris non est meum dare vobis. *Resigna te Deo, & patientiam exerce.* 3. Indignantibus aliis ait: qui voluerit inter vos primus esse, sit vester minister, sicut filius hominis non venit ministrari, sed ministrare. *Imitare IESVM, & conterere de superbia.*

DE ZACHÆO. *Luc. 19. In dedicatione templi.*

1. IESVS perambulabat Iericho, & Zachæus princeps Publicanorum quærebat videre IESVM, & non poterat præ turbâ, quia pusillus erat. *Excita contemptum rerum humanarum, & amorem Christi.* 2. Et ascendit in arborem Sicomorum, & cùm eò venisset IESVS, suspiciens dixit: Descende, quia hodie in domo tuâ oportet me manere, & festinans descendit & excepit illum gaudens. *Admirare benignitatem. 2 gaude quod Deus ad te veniat IESVS.* 3. Et murmurabant quòd ad peccatorem divertisset. Stans autem Zachæus ait: Ecce dimidium bonorum meorum do pauperibus, &c. Et Dominus, Salus domui huic facta est, eò quod & ipse sit filius Abrahæ, venit enim filius

lius quærere & salvum facere quod perierat. *Conterere etiam de peccatis tuis, 2. Imitare Deum in zelo. 3. Amorem excita erga illum.*

IESVS ASINO INSIDET, ET FLET SVPER HIERVSALEM. *Matth. 21. Dominica in Palmis post Pentec.*

1. Cùm appropinquaret IESVS Hierosolymis, missis discipulis asinam, & pullum adduci jussit, mandans ut dicerent: Dominus his opus habet: *Admirare Dei potentiam & imperium. 2. Conterere de inobedientiâ.* 2. Adducunt verò discipuli asinam, & vestimenta imponunt. Cùm autem Hierosolymam appropinquasset, flevit super illam, & ait: Quia si cognovisses & tu, & quidem in hâc die tuâ, quę ad pacem tibi, quia venient inimici tui, & prosternent te, eò quòd nõ cognoveris tẽpus visitationis tuæ. Ex ore infantium perfecisti laudem. &c. *Hic excita contritionem & spem dum tempus est.* 3. Alii sternebant vestimenta in viâ, ramos alii, acclamabant turbæ: Hosanna filio David, benedictus qui venit in nomine Domini. *Contemptum hic vestium, id est, rerum humanarum excita, & gaudium in Deo.*

IESVM VIDERE CVPIVNT GENTILES. *Ioan. 12. In festo S. Laurentii.*

1. Gentiles aiunt Philippo: volumus IESVM videre. Tum verò IESVS: Amen, amen dico vobis, nisi granum frumenti mortuum fuerit, ipsum solum manet, si autem, multum fructum adfert. 1. *Amorem* JESV *excita*, 2. *diligentiam in spiritualibus.* 2. Qui amat animam suam perdet eam, & qui odit, custodit eam. Si quis mihi ministrat, me sequatur. *Cõtemptum tui, & rerum humanarum exerce & imitationis* IESV *desiderium.* 3. ait, nunc anima mea turbata est, & quid dicam? Pater salvifica me ex hâc horâ, & clarifica nomen tuum: Et vox de cælo audita est: Clarificavi & clarificabo. *Compatere Domino. 2. fiduciam in eo loca.*

PARABOLA DE NVPTIIS FILII REGIS *Matth. 22. Domin. 19. post Pentec. Esther 1.*

1. Simile est regnum cœlorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo, & misit servos suos dicere: Ecce prandium meũ paratum est. *Fidem excita*, 2. *gratias age pro invitatione.* 1. Illi autem neglexerunt & abjerunt, alius in villam, & reliqui tenuerunt servos ejus, & contumeliis affectos occiderunt. *Admirare & imitare Dei patientiam.* 3. Rex cùm audisset misis exercitibus perdidit illos. Et cùm quoscumque invenisset, iussisset vocari ad nuptias, venit Rex, & homini non habenti vestem nuptialem ait: Amice, quomodo huc intrasti? & jussit eum mitti in tenebras exteriores. Multi enim sunt vocati pauci verò electi. *Vide charitatis precium, dole de tepore. 2. humilitatem exerce, & diligentiam excita.*

DE TRIBVTO CÆSARI PENDENDO.

1. Pharisæi volentes capere IESVM in sermone aiunt. Magister, scimus, quia verax es &c. licet censum dare Cæsari an non? *Compatere bone* IESV. 2. *fidem excita quia verax est.*

2. Qui-

Matth.22. Domin. 22. post Pentec.

2. Quibus IESVS. Quid me tentatis hypocritæ? ostendite mihi numisma census. *Tu animam ostende insignitam Dei imagine, & dole de fœdatâ.* 3. At illi obtulerunt ei denarium. Cujus ait, est hæc imago & superscriptio? dicunt ei: Cæsaris. Reddite ergo, ait, quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo. *Conterere de solutione malignâ tuâ, & gratias age Domino pro beneficiis.*

DE PRIMO MANDATO. *Matth.22. Domin.17. post Pentec.*

1. Legis Doctor petit à IESV, quod sit mandatum magnum in lege. ait ille: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, &c. *Amorem Dei jussis exerce.* 2. Secundum autem simile huic: Diliges proximum tuum sicut ipsum. In his duobus universa lex pendet & Prophetæ. *Charitatem hanc exerce, & conterere de defectu.* 3 Diligere proximum majus est omnibus holocautomatibus & sacrificiis. Ait IESVS. Non es longè à regno Dei. *Appende charitatem, & dulcò exerce.*

VITIA PHARISÆORVM INSECTATVR CHRISTVS. *Matth.23. In festo S. Stephani Protom.*

1. Ecce ego, ait IESVS, mitto ad vos Prophetas, & ex illis occidetis, &c. Vt veniat super vos omnis sanguis justus. 1. *Compatere Domino.* 2. *Ad patientiam te exerce.* 2. Jerusalem, Ierusalem, quæ occidis Prophetas, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos sub alis. *Attende longanimitatem & ama.* 2. *Obedientiam exerce & diligentiam.* 3. Respiciens viduam, quæ mittebat duo minuta: Amen, ait, quia hæc plus omnibus misit. *Vide affectu omnia metienda esse, & compungere, & tam benigni Domini amorem excita.*

DE IACTATIONE ECCLESIÆ VLTIMO CHRISTI ADVENTV. *Lucæ 21. Dominica 1. Adventus.*

1. Erunt signa in Sole & Luna, & in terris pressura gentium arescentibus hominibus præ timore, & tunc parebit signum filii hominis, & plangent omnes tribus terræ. 1. *Fidem, 2. Contritionem, 3. Spem excita.* 3. Et videbunt Filium hominis venientem in nubibus cæli, & mittet Angelos cum tubâ & voce magnâ, & congregabunt electos ejus à summo cælorum usque ad terminos eorum. *Admirare Dei potentiam in resurrectione.* 2. *Humilia te valdè.* 3. *Confide in Domino.* 4. A arbore autem fici discite parabolam. Cùm jam ramus ejus tener fuerit: scitis quia prope est æstas: ita cùm hæc videritis, scitote quia propè est. Cælum & terra transibunt, verba autem mea non præteribunt. *Fidem 1, excita, 2. Diligentiam. 3. Amorem erga Deum præmonentem.*

1. Sim-

1. Simile est regnum cælorum decem Virginibus quæ accipientes lampades suas, exierunt obviam sponso & sponsæ, quinque fatuæ erant, quinque prudentes. Illæ verò non sumpserunt oleum secum. 1. *Attende, & dum tempus est diligentiam exite.* 2. *Contemne res humanas.* 2. Media nocte clamor factus est: Exite obviam ei. Fatuis autem oleum petentibus, negarunt sapientes, & dum irent emere, quæ paratæ erant intrarunt, & clausa est janua. 1. *Dole de tempore perdito* 2. *Prospice in futurum* 3 Novissimè veniunt illæ & audiunt: Nescio vos. Vigilate itaque quia nescitis diem neque horam *Diligentiam excita, & æternitatem appende.*

PARABOLA DE DECEM VIRGINIBUS. *Matth. 25. De Virgine Martyre.*

1. Homo peregrè proficiscens vocat servos suos, & uni dedit quinque talenta, alii duo, alii unum. 1. *Gratias age Deo.* 2. *Resigna te Deo.* 2 Abiit qui quinque acceperat, & lucratus est alia quinque, qui duo alia duo, qui unum fodit in terram, & cùm rediisset Dominus rationem posuit, & collaudans sedulos, ait: *Euge serve bone & fidelis,* 3. Inutilem autem servum increpitum ejecit in tenebras exteriores, & ait: Tollite ab eo talentum, & dare ei qui decem habet, omni enim habenti dabitur. *Timorem Domini excita.* 2. *Diligentiam & spem in Domino.*

PARABOLA DE TALENTIS. *Matth. 25. De confessore Pontifice.*

1. Non turbetur cor vestrum neque formidet: Creditis in Deum, & in me credite. In domo Patris mei mansiones multæ sunt. *Spem in Deo & fidem excita, & resignationem* 2. Vado parare vobis locum, cùm verò dicerent se viam nescire, ait: Ego sum via, veritas & vita. *Amorem* IESV *excita & gratitudinem, & amorem in* IESVM 3. Et Philippo petenti ostendi Patrem ait: Qui videt me, videt & Patrem meum, quia ego in Patre, & Pater in me est. Qui credit in me, opera quæ ego facio & ipse faciet, & majora his. *Fidem excita & amorem.*

APOSTOLOS TRISTES CONSOLATVR IESVS. *Ioan. 14. In festo SS. Apost. Philippi & Iacobi.*

1. Si quis diligit me, sermonem meum servabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. 1. *Fidem excita.* 2. *spem.* 3. *charitatem.* 2. Paraclitus Spiritus sanctus quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, quæcumq; dixero vobis. *Amorem Spiritus sancti excita, & obedientiæ affectum.* 3. Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis. non turbetur cor vestrum, neque formidet. Vado, & venio ad vos. *Fiduciam excita, & in Deum amorem.*

DE SPIRITVS. CONSOLATORE ET DOCTORE. *Ioan. 14. In festo Pentecostes.*

DE VITE, AGRICOLA, ET PALMITE. *Ioan.15. de Martyre.*

1. Ego sum vitis vera, & Pater meus agricola est. Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum, & ferentem purgabit. 1. *Gratias age pro fide.* 2. *conterere de parvo fructu.* 3. *resigna te.* 2. Manete in me, & ego in vobis. Non potestis ferre fructum nisi in me manseritis, quia sine me nihil potestis facere. 1. *Amorem Dei excita,* 2. *humilitatem & diligentiam.* 3. Si manseritis in me, & verba mea in vobis, quodcumque volueritis petetis, & fiet vobis. *Fiduciam excita, & amorem in tam benignum Dominum.*

AFFLICTIONES PROPTER CHRISTVM. *Ioan.15. In festo Simonis & Iuda.*

1. Hæc mando vobis ut diligatis invicem. Si mundus vos odit, scitote quia me priorem odio habuit. ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus. *Charitatem excita, & contemptum mundi, & gratias age pro vocatione.* 2. Non est servus major Domino suo; si me persecuti sunt & vos persequentur. *Imitare* IESVM *& ad patientiam dispone te.* 3. Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent, nunc autem excusationem non habent. *Gratias age pro donis Dei, & conterere.*

CVR MANIFESTAVERIT IESVS PERSECVTIONES APOSTOLORVM. *Ioan.15. & 16. Dominica infra Octavam Ascen.*

1. Cùm venerit Paraclitus quem ego mittam vobis à Patre, ille testimonium perhibebit de me, & vos testimonium perhibebitis, quia ab initio mecum estis. *An vitâ id tuâ facis? dole ergo, gratias age pro dono Spiritus sancti.* 2. Hæc locutus sum vobis ut non scandalizemini; absque synagogis facient vos & venit hora, ut omnis qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo. *Admirare providentiam, resigna te, & patientiam exerce.* 3. Et hæc facient vobis, quia non noverunt Patrem, neque me, sed hæc locutus sum vobis, ut cùm venerit hora eorum, reminiscamini. *Gratias age pro fide & resigna te Deo.*

DE SPIRITV SANCTO QVI MVNDVM ARGVET ET DOCEBIT. *Ioan.16. Domin 4. post Paschatis.*

1. Vado ad eum qui misit me, & nemo ex vobis interrogat me quo vadis, sed quia hæc locutus sum vobis, tristitia implevit cor vestrum. *Compungere, quod non doluerit abeunte* IESV. 2. *Resigna te in omnibus.* 2. Expedit vobis ut ego vadam, si enim non abiero, paraclitus non veniet ad vos. Cùm autem venerit, arguet mundum de peccato, de justitia, & de judicio. *Fidem excita & amorem, & gratitudinem erga tam liberalem Deum.* 3. Cùm venerit ille docebit vos omnem veritatem. Adhuc habeo multa vobis dicere, sed non potestis portare modò. non enim loquetur à semetipso, sed quæcumque audiet loquetur, & ventura annuntiabit vobis. *Vide benignitatem* IESV, *& ama, gratias age pro Spiritu sancto.*

1. Mo-

2. Modicum & jam non videbitis me, & iterum modicum & videbitis me: quia vado ad Patrem, *Vide vanitatem mundi & contemne.* 2. *Resigna te Deo.* 2. Et volentibus interrogare ait: Amen, amen dico vobis, quia plorabitis & flebitis vos, mundus autem gaudebit, sed tristitia vestra vertetur in gaudium. Mulier cùm parit tristitiam habet, &c. *Excita te ad verum gaudium & patientiam & resignationem.* 3. Et vos igitur tristitiam habetis: iterum autem videbo vos & gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum nemo tollet à vobis. *Spem excita & amorem erga* IESVM.

AFFLICTIONES IN PRÆDICANDO EVANGELIO. *Ioan. 16. Dominica 3. post Pascha.*

1. Amen amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis; petite & accipietis ut gaudium vestrum plenum sit. *Fiduciam in bono Domino excita & gaudium.* 2. Venit hora cùm jam non in proverbiis loquar. In illo die in nomine meo petetis, & non dico vobis; quia ego rogabo Patrem de vobis. Ipse enim Pater amat vos, quia vos me amastis. *Charitatem exerce & spem, & resigna te Deo.* 3. Exivi à Patre, & veni in mundum, iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem. *Admirare Dei bonitatem & ama* IESVM.

QVOMODO PETENDVM. *Ioan. 16 Dominica 5. post Pascha.*

1. Et cùm transisset Sabbathum, tres mulieres emerunt aromata, ut venientes ungerent IESVM, & valdè manè veniunt ad monumentum orto jam Sole. *Excita te ad diligentiam hoc exemplo.* 2. Et dicunt; quis revolvet nobis lapidem? & viderunt revolutum. *Fiduciam in Deo loca.* 3. Et introeuntes viderunt juvenem, sedentem in dexteris coopertum stolâ cãdidâ. Ille verò: nolite expavescere. IESVM quæritis? non est hic. Ecce locus ubi posuerunt eum. Ite dicite discipulis: præcedet vos in Galilæam. *Cur non alibi? resigna te Deo, & amorem excita.*

RESVRRECTIO CHRISTI MANIFESTATVR. *Marci 16. In festo Pascha.*

1. Abeuntibus mulieribus mansit Maria, & stabat plorans & inclinavit se & prospexit in monumentum, & vidit duos Angelos in albis, qui dicunt ei: Mulier quid ploras? dicit eis, quia tulerũt Dominũ meum & nescio ubi posuerunt eum. *Contere de amisso Domino tuo, & persevera & amorem excita.* 2. Hæc cùm dixisset conversa retrorsum vidit IESVM, qui ait: mulier quid ploras? quem quæris? illa verò Domine, si tu sustulisti eum, dicito mihi, ubi posuisti eum, & ego eum tollam, & dicit ei IESVS: Maria, & agnoscitur, sed ait: nolime tangere. vade ad fratres meos & dic eis. *Admirare Dei bonitatem in peccatricem, & ama, & diligentiam spiritualem exerce.* 3. Et cùm

DE APPARITIONE SANCTÆ MAGDALENÆ. *Ioan. 20. Feria 5. post Pascha.*

ipsa cum alijs iret, iterum apparuit & dixit: Avete. Illæ autem accesserunt & tenuerunt eum, quibus ait: Nolite timere, ite dicite fratribus meis ut eant in Galilæam, *Gaude in Domino, confide in illo, & resigna te.*

DE APPARITIONE FACTA DISCIPVLIS EVNTIBVS EMAVS. *Lucæ 24. Feria 2. post Pascha.*

1. Duo ibant ab Hierusalem in Emaus, dum loquuntur de morte IESV, accessit, petijtque. Qui sunt hi sermones? Cui unus, tu solus peregrinus es in Hierusalem, & hæc ignoras? Et ait, Quæ? & narravit ei quæ passus erat & de Angelorum visione. *Admirare & imitare benignum IESVM & ama.* 2. O stulti ait, & tardi corde ad credendum, nónne oportuit Christum pati, & ita intrare in gloriam suam? & interpretabatur scripturas, & cor eorum ardens erat. *Gratias age Domino pro redemptione, & vehementer eum ama.* 3. Et cùm appropinquaret castello, finxit se longiùs ire, sed coegerunt illum, dicentes: Mane nobiscum Domine, quoniam advesperascit. Et intravit cum illis, & cognoverunt eum in fractione panis, & eâdem horâ regressi sunt. *Amorem excita IESV.* 2. *Gratitudinem.* 3. *Spem in eum, si quando advesperascit.*

IESVS ABSENTE THOMA APOSTOLIS APPARET. *Ioan. 20. Dominica in Albis.*

1. Cùm serò esset, & fores clausæ, & discipuli congregati propter metum, venit IESVS & stetit in medio eorum, & dixit: Pax vobis; & ostendit eis manus & latus. *Fidem vivifica, & charitatem erga* IESVM. 2. Dixit: sicut misit me Pater. Ita ego mitto vos, & insufflavit & ait: Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, &c. *Gratias age pro dono hoc, & benignitatem Dei sic condonantis excita amorem.* 3. Thomas non erat cum eis, & incredulus erat, post dies octo iterum stetit in medio, & dicit Thomæ; Infer digitum tuum huc, & vide manus meas. & noli esse incredulus, sed fidelis. cui Thomas: Dominus meus, & Deus meus. *Tu etiam zelum & charitatem exhibe fratri, & ama Dominum.*

IESVS AD MARE DISCIPVLIS SEPTEM APPARET. *Ioan. 21. Feria 4. post Pascha.*

1. Manifestavit se IESVS ad mare. Cùm enim Petrus ivisset piscari; & alij nocte nihil prendissent, mane facto stetit IESVS in littore. *Diffide tibi, & soli fide Deo, & spera auxilium a Domino.* 2. ait: Mittite in dextram rete, & non valebant illud trahere præ multitudine. *Obedientiam excita, & gaudium in Domino, & admirare potentiam.* 3. Petrus videns Deum misit se in mare, & deinde ait IESVS: Venite & prandete, & divisit eis panem, &c. *Fiduciam imitare Petri.* 2. *Benignitatem admirare, & ama IESVM.*

3. Cùm

1. Cùm prandissent dicit IESVS ter Simoni Petro: Diligis me plus his? cui ait, etiam Domine, tu scis quia amo te. Cui ait bis: Pasce agnos meos, tertiò verò Pasce oves meas. *Excita te ad amorem Domini & charitatem proximi tui.* 2. Cùm esses junior, cingebas te, & ambulabas ubi volebas: cùm autem senueris, extendes manum tuam, & alius te cinget, & ducet quò tu non vis, indicans quâ morte esset clarificaturus Deum, & dicit ei: Sequere me. *Resigna te Domino, & ad patientiam exerce.* 3. Petrus de Ioanne sollicitus ait: Hic autem quid? cui IESVS: Quid ad te tu me sequere. *Resignationi & amori & imitationi insiste.*

S. PETRO IESVS OVES COMMENDAT. *Ioan. 21. In Vigiliâ SS. Apostolorum Petri & Pauli.*

1. Quod toties IESVS promiserat, tandem in monte apparuit suis plusquam quingentis, & ait: Data est mihi omnis potestas in cælo & in terrâ. *Gaude, gratulare, & ama.* 2. Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos, &c. Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit. *Fidem excita, & Zelum.* 3. Signa autem eos qui crediderint, hæc sequentur: In nomine meo dæmonia ejicient, linguis loquentur novis, serpentes tollent, & si mortiferum quid biberint, &c. Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi. *Fidem excita.* 2. *Amorem* IESV *ex ejus præsentia, ut cum illo etiam semper sis.*

OSTENDIT SE CHRISTVS DISCIPVLIS IN MONTE GALILÆÆ. *Matth. 28. In festo SS. Trinitatis.*

2. Novissimè recumbentibus discipulis apparuit illis IESVS, & exprobravit incredulitatem eorum. *Respice Domini benignitatem & fidem excita.* 2. Hæc ait sunt verba quæ locutus sum ad vos cùm essem vobiscum. quoniam necesse est impleri omnia quæ scripta sunt. *Fidem iterum excita, & gratitudinem quòd impleverit* IESVS *omnia pro te.* 3. Tunc aperuit illis sensum, ut intelligerent Scripturas, & postquam locutus est assumptus est in cælum, & sedet à dextris Dei. *Gratulare Domino, & amorem excita, & fiduciam, & illi toto corde, mente, & viribus adhare. Vive & merere.*

DE ASCENSIONE CHRISTI. *Marci 16. In festo Ascensionis.*

CAPVT IV.

Exercitium de magno perfectionis desiderio excitando.

PRÆLVDIVM I. Considera te coram Domino cum Moyse in excelso monte, unde videas hominum studia vanissima & magna molimina, ut in hâc vitâ beati sint honore, opibus, &c.

ORATIO, ut tanto desiderio etiam accendi possis ad perfectionem.

O utinam tantùm studeres virtuti quantum studetur scientiis!

Perfectio est sapientia.

PVNCTVM I. Considera quanto, quàm longo & assiduo labore ac sudore mortales scientijs operâ dent, & cognitioni creaturarum, cùm tamen qui addit scientiam, addat dolorem. Nónne autem perfectio, vera est sapientia, quâ homo Deum, & se cognoscit; & humana atque divina jura non tantùm novit, sed etiam exequitur? & tamen piget te modicum pro eâ laborare. Secundò, quantum laborent atque impendant, ut sanitatem discant conservare, & conservent homines: sæpè, ut illa in Euangelio, omnem frustrà perdunt substantiam suam. At verò sapientia & perfectionis studium non tantùm medicinam animæ docet, sed per illam homo perfectam sanitatem consequitur. Tertiò, cogita, si libet, quid quæque scientia & ars, cui insudât homines, iis præstet, & omnia invenies sapientiæ convenire. unde gloriabatur de eâ Propheta dicens, Ecce enim veritatem dilexisti, incerta & occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi. Illius inquam sapientiæ, cujus comparatione sapientia mundi stultitia est. Invenies autem eam, si prioris vitæ peccata defleas, si hujus sæculi desiderabilia parvipendas, si æternam beatitudinem toto desiderio concupiscas. Neq; pigeat laboris, aut difficilem putes. Clara est enim, & quæ numquam marcescit sapientia; & facilè videtur ab his qui diligũt eam, & invenitur ab his qui quærunt eam. Cogitare de illâ sensus est consummatus: & qui vigilaverit propter illam,

Perfectio est sanitas.

Quid scientia præstet.

Psalm. 50.

1. Cor. 2.

Bernard.

Sap. 6.

Perfectio facilis.

illam citò securus erit. *Aspira*, ut sup. pag. 8. *Hæccine firmâ fide, &c.* ibidem.

PVNCTVM II. Considera verba illa Salvatoris: Quæ mulier habēs drachmas decem, & si perdiderit drachmam unam, nónne accendit lucernam, & everrit domum, & quærit diligenter donec inveniat? Drachma hæc, perfectio est, signata Dei imagine: quia perfectio est quædam Dei similitudo. *Hæccine vera*, ut suprà p. 7. Dicit Sapiens: Pecunię obediunt omnia. Perfecto viro terra, mare, aër, ignis, sol, mors ipsa paret, cùm his omnibus aliquando perfecti imperârint. vide ergo quanti facere eam oporteat. O quanto prudentiores sunt filii hujus sæculi, filiis lucis in generatione suâ! Considera Secundò verba illa: Simile est regnum cælorum homini quærenti bonas margaritas, & inventâ unâ pretiosâ, vendit omnia quæ habet, & emit eam. una enim talis continet immensas opes: non gravat tamen, sed ornat, ac beatum facit. Illa verò est perfectio, de quâ dici potest, Preciosior est cunctis opibus, & omnia quæ desiderantur, huic non valent comparari. Vel, ut ait Augustin. Hæc margarita preciosa, est charitas, sine quâ nihil tibi prodest quodcumque habueris, quam si solam habeas sufficit tibi. Ut autem margarita rore cælesti gigni dicitur; ita perfectio, magna Dei misericordiâ obtinetur. Credis tanti esse illam? ergo vide quid pro eâ præstes. *Credo tibi, &c.* ut sup. pag. 7. Considera Tertiò, perfectionem similem esse thesauro abscondito in agro, quem qui invenit homo, abscondit, & præ gaudio illius vadit, & vendit universa quæ habet, & emit agrum illum. hîc est perfectio. Infinitus enim thesaurus est hominibus; quo qui usi sunt, participes facti sunt amicitiæ Dei. Nónne sapientia (quo nomine perfectio appellatur) meritò exclamat: Mecum sunt divitiæ & gloria, opes superbæ & justitia. Et verè, melior est perfectionis fructus auro, & lapide precioso, & genimina ejus argento electo. Fideli enim totus mundus

Luca 15.

Perfecto omnia parent.

Eccles. 10.

Hebr. 11.

Luc. 15.

Matth. 13.

Prov. 3.

August. in 13. Ioan.

Matth. 13.

Perfectio thesaurus.

Sap. 7.

Prov. 8.

Philip. 4. possessio est. Thesaurizemus nobis hunc thesaurum in cælo, ubi neque ærugo, neque tinea demolitur, & *Matth. 6.* ubi fures non effodiunt, neque furantur. sed memi- *Matth. 11.* rimus, hanc abscondi à sapientibus & prudentibus, & revelari parvulis.

O Pater æterne, ut infrà pag. 793.

Perfectio regnũ Dei. Rom. 14. PVNCTVM III. Considera Primò, perfectionem verè esse regnum Dei, quod quotidie in oratione Dominica postulamus. Non est enim regnum Dei esca & potus; sed justitia, & pax in Spiritu sancto. Regnum Dei illud dicitur, per quod Deus in nobis regnat, ut D. Ioannes exponit. Reges autem verè sumus, si perfecti sumus, ut D. Chrysostomus multis declarat; quia verè perfectione virtutis regnum Dei intra nos est: & sicut in cælo Deus videtur perpetuumque ibi est gaudium, corpora impassibilia claraque sunt, agilia, subtilia, ac velut ibi Sancti filii Dei & amici liberi satiantur *Perfectio est beatitudo.* ab ubertate domus Dei; ita etiam aliquâ ratione perfecti, hæc in animâ suâ experiuntur. Magno ergo ar- *Matth. 11.* dore ad illud regnum tendamus: regnum enim cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. *Hæc ine vera*, ut sup. pag. 7. Considera Secundò, perfectionem nos constituere Dei amicos. quod declaratur ipsius æternæ *Ioan 15.* Sapientiæ verbis: Vos autem dixi amicos, quia omnia quæ audivi à Patre meo, nota feci vobis. Quid non agunt homines ut amici Regis sint? quid verò tu agis, ut *Vis esse Dei amicus & filius? ecce potes.* Dei fias? quid omittis, ut ei placeas? Nec amicos tantùm perfectio constituit, sed filios Dei; ideoque imitari Patrem cælestem sic monemur, Estote perfecti, sicut Pater vester cælestis perfectus est. Immò etiam animas sponsas filii Dei efficit, ut toto libro Canticorum manifestè ostenditur. *Aspira*, si libet, ut sup. pag. 8. *Hæc ine firmâ* ibid. Considera Tertiò, quantam hic pacem, delicias, familiaritatem cum Deo, quantam hîc & in cælis gloriam perfectus habeat. Quæ omnia quantum, Deus bone, desiderium in nobis excitare deberent!

Con-

Concupiscentia enim sapientiæ deducet ad regnum perpetuum. Optavi, ait Salomon, & datus est mihi sensus; invocavi, & venit in me spiritus sapientiæ, Postremò vide, quæso, vide ô mi frater quid sit quod te, quod me, ne potiamur regno, thesauro illo, & bonis omnibus, impediat, & ferè deprehendes esse rem parvam, affectum erga aliquid creatum. Compara, & expende hæc cum perfectione, & statue firmiter magnâ voluntate ad eam incumbere. Sap. 7.

Oratio pro perfectionis desiderio augendo.

O Pater æterne, dixisti mihi: Ambula coram me, & esto perfectus. Sed, eheu! quamdiu lacerabo carnes meas, & animam meam portabo in manibus meis? quamdiu laborabo, ut fodiam mihi puteum, quem appellare possum Abundantiam gratiæ, & charitatis tuæ ut sitim meã expleam, & tuam dulcissime Domine mi sitientis in arâ crucis salutem meam? quando veniam, & accedam ad te fontem aquæ vivæ, & non sitiam amplius in æternum? Ecce sicut oculi servorum in manibus dominorum suorum; sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ; ita oculi nostri ad te Dominum Deum nostrum, donec miserearis nostri. Psal. 121.

Sed ecce, audio: Exspecta Dominum, & viriliter age. O amator hominum, quando venies? quando venies: ô veni, veni, & noli tardare. Etenim jam concupivit anima mea desiderare justificationes tuas in omni tempore. Et ecce, apparebo tibi in terrâ desertâ, inviâ & inaquosâ, ut videam virtutem tuam, & gloriam tuam & suscipiam te in medio templi tui, id est cordis mei, & gaudebo in Deo JESU *meo. Si enim tu esurientes reples bonis, ecce esurio: satia, Domine, animam inanem, & animam esurientem satia bonis tuis. Si mœstos solaris, Deus totius consolationis, ecce fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi; Vbi est Deus tuus? & hæc recordatus sum, & effudi in me animam meam, & ecce venis & quæris me replere benedictione tuâ si tamen voluero.* Applicatio ad Communionẽ. Psal. 118.

O quæ cœcitas mentis meæ! quæ ignavia voluntatis meæ! quid enim me impedit quo minùs sim felix, & verè beatus, & te

amem? Ecce, Domine, amor mei, & creaturæ N. me retinent, & miserum ac infelicem constituunt. Adjuva me, ô virtus mea.

Baruch. 3. *Quare obliviscéris inopiæ meæ, & tribulationis meæ? Deduc me, Domine, in viam, & doce me, ubi sit sapientia. Quis enim ascendit in cælum, & accepit eam de nubibus? quis transfretavit mare, & invenit illam? non est qui possit scire vias ejus. Doce me, ubi sit thesaurus absconditus, & margarita preciosa, ob quam merito omnia bona vendam, & quasi nihilum despiciam; tu es thesaurus meus, & in te proinde est cor meum. O quàm beatus vir homo est, qui te invenit & sapientiam, & perfectionem consequitur: & melior est acquisitio ejus, negotiatione auri & argenti primi & purissimi. Fructus ejus preciosior est cunctis opibus, & omnia quæ desiderantur, huic non valent comparari. Super salutem & speciem dilexi illam, & proposui pro luce habere illam, quoniam inexstinguibile est lumen ejus; & venient mihi omnia bona pariter cũ illa, & innumerabilis honestas per manus illius. Tu, inquam venies, venies ad me, & spero, spero mansionem apud me facies, & habitabis in tabernaculo cordis mei; & exultabo & lætabor in te, & diligam te in toto corde meo: quod est unicum desiderium meum; regnum, quod peto; thesaurus, quem quæro; margarita, quam emere concupisco; beatitudo, ad quam tota corde suspiro. Amen.*

Praxis pro Desiderio perfectionis augendo.

Bernard. de ordine vitæ. Minima sunt vitanda.

PRima. Statue firmiter perfectionem sequi, & vim inferre regno cælorum, atque voluntatem istam perpetuò adauge. Cave autem sedulò, ut Bernard. monet, minora vitia, ut majora; quia à minimis incipiunt, qui in maxima proruunt; & minima etiam lucra consectari, maximus quæstus est; omni enim habenti dabitur.

Creata ad perfectionem invitant.

Secunda. Vide, ut sæpè dixi, omnia creata, & considera, ut illa te ad perfectionem invitent, illius desiderium in te augeant, & velut dona ferant, quibus, ex parte Dei, ad illum te pelliciant.

Colloqui spiritualis utilitas. Bern. serm. 14. in Cant.

Tertia. Frequenter age cum viris spiritualibus, & colloquia pia sere. Nam uti in meditatione, sic in colloquio exardescit ignis, ut egregiè Bern. Cùm enim perfectionem quæreret, & in quo recalesceret spiritus, dormitabat, ait, anima mea; multi-

ſcans ſecum illud. A facie frigoris ejus quis ſuſtinebit ? cùm ſubitò fortè ad affatum, vel etiam aſpectum cujuſdam ſpiritualis perfectique viri interdum, & ad ſolam defuncti ſeu abſentis memoriam flabat ſpiritus, & fluebant aquæ. Nimias tamen familiaritates vita

Quarta. Deſideria à Domino immiſſa, annota: & quæ olim habuiſti fervida, cùm remiſſior eſt animus, recole. *Piæ deſideria annota.*

Quinta. Conſtitue tibi aliquem, aut plures, quos in variis virtutibus imiteris; ut de Sancto Antonio commemoratur. Hoc monet Eccleſiaſticus dicens: In partes vade ſæculi ſancti, cum vivis & dantibus confeſſionem, id eſt, mortuorum ac vivorum exemplis, te ad perfectionem ſtimula. *Eccli. 17.* *Exempla tibi propone.*

Sexta. Diligenter obſerva inſpirationes divinas, & audi quid loquatur in te Dominus: atque ad hoc vide, ut totum te rebus non tradas, ſed commodes, neque in iis nimiùm occupari te ſinas. *Occupationes nimias vita.* *Dignatus es,* ut ſup. pag 10.

JACVLATORIÆ.

Sapientiam amavi, & exquiſivi à juventute meâ: & quæſivi ſponſam mihi eam aſſumere & amator factus ſum formæ illius. Sap. 8.

Lex Domini immaculata, convertens animas: teſtimonium Domini fidele, ſapientiam præſtans parvulis. Pſalm. 18.

Juſtitia Domini rectæ, lætificantes corda: præceptum Domini lucidum, illuminans oculos. Ibidem.

Deſiderabilia judicia tua ſuper aurum, & lapidem precioſum multum, & dulciora ſuper mel & favum. Ibidem.

Quis aſcendet in montem Domini, aut quis ſtabit in loco ſancto eius? innocens manibus, & mundo corde. Pſalm. 23.

CAPVT V.

Meditatio pro Sui renovatione ſemel quot hebdomadis facienda.

COMPOSITIO LOCI ſit, quaſi videas ex orbe terrarum undique evocari ſubitò ad judicium, alium ex agro, alium ex molâ, lecto, cubiculo, convivio, variaque morte, ſeu viâ ad illud properare.

ORATIO. Pete animi renovationem.

PVNCTVM I. Conſidera Primò, ſi jam moriendum tibi foret, & reddenda vitæ ratio, quàm vana omnia mundi ſtudia apparerent; inania omninò quæ jam præterita, *Si jam moriendum, quid velles feciſſe.*

Tempus est irrecuperabile.

præterita, cùm nihil supersit; vilia verò præsentia; plena autem timoris futura: & quid tunc optares te fecisse, expende. Secundò, cogita quàm sit irrecuperabile tempus amissum, & occasiones quas habuisti bonorum, ac quomodo deinceps iis meliùs uteris, dispice.

Heu mihi, ut infr. pag. 798. Tertiò, vide tuum progressum in viâ virtutis, qualis quantusque sit. Colliges autem eum, si finem attenderis cur vitam spiritualem agere cœperis; quem initio perfectionis gradum, & quanto affectu ac voluntate tibi proposueris, aut certè proponere debueris, quidque status tuus exigat. Quis autem ille fuit? nempe Primò, Deo toto corde, & totâ animâ adhærere: qui enim adhæret Deo, unus spiritus fit cum eo. An ita te cum est? Secundò, cum proximis omnibus pacem habere, charitate ac voluntate conjungi; an cum aliquo diffides? & quid faciendũ putas ut resarcias? si Superiores sint, insuper nulli legi eorum vel præcepto, judicio aut volũtate repugnare te oportet. Tertiò res humanas, laudes hominum, opes & mundi gaudia odio tui abnegare, ac divinis oblectari.

2. Cor. 6.

Quid à perfecto requiratur.

Attende quomodo erga Deum sit affectus.

Lucæ 18.

Qualiter habere eporteat potentias ordinatas.

Vide præterea quomodo adhæreas Deo tribus potentiis, & in ejus adhæsione profeceris: Memoriâ, scilicet, ubique eum præsentem habendo, & colloquendo sæpissimè: oportet enim semper orare, & non deficere. Secundò, intellectu, omnia opera ejus & judicia justa, seu bona tibi aliisque tribuat, seu mala immittat, laudando. Tertiò, voluntate, numquam de Deo, aut homine querendo, aut eventu aliquo, idque quia neque malum, neque bonum est in civitate, quod non fecit Dominus: juxta illud, nullum mandatum quantumvis parvum, scienter ac prudenter negligendo. Attende etiam, an puram in omnibus intentionem habeas, id est oculum mentis purum. Considera Secundò, quomodo erga proximum profeceris: ac Primò, memoriâ, an neminem negligas & omittas, sed ultrò commodis proximi, maximè parum tibi affecti, studeas, eique gratificeris.

Pura intentio.

Quomodo in charitate proximi proficias vide.

ficeris. Secundò; intellectu, an contentiosè cum nemine agas, sed libens judicium tuum submittas, maximè Superiori. Tertiò, volũtate, an idem cum iis, maximè Superioribus, sapias, dicas; & planè resignatus sis, nihilque designes in re, loco, officio, & occupatione tua. An proximi bonis, laude, honore uti tuis recreeris, ei gratuleris, eumque promoveas; malis ejus condoleas & compatiaris, ac re, quâ potes in corpore & spiritu cum zelo adjuves, idque ptopter Deum, non sympathiam, aut gratiam aliquam naturalem: an verò averseris, judices in animo tuo, te ei præferas, de ejus defectibus loquaris. Considera Tertiò, quomodo in contemptu rerum humanarum, laudis, vituperii, & judiciorum humanorum sensu, commoditatum & recreationum, quæ sensibus percipiuntur, despectu, mortificatione, & odio tui progressum feceris, & Primò, an tui memoriam ac commodorum negligas, & æternorum amore ea despicias. Secundò, an intellectu præ omnibus omnino te vilem æstimes, & æstimari ac haberi velis. Tertiò, an voluntate amplectaris eos qui de te malè sentiunt & loquuntur, eosque laudes atq; ames: qui te verò laudãt, æstimant, & te decipiunt, minimè eo nomine diligas ac foveas. Omnino sibi imponit, qui profectum suum meritur ex solâ meditatione & contemplatione, ejusque affectu. Etenim si meditatio, vel oratio tua fervet, & bona est, cùm sit ipsa elevatio mentis in Deum, certum est, te sustolli per eam super altitudinem terræ, & terrena, atque effici ut nihil petas aut desideres præter Deum, ejusque sanctissimam voluntatem. Si id non efficiat, frustra de eâ gloriaris, & deluſio potiùs est, quàm profectus indicium. Quartò, statue, quomodo deinceps vitam agere, ac in via mandatorum Domini, & consiliorum ambulare velis.

Quomodo in affectu ad res humanas proficias vide.

An ames laudantes te.

Illusio ejus qui profectũ ex oratione solâ metitur

Signum illusionis in oratione.

Aspira, ut sup. pag. 8. *Hæccine firmâ* ibid.

PVNCTVM II. Considera Primò, quæ te remora tardet

Examen adhibe particulare.

det in viâ ſalutis, quæ paſſio, quæ creatura, vel ejus amor. Secundò, an poſſis eam removere, & quanta ſit dementia id omittere, quantoque potiùs conatu tollere oporteat, ac de examine particulari ſeriò ſtatue, eaque media adhibe, quæ juvare efficaciter poſſint. Quid enim? Certè ſeriò ſanitatem non vult, qui media inefficacia, ac talia reipſâ & annis, atque experientiâ multâ probata, ſolùm vult adhibere. Secundò, coram Deo expende, quàm triſte, quàm pudendum, videre meliora & ſanctiora, tantam perfectionis, veraeque virtutis ac libertatis guſtare poſſe dulcedinem, atque eminentis ſuper omnia animi excellentiam; & tamen ob honoris appetitum, vel affectum erga creatum aliquod, & breviſſimum ſolatium, illa tanta bona non conſequi. Pone ergo cor tuum ſuper vias tuas; & vide, cur in te vaticinio illi locus ſit, Seminaſtis multum, & intuliſtis parum; comediſtis, & non eſtis ſaturati; bibiſtis, & non eſtis inebriati; operuiſtis vos, & non eſtis calefacti; & qui mercedes congregavit, miſit eas in ſaccolum pertuſum: certè quia ſeriò animus non applicatur.

Quæ ſit voluntas vera proficiendi.

Aggei 1.

Hæccine vera, ut ſup. pag. 7.

Actiones tuas conſidera.

PVNCTVM III. Conſidera ſemitas domus tuæ, actiones, inquam, tuas à manè uſque in veſperam; & duo in iis attende. Primum, quomodo eas facere propoſueris; Secundum, an propoſita exequaris. Præterea conſidera, quo pacto in adverſis te geras, quàm patienter atque humiliter. Poſtremò ea, quæ propoſuiſti, ſcripto annota, & Sanctiſſimæ Trinitati offer, per manus B. Virginis, & Angeli Cuſtodis; teque totum Deo conſecra, etiam repetitis votis, ſi Religioſus es.

Oratio pro profectu.

Pſalm. 119. *HEu mihi, quia incolatus meus prolongatus eſt! habitavi cum habitantibus Cedar, multùm incola fuit anima mea.*

Iſaiæ 59. *Exſpectavimus judicium, & non eſt; ſalutem, & elongata eſt à nobis. Multiplicatæ ſunt iniquitates noſtræ coram te; & peccata noſtra*

ustra responderunt nobis. Aufer quæso, de medio mei catenam Isaiæ 58.
N. ô JESV *Salvator mi, & fac ut oriatur jam in tenebris meis* Applicatio
lux tua; & tenebræ meæ fiant sicut meridies, præsertim cùm in ad Com-
Sole posueris tabernaculum tuum, & jam tanquam sponsus munionē.
procedens de thalamo tuo; tu Deus meus manifestè venies velatus
quidem, sed tamen totus desiderabilis. Veni, veni, de mane enim
hoc jam vigilo ad te, & anima mea desideravit te in nocte. Vs- Proverb. 6.
quequo deinceps piger dormiam? quando consurgam de somno
meo? Ecce enim veniet mihi quasi viator egestas, & pauperies
quasi vir armatus. Si verò impiger fuero, veniet ut fons messis
mea, & egestas longè fugiet à me, quam operata est manus mea
remissa. Ecce enim quot annos laboro in vanum? & totâ die con- Prover. 10.
cupisco, & desidero, & desideria mea occidunt me: quia strenuè
& constanter non operor salutem meam, & cibum, qui non pe-
rit. Et verò quid me retinet, ne dives sim, ne sapiens, ne beatus, ne
regnum tuum intra me sit, ne mansionem apud me facias, ne di-
ligam te & beatus sim. Ecce N. ô Deus meus! erubesco coram te.
quæ insania mea, ut propter hoc, N. aut istud, N. tot tantisq; bo-
nis, tot inquam frui non libeat, immò non liceat? Si vis, potes
me sanare. Sana, obsecro, & requiem da mihi: imple splendori- Isaiæ 58.
bus animam meam, & libera ossa mea. & indue me fortitudine
tuâ. Fac ut sim quasi hortus irriguus, sicut fons aquarum, cujus
non deficient aquæ: ut vocari possim Sabbatum delicatum, san-
ctum Domini gloriosum; & non inveniatur ampliùs in me vo-
luntas mea. Tunc delectabor super te, Domine, & sustolles me su-
per altitudines terræ; & cibabis me hereditate tuâ, & replebor
abubertate domus tuæ, & charitate tuâ implebis me, & non ul-
tra separabor abs te. Amen. Amen.

Oratio Divi Thomæ Aquinatis.

CONCEDE *mihi, misericors Deus, quæ tibi placita sunt di-*
ligenter & ardenter concupiscere, prudenter investigare,
veraciter agnoscere, perfectè adimplere, ad laudem & gloriam
nominis tui ordina statum meum, & quod à me requiris ut fa-
ciam, tribue ut sciam, & da exequi sicut oportet, & expedit sa-
luti animæ meæ. Da mihi, Domine Deus, inter prospera & ad-

versa

versa non deficere, ut in illis non extollar, in istis non deprimar, de nullo gaudeam vel doleam, nisi quod ducat ad te, vel abducat à te. Nulli placere appetam, vel displicere timeam, nisi tibi. Vlescant mihi, Domine, omnia transitoria, & cara mihi sint omnia tua propter te, & tu Deus meus, præter omnia. Tædeat me gaudii quod est sine te, nec cupiam aliquid quod est extra te. Delectet me, Domine, omnis labor qui est pro te & tædiosa sit mihi omnis quies quæ est sine te. Frequēter da mihi, Domine, cor ad te dirigere, & in defectione meâ cum emendationis proposito dolendo pensare. Fac me, Domine Deus, obedientem sine contradictione; pauperem, sine defectione; castum, sine corruptione; patientem, sine murmuratione; humilem sine fictione; hilarem sine dissolutione tristem, sine dejectione; maturum, sine gravitate; agilem, sine levitate; timentem sine desperatione; veracem, sine duplicitate; operantem bona sine præsumptione; proximum corrigere, sine elatione; ipsum ædificare verbo & exemplo, sine simulatione Da mihi, Domine Deus, cor pervigil, quod nulla abducat à te curiosa cogitatio; da nobile, quod nulla deorsum trahat indigna affectio; da rectum, quod nulla deorsum obliquet sinistra intentio; da invictum, quod nulla frangat tribulatio; da liberum, quod nulla sibi vindicet perversa & violenta affectio. Largire mihi, Domine Deus, intellectum te cognoscentem; diligentiam te quærentem; sapientiam te invenientem, conversationem tibi placentem; perseverantiam te fideliter exspectantem; & fiduciam te finaliter amplectentem; tuis pœnis consigi per pœnitentiam; tuis beneficiis in vitâ uti per gratiam; & tandem tuis gaudiis in patriâ perfrui per gloriam. Qui cum Patre, &c.

Praxis ad mentis renovationem instituendam.

PRima. Considera, modò suprà declarato, profectum & defectum aliquo tempore succisivo: vel hoc perbrevi: An meliùs te habeas erga Deum, proximum, & teipsum. Maximè verò attende ad examen particulare, an sint in eo pauciores lapsus, quàm superiore hebdomadâ, an plures; & quasi subdere rationes tuas, atque annota, si videtur. Sic enim multi quotidie consignant gesta sua. Sic S. P. Ignatius omnes etiam Spiritus sancti motus, ac vitam suam in libellum digerebat.

Rationes tuas sedulo nota.

Secundò.

Secunda. Si minùs te proficere senseris; ac stimulari tali v.g. exercitatione, meditatione, aut lectione, spontaneâ pœnitentiâ, aliam propone, immò & voto contra inconstantiâ, sed pœnali, aliquando confirma te, ex judicio Superioris vel Confessarij. *Votum pœnale utile.*

Tertia. Percurre diarium, sive scriptum: quo actiones tuas ordinasti, atque ad illius perfectam observationem collima.

Quarta. Proposita varijs Sanctis dica, atque offer ex intentione sancta: & coram venerabili Sacramento, vel post communionem, confirma. *Sanctos sedulò cole.*

Quinta. Inter alia autem vide, ut semper proficere studeas in verâ humilitate; Secundò, in verâ charitate, potiùs opere, quàm sermone in eam declarando. Tertiò, in communicatione cum Deo, seu Dei præsentiâ; Quartò, in purâ intentione; Quintò, in cultu B. Virginis. *In quibus sit maximè virtutibus sudandum.*

Alia Methodus colligendi sese, & Praxis.

SVprà dixi, exercitium quod fuerat quadrimẽbre; variũ usum habere: tum ad manè surgendum: tum vesperi incumbendum: tum ad animum recolligendum. Si igitur superiùs posita meditatio prolixior videatur; utere hâc methodo.

Constitue te in præsentia Dei, & Primò considera beneficia à divinâ liberalitate tibi hebdomadâ superiore, collata: & gratias age.

Secundò, considera defectus, & maximè consuetudine aliquâ inveteratos; an proficias, an secùs: & quid maximè in viâ te impediat, & ei examen particulare adhibe.

Tertiò, considera actiones tuas à manè usque in vesperam, & forma eas ad regulas, & institutum tuum, si Religiosus es; & maximè ad exempla Domini IESV, & Sanctorum.

Quartò, considera quomodò in adversis te gesseris, quàm moderatè, tranquillè & providè ea quæ evenire possent, animumque robora.

Postremò, scribe proposita breviter, aut decreta, & Deo ac Domino nostro offer.

Hæc puncta quatuor, magnam utilitatem habere, & compendium vitæ spiritualis, usus docere poterit. Observa autem, singula per se etiam exercitium facere, ideoque in capita plura totum illud distributum habes suprà. Cùm verò hac praxi te colliges, & renovabis desideria; imagines suprà positas, quæ hisce capitibus quatuor respondent, si libet, inspice, Dei gratiâ, auxilio spirituali esse poterunt.

Signa Profectus.

HVC pertinet signa profectus aliquando pervestigare; ad quem cognoscendum, conducet legisse, quos quælibet virtus gradus habeat. Addo etiam compendio ea quæ apud Senecam de profectu morum legi, & in tenebris gentilitatis lucem tantam vehementer sum admiratus.

Seneca lib. de profectu morum.

Signum primum profectus est amor ingens, & quasi esuries virtutis.

Primum ait, indicium profectus, est ejus amor vehemens; non contenta est Philosophia, ut præsens dumtaxat nos amore sui capiat, velut unguenta: quorum absentia nemo discruciatur: sed inediam quamdam sitimque oportebit concipere, sinibi avellimur: talique argumento intelligere utique licebit, nos verè profecisse. O Sapientia æterna tu etiam hic in tenebris luces; quæ dixisti. Beati qui esuriunt & sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur.

Matth. 5.

2. Aspera non horrere.

Secundum. Asperam non horrere viam, neque laboribus à virtute deterreri. Nónne est quod dixisti Domine IESV, Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me?

3. Aliorum judicia dicta, quæ non moveri,

Tertium signum est, ait, si placido tranquilloque sit animo, ita ut nihil commoveatur quibuscumque imperfectorum dicterijs, nihilque reluctetur. Omnes enim qui piè volunt vivere in Christo IESV, persecutionem patientur, etiam à fratribus & amicis.

2. Tim. 3.

4. Omnia ad virtutem trahere quæ quis legit.

Quartum. Ea quæ quisque audit aut legit, ad morum correctionem, affectumque, in vitiorum alleviationem trahere; sicut apis mel è flore colligit; cùm alij nihil præter colorem & odorem in illis admirentur. Hoc est, quod Sancti vocant conjunctionem cum Deo habere.

5. Imò etiam spectacula & quævis alia.

Quintum. Non solùm ex doctrina & libris, verum etiâ spectaculis ac quibusvis alijs negotijs philosophari; & ad bonam frugem, suis incrementis proficere. Nónne ita fecit dulcissimus IESVS, dum Apostoli illi lapides templi ostenderent: & dum sapientia æterna parabolis ex rebus obvijs, nos erudiret?

6. Ostentationem fugere.

Sextum. Ostentationem fugere, & contumeliam ferre; evidens planè documentum ejus hominem in Philosophiæ studio promovisse. Videas, ait, nonnullos etiamnum discentes, quamox ad ostentationem omnia conferunt & disputant: de virtute magnificè disserere, id esse philosophari putant; perinde ac si quis credat, pharmaca populo vendere, id esse mederi. Hinc viros sanctos & modestos numquam audies de visionibus, de revelationibus multa loqui, vel jactare: sed parcè & modestè, cùm necesse est, agere, D. Vincentius, certè vir sanctissimus, & miraculis quidem clarissimus; sed longè clarior

D. Vinc. de vita spirituali c. 11.

virtute

virtute, tractatu aureo de Vita spirituali, dicit: Qui volunt se subdere Deo, non desiderent per orationem, vel contemplationem, vel per alia opera perfectionis, visiones, vel revelationes, vel sentimenta, quæ sunt supra naturam; quia prædictum desiderium non potest esse sine radice superbiæ. Immò, non sustineas aliquam consolationem, ex quâ tibi videtur quòd fundares te in præsumptione, & æstimatione tuiipsius: & propter hoc, cave, ne in tuâ oratione vel contemplatione sustineas aliquâ consolationem, nisi illam, quæ venit post perfectam sui notitiam, & completum sentimentum tuæ humilitatis & imperfectionis, & quæ facit perseverare dictam notitiam, & antedictum sentimentum, & exclamat: Heu! heu! Deus, quot personæ sunt deceptæ per istum modum. Monet insuper, vitādas tales personas, & qui eos laudant: additque. Credo quod plus placet Deo, quòd visiones, sentimenta & raptus (qui, secundùm quod dictum est, habent similitudinem veritatis & bonitatis) dimittas ire, pro tanto, quantum valent: nisi contingant aliquibus personis, ratione sanctitatis & discretionis, ac ex eorum humili probitate (hic enim Lydius lapis est, ad aurum devotionis probandum:) & tunc, quamvis sit pium visionibus & sentimentis talium personarum consentire; tamen securum est, non totaliter credere eis, ratione sui, & per rationē prædictam; sed quantum concors cum fide Catholicâ est, & sacrâ Scripturâ, & bonis moribus, & verbis Sanctis, ac doctrinâ Sanctorum.

De visionibus & revelationibus.

Deceptio his plurima.

Visionum examen.

Septimum. Applausum populi non captare. Perspicuum igitur est, ait, eis qui fructū ex Philosophiæ studio percipere moliuntur, deponendum esse protinus, quidquid vanum est & arrogans. Modestia enim sapientiæ comes est. Et quemadmodum è vasis liquorem aliquem recipientibus aër inanis expellitur; sic, qui in Philosophiæ studio veris implentur bonis, fastum exuunt. Adde, quòd sibi severiores tum fiunt magisque rigidi; aliis contrà, benigni & placidi. Huc pertinet, quòd à Menandro, non minùs verè, quam eleganter dictum est: Complures videlicet esse, qui Athenas navigēt Philosophiæ gratiâ, primùm sapientes, deinde sapientiæ amantes, ac mox Rhetores; neque ita multò post idiotas, rerumque omnium ignaros sese appellare. Quo enim magis cuique ex Philosophiâ accedit rationis, eo plus decedit fastus & arrogantiæ. Hinc videmus viros sanctos in quolibet Ordine, nō se, nō suos, non institutū cæteris præferre, non efferre; sed alios omnes præ se æstimare ac laudare. Ordinē enim suū multū inhonorat apud prudentes, ut docet D. Vincent de vitâ spirituali, qui tacitè se propter eum extollit, quem sui demissionem assumpserat.

7. Applausum non captare.

Perfecti aliis benigne.

Quo quis perfectior, eò humilior. Vanitas ejus qui se aut institutum vanè laudat.

8. Reprehensionem ferre æquo animo.

Octavum. Reprehensionem ferre æquo animo; immò ingenuè se offerre corripientibus. Quicumque enim peccant, & monitoribus vitia corrigentibus sunt asperiores; hi profectò malo & quasi phrenesi laborant, non admittentes curationem. quid dicet ad hæc, cui monitio, exacerbatio; curatio, inquam, vulnus fit; & medicina, languor, & quisquis vult mederi, inimicus?

9. In somniis quid turpe videre.

Nonum. Ex somniis, ait, deprehendere licet, num quis profecerit in studio virtutis. Si enim in somnis nullâ capitur voluptate erga turpitudinem; neque gravi inhiat crimini, quod contaminet; prorsusque nihil videt cum vitio & sœditate conjunctum: consentaneum est, omnia in tuto esse posita. Sicut dem, ut equi jugales, recta currere instructi, non deserunt viam, etiam dormiente aurigâ. ita bruti affectus domiti, nec in somnis, facilè recalcitrant. Quis non miretur in Veneris cultoribus tales inveniri pudicitiæ ac castitatis amatores? Quid si cognovissent filium Virginis, IESVM sponsum animæ nostræ? Tolleravit ille in Iudâ, avaritiam; in alijs, arrogantiam; ambitionem in omnibus, & contentionem: numquam turpitudinem. Ita etiam, quisquis servum Dei cognoscere velit, hâc notâ notatur, castitatis: an, quidquid ullo modo ei vel eminus adversatur, detestetur, ut summum flagitium; quidquid insidiatur, ut dæmonem horrescat; ubicumque ejus periculum aliquod, ut mortem reformidet, numquam sibi cum sola quocumque prætextu instructionis, meditationis, aut quovis alio condens; immò etiam sibi soli suspectus, ut de viris sanctis accepimus.

Nota quàm castè Philosophus disserat.

Signũ servi Dei est castitas.

10 Affectus experiri sedatiores.

Decimum. Affectus noxios experiri sedatiores. Illud autem colligi potest, intelligendo malorum desideria in nobis jam esse remissiora, quàm fuerunt olim. Advertendum etiam, num in victus ratione rigidiores nobis ipsis, an licentiâ nimiâ summa laxiores, in rebus gerendis, maturitate utamur, an inconsultâ temeritate. In animâ enim, quam inhabitat Princeps pacis, Dominus IESVS, non tumultuantur carnis passiones; sed si exurgant, dicit ille, Tace, & obmutesce; fitque tranquillitas: dispellit, ut sol, caliginem, & nubes dissipat animæ nostræ.

IESVS sedat tempestates animi.

11 Imitari quæ in aliis admiramur.

Vndecimum argumentum est, si mox imitari conemur, quod nobis est admirationi, sedulòque probatur. Sic Themistocles Miltiadis trophæa excitabant. O quot sunt, qui Sanctorum hæc & illa dicunt; & quæ in ijs laudant patientiæ, humilitatis & abjectionis opera, in se factis vituperant! Quid si Seneca Vnigenitum, qui est in sinu Patris, audisset, legisset quæ gessit ille pro nobis, quæ passus, inquam, pro nobis? si attendisset verbum

Confundit Philosophus Christianos.

sum illud: Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego fe-
ci, ita & vos faciatis: verbum penetrabilius omni gladio an-
cipiti?

Duodecimum. Iam si libeat, ait, præter ea, quæ recensuimus indicia profectus, & hoc, non parvi momenti, adjungas velim: Ne quis peccatum aliquod reputet exiguũ, sed sollicitè quodvis caveat atque devitet, ut enim qui se divites fore desperant, impendia exigua flocci pendunt, nihil magni efficere illa credentes, si tenui acervo accesserint (at spes ditescendi nihil negligit, quantumcumque exigui lucelli: eoque magis auget æris appetentiam, quo propiùs admotæ fuerunt opes) Sic haud dubiè usu venit in negotijs per virtutem gerendis: non enim illic locum habet indulgentia, ut dicas: Hoc perpusilli momenti est ad illud. Nonne idem spiritus sanctus clarè nobis explicavit, dicens: Qui spernit modica paulatim decidet? *Eccli. 19.*

12. Peccata & defectus parvos vitare.

Dignatus es, ut sup. p. 10.

IACVLATORIÆ.

IN toto corde meo exquisivi te; ne repellas me à mandatis tuis. Psal. 118.
Viam veritatis elegi; judicia tua non sum oblitus. Ibidem.
Ecce concupivi mandata tua, in æquitate tua vivifica me. Ibidem.

CAPVT VI.

Exercitium seu deliberatio de pia ac frequenti communione.

HOMO O Sapientia æterna, ô lumen mentis, quàm variis sententijs & exemplis distrahor! neque satis possum constituere cum animo meo, quid expediat; utrùm crebrò hæc Sacramenta usurpare, an reverenter rariùs ad illa accedere. Invitat me vehementer certè benignitas & humanitas tua, Domine IESV, qui ad magnum hoc convivium vocare dignatus es etiam claudos, cæcos, & debiles & peccatores, quorum primus ego sum. Obsecro te igitur, ut, si divinæ voluntati tuæ id magis placeat, concedas mihi gratiam, quâ sæpiùs ad sacram hanc cœnam, cæleste epulum accedam, & tibi qui es salus mea unica, conjungar. *Luc. 14.*

CHRISTVS. Fili mi, Ego descendi de cælo, ut panem *Ioan. 6.*

illum cælestem omnibus, & nominatim tibi proponerem, ut qui manducaret hunc, viveret in æternum. Ego quotidie in Missæ sacrificio memoriale completū esse volui passionis, & amoris mei erga te; & ego volui in arâ crucis amoris igne uri, ut essem tibi dulcis panis, & acceptus, & omne in me delectamentum haberes, quid ergo formidas accedere ad me, Patrem & consolatorem tuum & medicum, quando ego clamo; Venite, comedite panem meum, & bibite vinum, quod misi vobis? bibite, & inebriamini, carissimi, imò minas intento ex infinita charitate dicens: Nisi manducaveritis carnem filij hominis, non habebitis vitam in vobis.

Proverb. 9.

Hæccine vera, ut sup. p. 7.

Ps. 110.

HOMO. O benignissime IESV, quantam memoriam hîc facis mirabilium tuorum, misericors, & miserator Dominus, ut talem escam des timentibus te? Quid enim est homo, & quid obsecro sum ego, ut digneris me vocare, & mecum epulari, & ingredi ad me, & mansionem apud me facere? Quæ non bona illi obvenire debent, ad quem divertere dignaris? quæ gratiæ in eum non derivari, à te fonte omnis bonitatis! Existimo certè, eos, qui toties pane cælesti devotè pascuntur, cælestes evadere debere, & unum tecum fieri.

Ioan. 6.

CHRISTVS. Vivunt & manent illi in me, & ego in illis; si quoad humanitus possunt, sese præparent ad hoc convivium, in quo ego sumor, & recolitur memoria passionis meæ. Sed cibus sum grandium; crescе etiam tu, & manduca me; nec tu me mutabis in te, sicut cibum carnis tuæ; sed tu mutaberis in me, & particeps eris omnium timentium me. *Credo tibi*, ut sup. p. 7.

Aug. lib. 10. conf. c. 19.

HOMO. Credo, Domine, quia, cùm sis potentissimus & liberalissimus, non potes introire ad nos, & non effundere munera gratiæ tuæ: non potest quis accedere ad te, fontem vitæ, & sitire fluenta fœtida mundi hujus: animæ, cui licet bibere ex calice tuo verè præclaro, non libet bibere de calice dæmoniorum.

CHRI-

CHRISTVS. Ita gratiâ meâ efficere soleo. sed sunt qui panem meum, qui præbet delicias regibus, hodie comedunt, & mox ad siliquas porcorum cum filio prodigo redeunt, istis certè sæpè fiunt novissima pejora prioribus. Iubeor enim cedere dæmonibus locum meum, id est, animam, quam mihi emi precio magno, ut glorificarer & portarer in eâ, deliciæ enim meæ sunt esse cum filijs hominum. *Hæccine vera*, ut sup. pag 7.

Gen. 49.

Indignè communicans quid agat.

Proverb. 8.

HOMO. Vereor, Domine, accedere, ne thesaurizem mihi iram in die iræ: quia fragilis & miser homo ego sum, neque possum resistere adversarijs meis.

Rom. 2.

Chryso. ho. 61. ad pop.

CHRISTVS. Ad hoc paravi in conspectu tuo hanc mensam, adversus eos qui tribulant te. Nam qui me devotè suscipiunt, tanquam leones ignem spirantes ab hac mensa recedunt, diabolo terribiles. neque difficile proinde est volenti, resistere. Si quis enim advertat me secum esse, nónne cum Davide dicere poterit; Si consistant adversùm me castra, non timebit cor meum? Pone me juxta te, & cujusvis manus pugnet contra me. Nullum certè efficacius remedium adversus omnes tentationes; maximè carnis, cujus sunt jacula ignita, & cum qua anceps semper pugna, cupiditas verò radix omnium malorum minuitur, quia ego solus satio animam meam esurientem bonis. & divites dimitto inanes. voluptatis omnis ardor, imò sæpè etiã sensus restinguitur, quia præbeo iis verè panem, omne delectamentum in se habentem. Verè enim dixit Propheta meus: Quid enim est bonum ejus, & quid pulcrum ejus, nisi frumentum electorum. & vinum germinans virgines?

Ant. Tentationi facilè resistere est.

Psalm. 26.

Iob 17.

Sap. 16.

Zach 9.

Credo tibi, ut sup. pag. 7.

HOMO. Verùm tot humanarum rerum occupationes nos distrahunt, neque volentes, accedere sinunt ad te: sed turbamur erga plurima, cùm verò in pace sit factus locus tuus; gratum tibi obsequium esse non potest corde animoque vago, & vix cum veste nuptiali, venire ad te Regem regum, & Dominum dominantium.

Psalm. 75.

1.Cor.11.

CHRISTVS. Probare seipsum omninò debet homo, & sic de pane meo comedere, & de calice bibere: qui enim manducat, & bibit indignè, judicium sibi manducat & bibit: sed vide, an non tanti sit hoc donum meum, ut se paret quisque & probet. Verùm hæc probatio hoc solùm omninò exigit, ut immunis sis à gravioribus peccatis, & quoad humana potest fragilitas, pares te ad tantum hospitem, tantumque convivium. Neque potest mihi quidquam esse magis ingratum, quàm has audire excusationes, quas adeò manifestè damnavi: Villam emi & juga boum, & uxorem duxi, ideò non possum venire. triste mihi est, omnibus me postponi; & indignitas summa, nihil esse apud aliquos quod minore curâ ac sollicitudine peragatur, quàm accedere ad mensam meam, & panem comedere Angelorum. Negotijs omnibus tempus tribuitur & largitur; cur ergo in omnium negotiorum maximo tibi tempus deficit? cur properatur & festinatur ad forum, ad commercia; ad fabulas, ad jocos, ad ludos? immò, etiamsi ad proximum juvandum eatur, nisi necessitas aut obedientia urgeat, irreverentia magna est, mox hospitē me deserere: me, qui de summo cælorum venio, ut cibem, ut reficiam, ut sanem, ut me totum tribuam. siccine sese hospites haberi vellent? eâ benevolentia accipi? ea inurbanitate derelinqui? Túne suaderes amico tuo, ut cum tot bona veniant mecum; tot mala dissipem præsentia mea; tam dulce mihi sit vobiscum esse usque ad consummationem sæculi; tam triste videre mensam meam vacuam & despectam: ut rarò accederet ad me Dominum ac Deum suum? At negotia habet: quod majus quàm me suscipere? prudentia indiget: quid utilius, quàm ut me, qui sum Sapientia æterna, secum habeat magni consilij Angelum? robore indiget; nónne ego sum fortitudo vestra? nónne ego operor omnia in omnibus? imò hic est panis de cælo, ut si quis ex eo manducaverit, non moriatur. nec enim solùm

Luce 14.

Excusatio à Communione est Deo ingrata.

JESVS hospes non deserendus.

Communio negotium gravissimū.

Ioan. 6.

Effectus SC. Sacramenti.

lùm hîc peccata præterita eondono; sed præservo à futuris, & applico homini merita mea. Hæc sanè caussa est, cur sapientia mundi, quæ stultitia est, seipsam decipiat: sine me itur ad prælia, sine me consilium initur. verùm ego Dominus exercituum: ego solus dissipo sapientiam sapientum istorum, & consilium impiorum non adjuvo. Non sic faciebat Moses servus meus; qui ducere populum, etsi jussus à me, noluit nisi præcederem castra, & dux itineris essem, in conspectu ejus. Si ergo absque me non est consilium, non est potentia, non prudentia: nónne qui me derelinquunt, derelinquentur à me, & non prosperabitur via eorum?

Isaia 29. Cur sæpè mali successus in humanis rebus

Aspira, ut sup. p. 8. *Hæccine firmâ fide*, ibid.

HOMO. Quando ad vitæ terminum venerimus, meritò timere debemus, ne nos visere recuses, Redemptor noster, si sani ad te venire noluimus. Forsitan & justâ hîc animadversione punitur peccator, ut qui te suscipere noluit sanus deploratus, & ab omnibus desertus à te etiam derelinquatur, averte hoc à me, ô spes mea unica IESV.

CHRISTVS. Nónne id meritò quandoque facio toties repulsam passus? quot enim concionatores, servi, & præcones mei, invitant ejusmodi ad me? & tamen, quàm multi durâ cervice, & incircumcisis cordibus Spiritui Sancto, & bonis inspirationibus resistunt? Sto, & pulso, & desiderio desidero pascha manducare cum eis: & ecce quia simul invitat caro, invitat mundus, sæpè contemnor, & vix tandem admittor, admissus mox rursum expellor. Quid tu ad hæc? Quid, cum ad judicium veneris, respondebis, ô miser homo? Quando improperabo & exprobrabo tibi hanc ingratitudinem tuam? & quæram ex te, Quare dereliquisti me fontem aquæ vivæ? Quid nocui, aut in quo molestus fui? numquid invitavi & dixi: Venite & bibite, & emite absque argento, absque ulla commutatione vinum & lac? Cur ergo toties cœnam meam es aspernatus? Ego te pavi

Luca 22.

Exprobratio Christi in judicio.

ſanguine & carne meâ; amplexus te fui, & oſculum pe-
cis dedi; imò tradidi me tibi, & crebrò id facere paratus
fui. An ob bonitatem meam, & malitiam tuam, tibi fi-
ctus ſum ita vilis, & ideò aut contempſiſti me, aut ne-
glectim me ſuſcepiſti, & mox abiiſti vagus in viam de-
ſideriorum tuorum? An forſan aliud quod agas tibi eſt,
quàm ut mihi placeas? me quæras in toto corde tuo,
quæras dum inveniri poſſum? Quâ fronte venies ut re-
cipiam te in æterna mea tabernacula; qui ſæpiùs hi-
ſtes capitales tuos ac meos, quàm me hoſpitio non
tantùm accepiſti, ſed maximo diſcrimine advocaſti?
quoties ut peccatum perpetrates, & admitteres in te,
multa toleraſti; me vero ſolio meo, templo meo quod
eſtis vos, excluſiſti? & jam vis habere partem mecum,
mecum epulari?

Aſpira, ut ſup. pag 8. *Hæccine firmâ*, ibid.

HOMO. O quoties in æternitate dolebo, ſi te mi-
debeo, Deum ac Dominum meum non recepero, ſed
Pſalm. 16. repulero, aut frigidè ſuſcepero, quomodo poſtulare
potero ut intrem regnum tuum, ſi tibi clauſero cor
meum, ut illud aperirem hoſti aut vanitati? erubeſco
totus dum cogito, Domine Deus meus, immenſam
charitatem tuam quâ exultas ut gigas ad currendam
viam, ut è ſummo cœlorum deſcendas, ad manus &
nutum Sacerdotum, ut venias ad me, & ego ad te, ut re-
Cant. 3. fruar. Quid dicam? Erubeſco, quòd ſæpiſſime audierim
in auribus cordis mei vocem tuam: Aperi mihi ſoror
mea, ſponſa; caput meum plenum eſt rore, & cincinni
Apoc. 5. mei gutris noctium. Et rurſus: Ecce ſto ad oſtium, &
pulſo, ſi quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi
januam, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipſe
mecum? *Hæccine vera*, ut ſup. p. 7.

Sanctorum in Communione fervor.

CHRISTVS. Attende inſuper Sanctos meos, quot
vigiliis, quot precibus, quot ſuſpiriis parabant viam
ante me; ſi comedebant, ſi bibebant, fluebant illis la-
Pſ. 101. crymæ, & potum ſuum cum fletu miſcebant, quòd
qui

qui panem Angelorum manducarent, siliquis cogerentur vesci porcorum. erat illis omnis mora longa, quà à mensa mea abesse cogebantur: erat omnis mora brevis, & labor levis, quando præparabant ardenter mihi cor suum, & cum gaudio edebant & bibebant super mensam meam.

Homo. Heu mihi, Domine, heu misero mihi! cur me non amor tuus stimulat, non urget fames, & nuditas, & vulnera, & pericula mea Eheu! quot sumus qui ad te simus fortè quia compellit fama, provocat consuetudo; & interius nauseat anima super manna isto suavissimo? Eheu! hinc pastus carne tuâ, suspiro ad ollas carnium; potatus sanguine tuo, cogito de Babylonis poculo; jam recreata amplexu tuo, properat fornicari anima cum amatoribus multis, inquieta, & vaga. Quò imus, precor, à facie tua, Domine? quare deserimus te, salus nostra? obliviscimur tui, Jesv, & infinitæ charitatis tuæ? nónne nobis tibi adhærere bonum, & in pace altâ gustare, quàm suavis sis? intrare sic ad altare tuum, ad te, qui renovas juventutem nostram? in te manere, & te in nobis? Dixisti enim: & nónne verissimè? Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo. O dulcissimum verbum! tu in me, & ego in te! O quanta dignatio! tu in me, & ego in te! O quantus amor! tu in me vili sterquilinio, & ego in te summo bono! O qualis commutatio! tu in me, & ego in te! quid ultrà petere aut sperare possum? visitas nos certè in salutari tuo, ad videndum in bonitate electorum tuorum.

Ioan. 6.

Psalm. 105.

Pone te, Domine mi, sicut signaculum super cor meum, sicut signaculum super brachium meum. Memoriâ memor ero tui, & in æternum non declinabo à mandatis tuis. Traxisti me funiculis Adæ, in vinculis charitatis. Quis me separabit à charitate tua? quis me ultrà morabitur, ne vocatus ad nuptias veniã; aut sitiens ad

Cant. 8.

Osea 11.

ad fontem; aut prodigus, ad patrem; infirmus, ad medicum; aut sponsa, ad sponsum, & desiderium animæ meæ? Ne, precor, despicias me, ne respuas me justo judicio tuo; sed si moram feci, si rariùs veni ad te, si tardiùs aperui tibi, si oblitus fui comedere panem meum, per gratiam tuam, nequaquam vltrà jam faciam: sed frequenter & reverenter apparebo in conspectu tuo, &
Cant. 5. scio pro benignitate tua, nec vacuus gratia redibo; sed manus tuæ distillabunt myrrham primam, mortificationes, & cor meum loquetur tibi, & adhærescet anima mea post te, & me suscipiet dextera tua, & dabis mihi has petitiones cordis mei. Amen.

Exercitium pro Communione.

Sap. 12. *O Quàm suavis est, Domine, spiritus tuus, qui, ut dulcedinem tuam in filios demonstrares, pane suavissimo de cœlo præstito, esurientes reples bonis, & fastidiosos divites dimittis inanes! hic sisto & obstupesco verane sunt hæc? respice, quæso in me*
Psal. 39. *verè enim ego mendicus sum & pauper, Domine, tu, quæso, solicitus sis mei: ut gustare possim & videre, quàm suavis sis; & numquam nauseare super Angelorum pane, in quo est omne oblectamentum, & omne miserorum solatium. Tu enim dixisti & es veritas, Deus meus, nec fallere, nec falli potes. Vilescant jam mihi omnia, & amara sint, propter dulcedinem tuam, quam hic abscondisti timentibus te. Ecce cum fiduciâ pauper, miser, & cæcus, accedam ad te, & nónne illuminabis me, ô lux vera, quæ illuminas omnem hominem? Accedam ad te frigidus & stupens, & spero accendes me, & ignem mittes in ossibus meis, ut luceat lux*
Matth. 5. *mea coram hominibus, & videant opera mea, & glorificent te Patrem meum, qui in cælis es: turpe enim est valde mihi & tibi dulcissime IESV, toties pasci me pane Angelorum, & cum secularibus, & iis qui te ignorant, tam avidè vesci siliquis porcorum. Nónne mutari omnes deberemus in te, & Angelorum vitam vivere, qui Angelorum pascimur cibo, & frumento electorum? O quando inebriabor ab ubertate domus tuæ!*

O quan-

O quando lætificabitur cor meum in vino, quod tu, amantissime Domine, expressisti, & torcular calcasti solus! Quando reddam me totum tibi? & totus ero tuus qui te toties totum mihi tribuis? & cùm digneris esse cibus meus, & delectatio mea, cur ultrà quæram bibere de calice Babylonis, & delectari in vanitate mundi huius, Túne mihi panem præbes, carnem tuam, ut vivam de te: nihil ergò cupio extra te: sed credo, Domine, & spero, quòd qui manducat hunc panem, vivet in æternũ, spero quòd manebo in te, & tu in me, & quòd resuscitabis me in novissimo die. Túne mihi calicẽ præbes, calicem salutarem? da, quæso, per gratiam tuã, ut digne bibam illum, & satier cùm apparuerit gloria tua. Ioan. 6. Cyprianus epist. 54.

O quàm præclarus calix istel quàm religiosa est hujus potus ebrietas, per quam excedimus Deo, & quæ retrò sunt obliti, ad anteriora extendimur, non habentes sensum mundi hujus sed divitiis purpurati delicias contemnentes cruci hæremus, sanguinem fugimus, & intra ipsa tua, ô Salvator, vulnera figimus linguam, quo interiùs exteriùsque rubricati, à sapientibus hujus sæculi iudicamur amentes, qui religionis hujus abhorrentes mandatum usque hodie retrò abeunt, & à secretis divinis, omnium intra se mysteriorum continentibus summam, diffugiunt & recedunt. Qui manducat ex hoc pane ultrà non esurit, qui bibit, vltrà non sitit, quoniam mysterij huius sic sufficit gratia, sic reficit intelligentia, ut cuicumque tantæ rei innotuerit plenitudo, omnis consummationis fine invento, te, ô Domine, ferat in pectore, teipsum ferat in mente & omni tempore habitatori suo dictis & factis iubilatione consonâ laudes resonent, & gratiarum actiones decantet. Hæccine vera, *ut sup. pag. 7.*

Praxis ad piè communicandum.

PRIMA. Consideratè statuere, frequenter, ut minimùm singulis mensibus, communicare, judiciumque Confessarij super eo exquirere, eique humiliter acquiescere. Ille status profectusque rationem habebit; de quo difficile judicare est. Semel in hebdomade ferventer Deo servientibus sufficit; quod S. Pachomij discipulis Angelus præscripsit, & in varijs Ordinibus Spiritus sanctus instituit. sæpiùs tamen etiam licet, atque utile est, quia Domino IESV gratum sæpiùs se invitari, vel se invitã- *Quoties cuique sit communicandũ.*

tem

tem à filiis visitari. Certè viaticum optimum est in viâ hâc cõmunio, antidotum, præsidium, lucrum.

Communionis spiritualis utilitas.

Secunda. Quotidie spiritualiter in Sacro communicare, & hoc pacto ad sacramentalem communionem sese præparare. Neque hoc solùm, sed magis quotidianis mortificationis exercitiis, & diligenti curâ spiritualis profectus. Humilitas optima dispositio, quâ quis sese indignum æstimat; & vera ac sincera charitas; nihil enim æquè repugnat, ac vel minima à proximo aversio, propter quem etiam debemus animas ponere.

Aversio à proximo officit communicanti.

Tertia. Quotiescumque negotium arduum est, subsidium & solatium hinc petere, idque publicè potiùs, quàm privatim, ut omnes agnoscant nos (non ut Ethnici) fidere viribus, aut industriæ, sed levare oculos in montes, ad cælum, unde veniet auxilium nobis.

Psal. 120.

Ante susceptionem negotii communicandũ.

Quarta. famulos, & fidei nostræ commissos exemplo & exhortatione ad piam, hanc consuetudinem inducere; immò illos etiam hac conditione conducere.

Quinta. diligenter se ad communionem præparare, & post eam sese conservare in devotione, ac bibere de fontibus Salvatoris, instaurare vires ut cibo optimo.

Communicantem crebrò & malè.

1. Cor. 11.

Observa. Primò, extrema hîc vitanda: sunt qui peccatis irretiti & immersi, hæc sacrosancta mysteria crebrò etiam adire optant; neque tamen vitam corrigunt: sed eam hoc velamine tegunt, ac sibi blandiuntur. De quibus illud Apostoli dicere licet; idcirco eos dormire, & indormire peccatis, quia non satis se probant, nec dijudicant corpus Domini. Alii non sunt quidem gravioribus implicati peccatis, sed inveteratis inhærent imperfectionibus, neque conantur se vincere; & tamen, ne alis inferiores videantur, sæpè ad sacram Synaxim accedere contendunt: diciique illis potest; Comedistis, & non estis satiati; bibistis, & non estis inebriati. Si quis dissuadeat, queruli, importuni. Vtinã ejusmodi, & qui quotidie celebrant sacerdotes (aut certè deberent crebrò) adverterent fructum, quem colligunt, & metirentur profectum ab annis aliquot, quanto humiliores, magis patientes, resignati, quieti, facilè deprehenderent ambitionis hæc desideria esse potiùs, quàm devotionis. Cùm invitatus fueris ad nuptias, ajebat Dominus, vade & recumbe in novissimo loco: hi verò cum primis volunt, & murmurant impudenter, si per famulos suos Dominus eos jubeat novissimum locum tenere. Magna certè potentia Dei solius, & ab humilibus solis honoratur!

Aggæi 1.

Luca 14.

Considera quem fructum ex Communione facias.

Communicantes rarò

Observa Secundò, aliud esse genus qui nescio quâ reverentiâ Domino molestâ, sibi inutili, venire recusãt invitati & mo-

nati,

& malè.

Differre non præparat.

In negotijs petendum auxilium.

Matth. 11.

Prov. 9.

Damasc. de orthodoxa fide l. 4. c. 14.

Adhortatio ad Communionem elegans.

titi, quòd defectibus pleni sint & negotijs. Verumtamen certum est non satisfieri debitis tempore, sed re: & optandum, ut hi videant an tempore magis præparentur; an verò mundi magis sint, quo diutiùs differunt, & peccata coacervant; an magis devoti postquam pluribus & peccatis & negotijs immersi fuerint. An magis videtur propinquus esse saluti, qui medicum diu fugit cùm æger esset, exspectavitque donec malum inveteratum foret? an debitor qui finit usuras usurarum excrescere, magis solvendo fit? sanè, ut suprà dictum, præstat in negotijs humiliter auxilium flagitare per sacram communionem. quàm absque ea sibi præsidere: humiliter ad Deum invitantem dulcissimis his verbis: Venite, ad me omnes qui laboratis, & onerati estis: Venite, comedite panē meum; & bibite vinum quod miscui vobis; etiam debiles & claudos accedere; quàm rusticâ verecundiâ retrocedere. ita tamē, ut quantùm res patitur, præparatio fiat tanto hospiti: quo suscepto, nihil opus ab alijs negotijs seriari, sed à malo; sufficitque ambulare in conspectu ejus, & currere in viam mandatorum. Audiamus ergò Damascenum, & purâ conscientiâ, fideque haudquaquam dubia accedamus; ac profectò, ait, sic nobis fiet, quemadmodum firmè ac constanter credimus. Ipsum porro omni puritate colamus. hoc est, spirituali, & corporeâ; siquidem duplex ipse est. Ardenti cupiditate ad eum adeamus, manibusque in crucis formam compositis, crucifixi corpus suscipiamus, atque oculis & labijs, & frontibus impositis, divini carbonis participes efficiamur, ut ignis desiderij in nobis insiti, assumptâ eâ, quæ ex carbone oritur, inflammatione, peccata nostra exurat, ac pectora nostra collustret: demusque operam ut per divini ignis perceptionem inardescamus, dijque efficiamur, &c.

Dignatus es, ut sup. p. 10.

JACVLATORIÆ.

MEmoriam fecit mirabilium suorum misericors & miserator Dominus, escam dedit timentibus se. Psal. 110.

Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat, & humilia respiciet in cælo & in terra? Ps. 112.

Quàm bonus Israel Deus, his qui recto sunt corde! Ps. 72.

Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea, & labiis exultationis laudabit os meum. Ps. 62.

CAPVT

CAPVT VII.

Meditatio de Sacerdotis officio, subserviens etiam Sacrosanctæ Communioni.

1. Pet. 2. Omnes Christiani spirituales sunt Sacerdotes.

NOTA hoc exercitium propriè videri esse pro Sacerdotibus: sed cùm omnes Christiani ejus munere fungantur spiritualiter, juxtà illud D. Petri: Vos estis gens sancta, Regale sacerdotium, ad omnes etiam pertinet. Immò & in Canone, idcirco Sacerdos ait: pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt. Quia tamen aliqua, non ita commodè omnibus tribuuntur, ideò diverso charactere, ea posita, quæ non sunt omnibus communia.

Nota.

PRÆLVDIVM I. Compositio loci: Constitue te coràm Deo vnà cum universo hominum genere, eorumque multitudine innumerabili, ut est arena in littore maris.

PRÆLVDIVM II. Pete humillimè gratiam, ut scias quod sit officium Sacerdotis vel communicantis, & exequaris.

Rom. 8.

Iacob. 4.

PVNCTVM I. Considera Primò summam Christi IESV in nos charitatem: quà vult omnia nobis sua esse communia. qui enim nobis seipsum, nónne omnia secum donavit? Dedit se tibi; & quis es tu? vapor & nihilum dedit tibi, Quis? ille Deus: se tibi; & non dabis te Deo tuo? se dedit, & ut sic loquar, subjecit se potestati tuæ, ut quoties voluerit homo, sistat se. Et quorsum, Domine IESV? quorsum? ut sis mihi in cibum & potum, in medicinam, solatium, refrigerium. Præterea ut tu regnum sis illi, Rex enim ipse est, & in hoc natus est, & ut Sacerdotium communicet animæ tuæ. Ipse enim Sacerdos est secundùm ordinem Melchisedech. Itaque munda illi templum cordis tui, & fac ut in altari illius semper vivat charitas ignis ejus, & requiescat in eo pax illius.

Con-

Considera verò tu, ô Sacerdos, coram Deo universum ut dixi genus hominum; & observa, ut singulis sua munia Rex summus, Dominus, & Paterfamilias tribuat: summum autem inter ea esse sacerdotium. Primò, respectu populi: Omnis namque Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in his quæ sunt ad Deum, ut offerat dona & sacrificia pro peccatis. Secundò, respectu Dei: quia cùm alii circa alia versentur, Sacerdotes circa personam Regis summi; quam quotidie vestiunt speciebus sacramentalibus, deferunt ac distribuunt. Vide quanta dignitas Sacerdotum! Hinc viri sancti, ut Antonius, manus Sacerdotum deosculari cupiebant, S. Franciscus priùs illos, quàm Angelum venerari; Constantinus in Concilio, non nisi juberetur, considere; S. Catharina Senensis eorum vestigia deosculari solebat: & in veteri testamento, summa illis reverentia, ut ab Abrahamo Melchisedech, & summa privilegia deferebantur; adeò, ut etiam morte moreretur, qui obedire nollet sacerdotis imperio. O Rex regum & Domine dominantum, quanto te amore ac honore prosequi debemus; qui de stercore elegisti nos, ut collocares cum principibus populi tui! Quàm vereri debemus, ne qui plus cæteris in hoc mundo accepisse cernimur à te, auctore mundi, graviùs inde judicemur; ô quàm triste tibi accidit esse multos, qui nesciunt te Dominum, neque officium Sacerdotale, Regale Sacerdotium; & quos dignatus es mensâ tuâ & visitatione, vendere in tabernâ hujus mundi, non pro pulte ut Esau, sed pro haustu uno fœdæ voluptatis primogenita sua, & animam suã gratis venũdare sub peccato: immò & te primogenitũ nostrũ è multis fratribus, pro fimo, pro stercore, omnia enim verè arbitratus est Apostolus tuus ut stercora. Metitò mandasti in lege tuâ, ut qui altari serviunt, vinũ & siceram non bibant: vinum scilicet in quo luxuria, ut bibant te IESV amantissime, vinũ germinans virgines.

Sacerdotii dignitas.

Hebr. 5.

Deut. 17.

Greg. hom. 9 in Euang.

Gen. 25.

Rom. 8.

Philip. 3.

Iudic. 13.

Considera ô anima sponsa Christi, fælicitatem tuam, & vide quanti te faciat veniendo ad te Christus IESVS, facit certè Arcam testamenti, siquidem est in te velut throno suo; immò deliciæ ejus sunt esse tecum, & colloqui. In arca erat Manna, quòd verò melius esse potest quàm ipse? Patres enim nostri manducaverũt Manna, & mortui sunt; qui autem manducat hunc panem, vivet in æternum. Arca autem fœderis es; quæ enim arrha major, promissio major esse potest, quàm si tradat tibi se Dominus JESVS tuus? Ergo fac obsecro, Domine, ut sim arca ex lignis imputribilibus, & auro mundo charitatis vestita. Et ut sicut B. Virgo Mater tua, cui aliquâ ratione assimilor dum te suscipio, inveniam gratiam in oculis tuis.

Communicans est velut arca.

Communicans B.V. similis.

PVNCTVM II. Considera, ô Sacerdos, dignitatem tuam, quibusque comparari ob munus illud possis, ut discas non superbire, sed honorificare ministerium tuum. Comparari Sacerdotes possunt, & tu potes 1. veteris testamenti Prophetis; per quos Dominus consulebatur & loquebatur. Secundò, sancto Ioanni Baptistæ; qui præcursor Domini eum semel tetigit & abluit; cùm Sacerdos quotidie consecret, contrectet eumque pascatur. Tertiò Angelis; quia sicut hi Loth de Sodoma, Israëlitas per desertum duxerunt, Eliæ panes tulerunt: ita Sacerdotes spiritualiter facere oportet: Labia Sacerdotis inquit Malachias, custodient scientiam, & legem requirẽt ex ore ejus: Angelus enim Domini exercituum est. Quod si ita est, & sacerdotale cor ut Gregor. arca testamenti, in quo spiritualis doctrina videtur, & proculdubio tabulæ legis jacent: si, ut Hieron. Dei & hominum sequester est, ejusque ad populum nuntiat voluntatem; nónne, si ignorat legem, ipse se arguit non dignè esse se sacerdotem? si verò non faciat, cùm sciat, ex ore suo se judicat? Quartò, comparatur Moysi; quia educunt populum de Ægypti, id est peccati, servitute, & præeunt exemplo, Quid igitur? an non

Deut. 17. Num 18. Sacerdos Prohetis & Moysi & S. Ioanni & Angelis cõparatur.

Malach. 2.

Gregor. Hieron.

non judicium severissimum fiet, si quis verbis prædicet voluntatem Dei, & non faciat? & pœnitentiam, patientiam, charitatem, & humilitatem, & factis contraria faciat? Quintò, B. Virgini etiam aliquâ ratione assimilantur; quia inter manus Sacerdotis quotidie Verbum caro fit: imò Sextò, divinitas aliqua est hæc dignitas. unde dicitur: Ego dixi, Dii estis: Diis non detrahes, & iterum: Afferte Domino filii Dei, afferte Domino filios arietum. Hos jam non sacrificat Sacerdos, sed filium Dei. Vide obsecro, quàm dignè has personas sustineas, videamus, frater mi, ne nos quibus dictum est, Dii estis, audire cogamur: Vos autem sicut homines moriemini, & sicut unus de Principibus cadetis. O dulcissime JESV, quid retribuemus tibi pro omnibus quæ retribuisti nobis? Túne dignaris per nos sacrificium offerre, peccata dimittere, amicos appellare, cælum aliis aperire, & ob ingratitudinem nostram claudetur illud nobis? O mira divinæ bonitatis dignatio? servi digni non sumus, & amici vocamur. & per hanc amicitiam vis omnia nobis communia: quæcumque enim audivisti à Patre, nobis nota fecisti; & dixisti: Dispono vobis sicut disposuit mihi Pater meus, regnum, ut edatis & bibatis super mensam meam. O sanguineis dignaresque lacrymis, quod sæpè amici tui osculo te tradant; qui edunt non panes tuos, sed te te quotidie; aluntur patrimonio tuo, & illud dissipant; pastores sunt & dispergunt exemplo greges; amici dicuntur, & sunt, qui alios exemplo ad inimicitias tecum provocant; immò avertunt aliquando à te, & vix sinunt ad amicitiam tuam unquam redire.

Psalm. 81. Exod. 2. Psalm. 28.

Gratiarum actio.

Gregor.

Ioan. 15. Lucæ 22.

Sacerdos malus quid agat.

PVNCTVM III. Considera, ô anima, te esse templum Dei optimi maximi, & attende, an æquum sit ut ibi Dagon colatur, ut ibi Beelzebub adoretur, id est superbia, avaritia, ambitio, luxuria regnet. Non regnet, ait ille, peccatum in vestro mortali corpore, non regnet, obsecro, in te, ô anima immortalis, mors & perditio.

Anima est templum Dei.

Matth. 5. Considera, ô Sacerdos, tibi dictum illud Salvatoris: Vos estis sal terræ: quòd si sal evanuerit, in quo salietur? ad nihilum valet ultrà, nisi ut mittatur foras, & conculcetur ab hominibus. Vide igitur qui à corruptione luxuriæ, avaritiæ, superbiæ, alios servare debes; quantoperè cavendum tibi sit; ne infatueris & conculceris; & quo pacto id facturus sis. Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum? Quid dicam, Deus meus? cithara mea conversa est in luctum, & organum meum in vocem flentium. Multum enim datum est nobis: sed cui multum datum est, multum quæretur ab eo; & cui commendarunt multum, plus petent ab eo. Certè (de Sacerdotibus enim illud scriptum video, & exemplis probatum) impossibile est eos, qui semel sunt illuminati, gustaverunt etiam donum cæleste, & participes facti sunt Spiritus sancti, & prolapsi sunt; rursus renovari ad pœnitentiam; rursum crucifigentes sibimetipsis filium Dei, & ostentui habentes. Nónne verò ita contingit tibi benignissime JESV; dum te audent illi aliquando cælo evocare, & tractare filium Virginis, qui paulò ante contrectarant membra meretricis? Nescitis, quoniam corpora vestra membra sunt Christi? tollens ergo membra Christi facies membra meretricis? absit. Quæ participatio justitiæ cum iniquitate? aut quæ societas lucis ad tenebras? quæ autem conventio Christi ad Belial? aut quæ pars fideli cũ infideli? quis autem consensus templo Dei cum idolis? Vos enim estis templum Dei vivi, sicut dicit Deus: Quoniam inhabitabo in illis, & inambulabo; & ero illorum Deus, & ipsi erunt mihi populus; propter quod exite de medio eorum, & separamini, dicit Dominus, & immundum ne tetigeritis, & ego recipiam vos.

Ieremiæ 9. Iob. 30. Luca 12. Hebr. 6. 2. Corint. 6. 2. Cor. 6.

Bellar. l. 2. de Gemitu Columbæ, c. 5. & 6. Quantum Sacerdos distare moribus debeat à vulgo.

Considera Secundò, quantum debeat pastor ab ove distare; dux à milite; Rex à cerdone; magister à discipulo; qui alium portat ab infimo; Angelus ab homi-

ne: & hoc tibi, ô Sacerdos, applica. Cogita, cur à plebe officio, fori privilegio, & libertate vectigalium separatus sis. Nónne ut moribus etiam distes? vides, ait Ambrosius, in Sacerdote nihil plebeiũ requiri, nihil popu- *Ambr. l. 1. epist. 6. ad Iren.*
lare, nihil commune cum studio atque usu & moribus multitudinis? sobriam à turbis gravitatem, feriam vitam, singulare pondus dignitas sibi vendicat sacerdotalis. Quomodo potest observari à populo, qui nihil habet separatum à populo? Hieron. verò, vulgus, ait, *Hier. sup. Isaiæ 32.*
indoctum in die judicii, tanquam Gith, & cyminum corripietur virga & baculo; Sacerdotes autem magnis suppliciis torquebuntur. Appendit enim Dominus *Iudicium grave Sacerdoti.*
dona sua, & talentorum usuras repetit, & pondere sanctuarii trutinat opera nostra: nisi illa tantum distiterint à vulgo; quantum dignitate anteimus; tanquam minus habentia rejicientur.

PUNCTUM IV. Considera, ô anima, tibi dictum: Vos estis lux mundi, & licet id omnibus dictum, sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera ve- *Matth. 6.*
stra bona, & glorificent Patrem vestrum qui in cælis est; tamen id magìs tibi, ad quem toties venit justitiæ sol. Quid enim turpius quàm filium videri tenebrarum, quem sol ille toties venit ut illustret?

Quòd si verò id cuivis animæ quid tibi, ô Sacerdos, faciendum putas? Cogita, obsecro, mi frater, dum tempus est miserendi, dum habes placabilem Dominum, cui enim maximè hoc dictum convenit? nónne tibi? & vide quale, ô obsecro, lumen sis. Non potest civitas abscondi supra montem posita. non poterit latere virtus tua, non poterit iniquitas tua. Cogita, obsecro te statutum velut Pharon navigantibus hoc mare, & vide quæso, ut non verbo, sed opere luceas. O quantum tibi & mihi paratum judicium, si exemplo in devia & syrtes & charybdes animas ducamus? Quid putas faceret rex, si quis exaltatus ab illo de stercore, & missus, ut ad se populum convertat, averteret; ut sibi

eum conciliet, ad seditionem contra se, seu peccatum exemplo provocaret? Nos enim legatione fungimur pro Christo. Beati, ait Bernar. pacifici quoniam filij Dei vocabuntur. Considera, ait, non pacidicos, sed pacificos commendari. Timeamus ergo vehementissimè, ait Gregor. fratres charissimi, & curemus ut conveniat actioni nostræ ipsum ministerium nostrum. De peccatorum quotidie relaxatione cogitemus: consideremus sine cessatione, quid sumus. Sanè ait, Bernard. si altiorem, & non meliorem esse delectat, non præmium, sed præcipitium expectamus.

Greg hom. 17. in Euāg.

1. Pet. 2.

PVNCTVM V. Considera an hæc tibi quadrent, ô anima, quæ toties Christi corpore pasceris, an electum sis genus & electa ex millibus, ut tibi toties se communicet fons omni boni; quantum præ aliis eum timeas, colas & ames. Electus erat populus ut peculiari cultu eum honoraret. 2. Attende an, quia es Regale Sacerdotium, verè Rege dignos mores habeas, & cui hominum, cui creaturæ servias. Obsecro te, noli degener servire servitutem duram, quæ ad regna vocata es. Nunc verò te & me alloquor, ô Sacerdos, nos verè genus electum, Regale Sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, qui nos de tenebris vocavit in admirabile lumen suum, dicito mihi, poterimúsne in die Domini novissimo meritò audire: vos autem genus electum? An verò sicut populus sic & Sacerdotes, leves, vani, & cupidi sumus? An ut Reges animo nostro moderamur? An gens sumus sancta? populus dignus qui ita acquireretur? tanti emeretur, id est sanguine unigeniti filij Dei?

Animæ justi Regnum habet.

Apoc. 1.

O IESV Redemptor mi, fecisti nos infinitâ dignatione tuâ & charitate Reges, & Sacerdotes Deo & Patri tuo. Et quorsum? scriptum video, ut annuntietis virtutes ejus qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum. Eramus aliquando tenebræ, nunc autem lux in te, Domine IESV. Utinam ergo sic luceat lux nostra

ſtra coram hominibus ut videant opera noſtra bona, & glorificent te, ô JESV, ſalus noſtra. Quòd ſi in lege veteri Sacerdos ſine maculâ eſſe debebat; nónne id multo magìs in nova oportet? & non cæcum eſſe ignorantiâ, non claudum inconſtantiâ, ut ſic nos exiſtimet homo quaſi miniſtros Chriſti, ut diſpenſatores myſteriorum Dei. Et ad hoc, conſidera cærimonias veteris legis, quibus Sacerdos ſacris aptabatur. Primò: veſtibus ordinariis exuebatur: ut ſciamus & nos oportere deponere, ſecundùm priſtinam converſationem, veterem hominem, qui corrumpitur ſecundùm deſideria erroris. Inde albâ veſtiebatur, quâ puritas ſignificatur. Secundò Hyacinthinâ tunicâ; qua cæleſtis vita. Sacerdotes enim oportet verè poſſe dicere cum Apoſtolo, Noſtra converſatio in cælis eſt. Ex hac pendebant tintinnabula de auro puriſſimo, & inter hæc malogranata; quia incitare omnes exemplo ad pietatem debent. Deinde ornabatur rationali de auro, Hyacintho, purpurâ, coccoq; bis tincto & byſſo retortâ, opere polymitario, quod quatuor elementorum colores præferebat. unde colligunt Doctores, ex hoc intelligendum, Sacerdotem velut Atlantem, totum mundum ſacrificiis & ſanctitate ſuſtinere debere. Hîc igitur attende quot toto orbe peccent; & periclitentur animæ; quibus tu ſacrificio adeſſe, ſi velis, potes, & charitatem ac zelum excita. Hoc indicabant lapides duodecim precioſi, in quibus erant nomina filiorum Iſraël poſita in rationali. quemadmodum & per verba Vrim & Thumim, id eſt doctrinam & veritatem, eum memorem reddebant, in his populo præire debere Sacerdotem. Si autem in figurâ tanta obſervantia, quanta in veritate? In fronte habebat laminam de auro puriſſimo: ſcriptum in eâ erat opere gemmario, Sanctum Domini: eratque hæc in fronte Sacerdotis, ut vita tota ſanctitatem præ ſe ferret. Sancti ergo ſimus Deo noſtro, & ſacerdotes Dei induamur juſtitiam. Sanctus

Sacerdos debet eſſe ſine macula.

1. Cor. 4.

Cærimoniæ legis quæ.

Philip. 3.

Sacerdos quaſi Atlas.

Zelo ardere debet Sacerdos.

Chrysost. Eum, inquit, qui pro civitate totâ; quid dico, pro civitate? immò verò pro universo orbe terrarum, legatus intercedit, deprecaturque, & apud Deum, ut hominum omnium, non viventium modò, sed etiam mortuorum peccatis propitius fiat; qualem quæso esse oportet? imputandum ergo timeamus nobis, si stare inter mortuos & viventes, cum Aaron, & plagam orando avertere digni non simus, immò fortè provocemus.

Sacerdos pro omnibus intercedit.

PVNCTVM VI. Considera, ô anima quibus cæremoniis Dominus JESVS Sacerdotes novi Testamenti creârit. Primò, pridie, quàm pateretur, summamomnium suorum operum, magnâ voluptate (quamindicat illud: Desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum) facere voluit, priusquam opus redemptionis passione consummaret, sanguine signaret. Ingressus est cœnaculum grande stratum, preciosamque adhibuit (quæ etiamnum visitiitur) supellectilem, ut exigebat mysterium. & surrexit æqualis Patri, à cœna, & ipse ponit vestimenta sua, & prostratus, ô dignatio summa! pedes lavit discipulorum; & exhortatus est eos ad humilitatem, charitatem, & omnimodam perfectionem. Vides quomodo ponere fastum, pedes aliorum, & affectus erga terrena lavare debeas, id est, exemplo tuo homines à terrenis avocare, ô anima, quæ toties ad cæleste convivium vocaris, quàm mundam te esse oporteat, quàm preciosa cordis tui vasa offerre debeas.

Lucæ 22. Institutio Sacerdotis.

Ioan. 13.

Et verò, ô frater, ô Sacerdos, nos ad majora vocati sumus. Nónne ideò putas, postquã triennium in schola virtutis suos exercuisset Apostolos Dominus noster IESVS, tum demum Sacerdotes ordinasse, & quidem in pectore illo decumbente Ioanne virgine? qui enim ad pectus IESV, ad sacrificandum corpus ejus accedere vult, & esse discipulus, quem tu Magister bone, dulcissime IESV, diligas, virgo sit oportet, & purus. Sanè si pa-

nes

nes propositionis in mensâ aureâ ponebantur, immò etiam in clibano aureo (ita Lyranus) coquebantur; denique in auro purissimo servabantur; quantâ hîc puritate opus, quàm arctè renes constringendi? nihil enim tam adversarium filio virginis quàm impuritas, qui omnibus infirmitatibus nostris se subjecit, de Virgine tamen nasci voluit. Quantum ergo ei displicet impuris animis suscipi, pollutis manibus tractari, templum suum libidine violari? Nescitis, ait Apostolus, quia templum Dei estis, & spiritus Dei habitat in vobis? si quis autem templum Dei violaverit, disperdet illum Deus. Lavamini igitur & mundi estote: mundamini qui fertis vasa Domini; maximè, cùm etiam Ethnici Sacerdotes. Venere, carnibus & vino abstineant. Ad quod meritò exclamat August. O grandis Christianorum miseria! ecce Pagani, doctores fidelium facti sunt; & peccatores ac meretrices præcedent nos in regno Dei. Illi certè, ut Ninivitæ surgent in judicio, & condemnabunt nostram inertiam & lasciviam. Graviùs enim peccant indignè offerentes Christum regnantem, quàm qui eum crucifixerunt ambulantem in terris. uti pro favo mellis & manna cælesti, dant, & dederunt in escam Christi fel; & in siti ejus potaverunt eum aceto, & super dolorem vulnerum ejus addiderunt. Quis non contremiscat audiens Ozam percussum, volentem sustinere arcam? Quis non admiretur se veritatem divini judicii in Moyse dubitante, & prohibito cum Aarone intrare terram sanctam?

Exodi 25.

2. Cor. 6.

Isaia 1.
Isaia 52.

August.

Matth. 21.
August. sup. Psalm. 88.

2. Reg. 6.

PUNCTUM VII. Considera Primò, quâ devotione & desiderio accedere te oporteat, ô anima. Si enim convivium magnum, sumptuosum paratum foret à Rege, quàm indignum si vilis homuncio invitatus respueret & significaret illi, quòd malit ire ad haram, & comedere cum porcis, etsi siliquis eorum explere ventrem nequeat; sic facis quoties pigrè & segniter

Quâ devotione communicandũ.

ad cæleste hoc convivium vadis.

Considera Secundò, quæ Deus tibi dederit in hac vitâ bona, & scis non alio fine quàm ut ita utereris, ut dignum te faceres hac cænâ cælesti. miraris? Ecce si victum det & panem quotidianum, supersubstantialem te postulare vult, si vestem largitur, nónne ut vestem nuptialem habeas, eâque ornatus sic in triclinio ubi corpus ejus distribuitur compareas? si honores tribuit nónne ut honorifices eum præ aliis in Vener. Eucharistia? ideò enim comparet, ideò circumferri vult, dulcissimus Redemptor noster.

Quanta debeat esse Sacerdotis puritas,

Nunc verò, ô Sacerdos, quâ te & me par est præ aliis desiderio & præparatione accedere? nónne idem curâ rerum temporalium liberati sumus? Quid clamant purgandæ animæ eorum, quorum sanguine & sudoribus vivimus, nisi vindictam, si non exhibeamus illis vitâ sanctâ, & orationibus nostris misericordiam! Illi tibi sua dederunt, ut eas juves; illæ suum defraudarunt genium, ut tibi lautè esset. Vt quid putas, quidem eleëmosynis eorum fidelium vivis, & Christi IESV patrimonio? Túne potes surdâ aure audire illud: Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos amici mei; nos amici eorum simus oportet, si grati esse volumus; nos illis solatio esse, quarum plurimæ torquentur, quòd bona malè pepererint, etsi postea pœnitentes, quibus tu & ego fruimur.

Animarum purgatorii postulatio.

Considera quanta sit gratia, ô Sacerdos, quòd ego tuque dicere queas: Dominus pars hæreditatis meæ, & calicis mei; & iterum, funes ceciderunt mihi in præclaris; etenim hæreditas mea præclara est mihi, verè enim præclara est. Ideò meritò exclamat S. Augustinus: Quæ conventio Christi ad Belial? Qui possessiones terrenas relinquere nolunt, cur peccata populi comedunt? & decimas cum filiis Levi accipiunt, quomodo inter cæteras tribus partes accipient? Si ergo hæreditas nostra Dominus; cur militantes Deo multi, implicant se sæcularibus?

Psalm. 13.

Rom. 8.

laribus? cur plus nugis & fabulis tempus teritur, quàm meditatione & oratione?

Cur sacerdotes pii esse debeant.

Considera deinde illa verba: Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus, id est, postulare facit, & vide quo dicendi sint spiritu agi, qui sacrosancta agunt minùs sæpè reverenter & accuratè, quàm domestica negotia sua & aliorum agere soliti sunt? Considera tertiò, sacrificium hoc esse illud, Primò, quo Deus maximè honoratur; Secundò gratiæ pro omni creaturâ aguntur, & Deus propitiatur; Tertiò, quo beneficia pro toto orbe petuntur. Si ergò adorare & honorare pro omni creaturâ vitæ & mortis imperium habentem debes: quâ par est devotione offerre hoc acceptissimum & nobilissimum sacrificium, & majus omnium Sanctorum meritis? offers enim, ô Sacerdos, Christum; immò ipse se offert per te: quod majus longè est, & acceptius Deo, quàm sint omnes omnium Sanctorum laudes. vis ergò gratissimum opus sanctissimæ humanitati Christi facere? crebrò sacrificium hoc offer, cum nullo magis Deo Patri gratus fueris quàm illud offerendo. Vis B. Virgini amātissimæ Matri & Dominæ nostræ rem gratissimam præstare? offer illius amplexibus filium ejus recens natum inter labia & manus tuas. vis sanctos maximè honorare, & gratificari? offer illud sacrificium in gratiarum actionem pro beneficiis quæ in eos divina contulit liberalitas. Equidem sacrificium hoc respondet magnitudini beneficiorum; immò majus est. Si ergo pro omnibus orare, partes Christi Iesv agere (qui quoties Missa peragitur, ipse vulnera ostendit Deo Patri, & pro nobis vermiculis etiam advocati partes agere dignatur, & interpellat pro nobis) si propitiare oportet Deum pro universis: quantam abferre innocentiam necesse est! O tremendum, terribile, divinum, deificum, sacrosanctum, plenum divinitate, honorificum, summum, singulare sacrificium! quis fidelium, ait Gregor. habere dubium possit, in ipsâ immola-

Quid hoc agatur Sacrificio.

Gratissimum Deo sacrificium & SS.

Quid in cōsideratione

considerandum. molationis horâ, ad sacerdotis vocem cælos aperiri? in illo Christi IESV mysterio, Angelorum choros adesse? summis ima sociari? terrena cælestibus jungi? unumque ex visibilibus & invisibilibus fieri? Considera denique iterum iterumque quâ præparatione opus sit ut sacrificium hoc offeras. Et si planè maxima, cur nobis, obsecro mi frater, dies abeunt in negotia frivola? Credimus hæc? credere nos fatemur, at quæ vita fidei nostræ est, si id unde pendent universa bona, procrastinatur, negligitur; si quod summum est, minimi, quod minimum est, maximi fiat; si quod maximum, ociosè, festinanter, intempestivè, inconcinnè agitur & peragitur? An majus hoc negotium habemus? an utilius novimus? an honorificentius?

EXERCITIVM.

Isaiæ 59. *O Anima mea, ecce vides ut non est abbreviata manus Domini, ut salvare nequeat, neque aggravata auris ejus, ut non exaudiat. Veni igitur, & ascendamus in montem Domini, & domum Dei Iacob. Veni, & hauriamus aquam de fontibus*

Isaiæ 59. *Salvatoris; vulneribus tuis, ô* IESV *amantissime. Iniquitates nostræ diviserunt inter me & te, & peccata tua absconderunt faciem tuam à me, ne exaudires. veruntamen, Ecce revertor ad te in*

Isa. 55. 1 *toto corde, & quæro te. Respice prodigum & suscipe me, quem tam amanter vocas, & invitas ad te.*

Venio ergo ut emam absque argento, & ullâ commutatione vinum & lac à te, Pridiè enim quam patereris, accepisti calicem, & gratias agens dedisti gratis, fecistiq; conviviũ pinguium,

Isaiæ 25. *pinguium medullatorum, ad quod suspiro. Gustavi enim quàm*

Humiliatio sui. *suavis sit Domine spiritus tuus, & licèt miser & nudus, & miserabilis sum, audivi & credo toto cordo, totâ animâ meâ, quod misericordiam potiùs velis, quàm sacrificium præter illud, de quo ille, Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum non despicies, imò post hoc gratiâ tuâ & dignatione, pro charitate tuâ infinitâ erga me, hoc retribuam tibi, & pro omnibus quæ retribuisti mihi, calicem salutaris accipiam, & nomen*

nomen tuum Domine invocabo. Laudans invocabo Dominum, & ab inimicis meis salvus ero. Vota mea reddam coram omni populo ejus, in atriis domus Domini, in medio tui Ierusalem. Psal. 115.

Exercitium pro Sacerdote.

QVIS sum ego, & quæ domus patris mei? quis es tu Domine Deus meus! magnus es, Domine, & laudabilis nimis, & magnitudinis tuæ non est finis. Vnde ergo recordatus es nominis mei, ut faceres me genus electum, regale sacerdotium? Quis sum ego ut memor sis mei? quî factum est ut eligeres me ex millibus, ut fungerer Sacerdotio coràm te, & haberem laudem in nomine tuo, & offerrem tibi incensum in odorem suavitatis? unde hoc mihi ut ego essem sal terræ, ut quisquis mihi Sacerdoti jungitur, quasi ex salis tactu, æternæ vitæ sapore conditetur, & ego non sapiam quæ Dei mei sunt, quæ sursum sunt? O lux mea, quæ illuminas omnem hominem, unde hoc mihi ut essem lux mundi, ut lucerem sic coram hominibus, ut viderent opera mea bona, & glorificarent te Patrem meum qui in cælis es? Ego esse potero filius tenebrarum, & sæculi hujus, vanus & cupidus, & quærere aliquid extra te qui es pars mea & hæreditas mea? Gregor.

O quàm desidero honorificare te, & amare super omnia! Absit ut etiam de me ô infinita bonitas, conqueri possis & dicere: Filios enutrivi & exaltavi, ipsi autem spreverunt me! Filius honorat patrem, & servus dominum suum. Si ergo pater meus, & pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, meritò queris & quereris ubi est honor, ubi amor meus? & si Deus universorum tu es, meritò rogas ubi est timor meus. Vtinam sic te timeam, sic te amem ut postulat à me Majestas tua & amabilissima Charitas tua. Isaiæ 1. 2.

Ecce audio talem oportere esse Sacerdotem, ut quod populus pro se apud te, Domine, non valet, ipse pro populo mereatur, quod poposcerit impetrare. Quia scriptum est, si peccaverit populus, orabit pro eo Sacerdos. Quâ autem fiduciâ pro peccatis alienis ad Deum intercessor venio, qui de propriis securus non sim? Miserere mei, Deus, miserere mei; cor mũdum crea in me, cor novum, cor carneum, cor quod tibi placeat, contritum & humiliatum, Aug ser. 2. in Psal. 3.

ut despicere illud nequeam, sed in eo in pace, & in idipsum dormire & requiescere, & mansionem in eo facere.

In sole posuisse diceris tabernaculum tuum, & ipse tamquam sponsus procedens de thalamo suo. O utinam ergo sol esse queam, ut in me sit tabernaculum, & thalamus tuus. Imò sacerdotalem animum solaribus radiis puriorem esse oportet. Quid ergo faciam? Quid facies de me, ô infinita bonitas? quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? nónne tu qui solus es? Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum innova in visceribus meis; spiritum sancti timoris, sapientiæ ac scientiæ, spiritum amoris ac filiorum tuorum, ut dicere possim: Vivo ego, jam non ego, vivit verò in me Christus; ut sic queam vivere in tibi vivam, sic N. & sic N. & moriar mihi.

Ecce venio ad te ad thronum misericordiæ tuæ, ad te bone JESV, *qui dilexisti justitiam & odisti iniquitatem, & propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis, ut de plenitudine tuâ accipiamus, & hauriamus aquas de fontibus tuis. O dulcissime Redemptor mi, da mihi, uti promisisti mensuram bonam, & confertam & coagitatam, quia bonus es, quia in sæculum misericordia tua. Quæ illa mensura? tu illa es, & omnia mihi es. Da ergo mihi teipsum, da ut istud quod tibi amantissime offero, tibi sit in odorem suavitatis, in quo cara tuâ in veritate sumitur. Vbi summis ima junguntur, ubi adest præsentia Sanctorum. Vbi tu es Sacerdos & sacrificium, mirabiliter & ineffabiliter constitutus, Tu Sacerdos summe pientissime Pontifex, qui compati nosti infirmitatibus nostris, cum clamore valido preces supplicationesq; offerens, exauditus es pro reverentiâ tuâ. Exaudi me per sanguinem tuum, per merita tua, & multitudinem miserationum tuarum.*

Hebr. 5.

Animæ purgatorii juvandæ, &c.

Ecce fideles animæ afflictæ sponsæ tuæ, ardentissimè suspirantes ad amplexus tuos clamant ad me, ut miserear earum. Ecce peccatorum pereuntium plurima turba, miseriâ ipsâ suâ quasi ejulatu magno subsidium flagitant & dicunt. Empti sumus pretio magno, & quòd laveris eos in sanguine tuo. Itaque per gratiam tuam cupio & ego anathema esse pro fratribus his meis, ne in æternum maledicant tibi, ô bonitas, quæ reples nos cum benedictione

Zeli actus.

nedictione in cœlestibus. Ecce quot justi, amici, N. & Benefactores N. afflicti exspectant hanc elevationem manuum mearum, sacrificium hoc vespertinum. Quid faciam? jussisti me legatione fungi pro omnibus, & omnium peccatorum, quorum primus ego sum delicta porto, vel potiùs, ut verè, tu portas in me. Ego loquor ad Dominum pulvis & cinis, canis mortuus, & vapor & nihilum: protector meus esto, ne derelinquas me Deus salutaris meus. O Pater æterne, dirigatur obsecro, jã oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo: & respice, Domine, ad unigenitum tuum, respice in faciem Christi tui, & per illius amarissimam passionem, & memoriale ejusdem concede reis veniam, defunctis solatium, medelam ægris, afflictis consolationem, peccatori conversionem, justis perseverantiam, & mihi ut te diligam toto corde, & totâ animâ mea, nunc & per infinita sæcula. Amen. Psalm. 140.

Praxis præparandi sese ad Sacrum: seu octo gradus, quibus anima ascendat ad tabernaculum Dei cum hominibus, sanctissimam Eucharistiam.

ANte omnia confessionem instituere, vel saltem examine cor mundare convenit, ad adventũ illius. cujus oculi mundissimi sunt, & ad iniquitatem respicere non possunt. Deinde aliquo temporis spatio, ante Sacrum octo his velut gradibus ascende ad tabernaculum. Primò, fidem vivam excita tum præsentiæ Dei, si in ullâ oratione, tum realis corporis Christi in Vener. Sacramento, & cogita quâ intentione illi offerre sacrificium velis. 1 *Gradus. Actus fidei.*

Secundò, defectus ac peccata vitæ præteritæ universim deplora, optando vehementer totâ eâ præparasse te habitaculum cordis tui, Domino tuo. Si tempus ferat, defectus, quos jam adhuc experiris, coram Deo detestare; maximè eum, contra quem te examine particulari exerces; & virtutum ornatum pete. 2. *Contritio.*

Tertiò, considera mundum universum, & lamenta ac desidera animarum in Purgatorio, & viventium pericula; multorum item in terrâ fervorem: eoque accende teporem tuum. Potes etiam aliquod motivum addere, ad varietatem, ex iis quæ infrà ponentur. 3. *Zelus & charitas.*

Quartò considera, quidquid est in ullâ creaturâ, in Deo, ut fonte 4. *Cõsideratio bonitatis divinæ.*

ſonte atque abyſſo, infinities perfectiùs contineri: quantoque affectu mortales ad illas ferantur; quanto tepore ad Deum loquendum feraris, omnemque affectum in eum transfer: ut nihil ames, nihil timeas, extra illum.

5. Aemulatio Sanctorũ. Quintò, cogita quo fervore ſancti Apoſtoli, Martyres, Virgines communicârint, dum viverent, quo in morte, & quo Deum, recepti in cælum, affectu complexi, quoque jam complectantur; eumque æmulare, & ſupplex eos roga ut tibi adesse dignentur.

6. Angelorũ item & B.V. Sextò. attende ſimiliter quo id fecerint & faciant Angeli purriſſimi ſpiritus, jam nacti poſt prælium cum dracone æternam ſecuritatem, & imprimis Regina eorum ſancta Maria. cordi ſuſcipere Dominum opta, & ad eum ſuſpira; ac B.V. inprimis patrocinium implora.

7. Beneficiorum Dei recordatio. Septimò, conſidera beneficia Dei quibus te prævenit, generalia & particularia, & iis te accende: ſpemque diligenter excita obtinendi cætera ad ſalutem neceſſaria.

Octavò, admirare potentiam, ſapientiam, & in primis bonitatem Dei, & amorem æternum hîc elucentem: ac fidei, ſpei, caritatis affectus exerce.

Poſt hæc, valde collecto animo ac ſilentio ad locum ſacrificij. Ad aquam luſtralem vel lotionem manuum excita contritionem & oratiunculam ante lectionem Horarum, vel Sacri auditionem poſitam recita, & hanc qua intentione dingitur & ex conceſſione Greg. XIII. *Indulgentia* 50. *annorum* acquiritur. Ego volo celebrare Miſſam, & conficere corpus & ſanguinem Domini noſtri IESV Chriſti, juxta ritum ſanctæ Romanæ Eccleſiæ ad laudem omnipotentis Dei totiusque curiæ militantis, pro omnibus qui ſe commendârunt orationibus meis in genere & in ſpecie; & pro felici ſtatu ſanctæ Romanæ Eccleſiæ. Amen.

Gaudium cum pace, emendationem vitæ, ſpatium veræ pœnitentiæ, & conſolationem ſancti Spiritus, perſeverantiam in bonis operibus tribuat nobis omnipotens & miſericors Dominus. Amen.

Exercitium quòd ſuperiora ferè complectitur.

Deſideriũ & fames Ven. Sacramenti. *O Rex Regum & Domine Dominantium ſitivit anima mea ad te fontem vivum, ad te, ô finis & principium meum, & deſidero te amantiſſime ſuſcipere, idque ut te, quod mihi mandas, poſſim ſuper omnia amare, quæſo Domine mi jucundum ſu*

hoc eloquium meum. Confitebor tibi in vasis Psalmi mirabilem hanc veritatem tuam, opus enim grande quod fecisti mihi, & mirabile; imò memoria & summarium omnium mirabilium tuorum. Miretur quis te verbo uno ex nihilo creasse omnia, mirabor ego te verbo hominis, & pane cælesti recreare omnia. Stupeat qui volet magnitudinem universi hujus; ego magis abbreviatum te esse, ô Verbum, sub minimâ specie Sacramenti hujus, amo te, & extollo charitatem tuam, quia cælum & terram dedisti homini, & omnia subjecisti sub pedibus ejus. Sed superamabilis mihi es, quòd te mihi, cæli & terræ Dominus sic dones. & cujus ero ego si non tuus? hæc firmâ fide credo, & pro eo paratus sum mori ut vivam tibi, quod spero, & te amem, quod totis viribus concupisco. Tuus ego sum, & tu ex nihilo creasti me, & sic me recreas & nutris? Quod sum, possum et scio, tuũ est, et quomodo Pastor bone Creator mi non adhærebo tibi toto corde meo? Quomodo potui aliquando sic & sic N. derelinquere te? & pergere in ruinam? Nunc verò miserere, ô IESV, pupilli & filij prodigi tui, pulsantis viscera misericordiæ tuæ, ut possim hæc N. emendare gratiâ tuâ, tecum terrena omnia despicere, in novissimo loco recũbere, pauper & contentus esse. Non sum enim, non sum, amantissime IESV, ego vilissimus servus major te Domino & præpotenti Deo meo, da voluntatem & tuam unius gloriam quærere, tibi in omnibus obedire.

Psal. 109.

Fidei actus primus gradus.

Contritio secundus gradus.

O quot video pereuntes animas, quot conspicor affligi sponsas tuas in flammis! quot amicos tuos in angustijs! morituros in periculis. Hi omnes flagitant abs te per sacrificium hoc meum solatiũ. Et torpere possum? desidero ergo te humillimè & amantissimè suscipere, & sincero amore tibi conjungi, & nunquam abs te separari, in te enim omnia habentes, et à te, quomodo possumus te Domine IESV dimittere? Nónne tu fons omnis boni & omne bonum nobis es? Quanto igitur par est affectu, cùm tanto sua quærant filij sæculi hujus, me quærere te & suscipere te, & complecti te purissimo amore, ad gloriam tuam? Desidero te millies mi IESV, quando venies? ut unum tecum me facias.

Tertius gradus zelus & charitas.

Quartus cõsideratio bonitatis divinæ.

O utinam te cum omnium Sanctorum & Angelorum affectu, cum B. Virginis velut immenso amore, & omnium creatu-

Quintus æmulatio S.

rarum suscipere te possim, qui tot benedictionibus immeritum prævenisti, ô Deus meus! O potẽtissime, & optime Deus meus, gratulor tibi & gaudeo de omni bono tuo, & gratias agere volo hoc sacrificio pro omnibus beneficiis tuis, & quia pro me natus, crucifixus & mortuus es, ô vita nostra, nónne quia fecisti me, debeo me tibi, & quia me sic refecisti plusquã me? quid jam retribuã tibi, quòd dum me pascere vis corpore & sanguine tuo, me improborum & tepidorũ injuriis in hoc Sacramento exponere dignatus sis, idq; quia deliciæ tuæ sunt esse mecum, qui desiderabas desiderabas hoc Pascha mecum celebrare.

Sextus. B. V. imitatio & Angelorum. Septimus. Beneficiorum Dei recordatio.

O quanta hic Deus meus potentia elucet, quanta emicat sapientia, sed super omnia inexhausta bonitas & misericordia tua! credo tibi, veritas æterna, quòd verè & realiter mihi præsens sis in hoc memoriali Passionis & mortis tuæ, potentiæ, sapientiæ & bonitatis tuæ, verè tu Deus absconditus, & vides & audis, & scrutaris intima mea, sic totus in toto, ut etiam in singulis partibus indivisibilis, & immutabilis, ut me vermem pascas & sanes, ut me doceas humilitatem, obedientiam, patientiam, charitatem & perseverantiam. In te solo spem omnem colloco, & resigno me divinæ providentiæ tuæ, & diligo te toto corde & animâ mea. Offero tibi hoc sacrificium laudis in unione sacrificij cruenti, & omnium meritorum tuorum. Offero me & omnia propria mea, & commendo eos, & ea pro quibus orare debeo, quia tu sicuti vis; & sincerissimè statuo coram te, ô IESV, amor æternus, tibi vivere & mori, da mihi gratiam ad hæc omnia, sine qua nihil omninò possum, o Deus meus, Deus cordis mei & omnia. Amen.

Octavus. Perfectionum divinarũ consideratio. Resignatio.

Considerationes, seu Motiva varia, pro affectu vario ac tempore consideranda, expendenda simul primò; quis veniat; secundò ad quem; tertiò, quare.

PRIMVM est, magnitudo amoris Christi in hoc Sanctissimo Sacramento, ubi hoc consideraveris, uti poteris excitando illo: *Haccine vera*, ut suprà pag. 7. Secundum, miracula, ex-

ca hoc facta, & beneficia ab alijs per hoc ipsum impetrata. Tertium, magnificentia, quâ ubique colitur. Quartum, effectus Sanctissimi Sacramenti; qui sunt, illuminatio, unio, & cõfortatio. Quintum forma institutionis illius. Sextum, quòd sit medicina omnium malorum. atque per hoc mysterium omnia miracula à Christo Domino facta, innoventur. Septimum, finis hujus, qui est deificatio nostra. Octavum, hæc sententia: *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat: qui enim manducat & bibit indignè, judicium sibi manducat, & bibit*, &c. Nonum, consideratio, quasi quis præ omnibus solus ad cœnam Christi Hierosolymæ vocatus esset, & facta ei forent quæ cæteris Apostolis. Decimum, Zachæi historia. Vndecimum, consideratio horum verborum; *Ecce panis Angelorum, factus cibus viatorum, non mittendus canibus.* Duodecimum, consideratio, quàm frequenter communicaveris; quanto oportuerit fructu, quàm parvo tamen. Decimumtertium, meditatio horum verborum: *Deliciæ meæ, esse cum filiis hominũ.* vel istorum, quod erit Decimumquartum. *Quid est, quod debui vineæ meæ facere, & non feci*, vel Decimumquintum: *Desiderio desideravi hoc Paschæ manducare vobiscum, antequam patiar.* Decimumsextum, sit applicatio sensuum, super quinque sensibus B. Virginis communicantis, vel Deum cõcipientis. Decimumseptimum, consideratio; quid sit, peccatorem demittere Christum Dominum in stomachum: nónne enim hoc est regem velut in sterquilinio collocare? Et tamẽ præ amore non offenditur. Decimumoctavum. Pastorum ad Christum vocatio. Decimumnonum adoratio Magorum. Vigesimum, transfiguratio. Vigesimumprimum, Magdalenæ conversio. Vigesimumsecundum, cæci illuminatio. Vigesimumtertium, Samaritanæ conversio. Vigesimumquartum, Lazari suscitatio. Vigesimumquintum, ingressus in Ierusalem. Vigesimumsextũ, apparitionem post resurrectionem B. Virgini, aut alteri factam meditari. Vigesimumseptimum, erit figuram aliquam considerare, & applicare, sunt autem: arbor vitæ, sacrificium Abelis, Melchisedech, sacrificium, Abrahami, & sacrificium Agni Paschalis, manna, arca fœderis, panes propositionis, panis Eliæ subcinericius, sacrificium propitiatorium, farina Elisæi quæ sustulit amaritudinem ollæ, miraculum quinque panum. Vigesimum octavum, meditatio perfectionis alicujus divinæ, sunt eæ: Æternitas Dei; Iustitia, Amor, Liberalitas, Longanimitas, Misericordia, Patientia, Pulcritudo ejus.

1. Cor. 11.

Isaiæ 5.

Lucæ 22.

Praxis colligendi se in Missæ sacrificio.

NOTANDVM Primò diligenter, secundùm tres vias, diversasque dispositiones, varios à Spiritu Sancto modos suggeri, eosque quemlibet sequi oportere.

NOTANDVM Secundò, quosdam varijs imaginibus animum collectum servare; quod quia quandoque nocet, cautè usurpandum. Tamen post præparationem superiorem, & recitationem istius, *Ego volo celebrare Missam*, &c. prodest compositionem aliquam facere. v.g. Pro viâ purgativâ; considerare Christum judicem, clementem tamen adhuc, dum tempus est mihi rendi. Pro illuminativâ; Christum videre in solio cum B. Virgine, & Angelis, à quo, usque ad altare radius lucidissimus, per quem Angeli, velut scalam Iacob ascendant; & preces adoratium offerant. Pro viâ unitivâ; considerare curiam cælestem ardentem amore Dei, & illam, & omnes creaturas nos hortantes ad eundem; & audire Christum Dominum dicentem: *Veni dilecta mea, veni sponsa mea.*

Cant. 2.

Quater se colligere quis potest.

In ipso sacrificio quater te colligere potes. Primò, in initio; Secundò, offertorio; Tertiò, consecratione; Quartò, communione. In initio tibi affectuosè repræsenta Christum in horto ad sacrificium crucis se parantem ac prostratum; & contritionem excita. Secundò, euntem ad montem Calvariæ, ibique crucem spectantem dum crux paretur, & immoletur, & plenè te religans ad ardua; Tertiò, elevationem crucis, & Christi immolationem. Quartò, mortem illius & sepulturam, & quo potes amore eum complectere.

Attendendum verbis.

NOTA. non oportere à verborum intellectu deflectere, sed ad Christũ præsentem dirigere, eumq; adorare. Si enim alterum cogites, quid interest, quæ verba sacra, citra præceptum tamen dixeris? Patribus his quatuor, perfectiones divinas. Iustitiam, Potentiam, Sapientiam, Bonitatem attribuere, & pro quatuor beneficijs præcipuis eas Domino offerre etiam quis potest.

Sensus verborum inspiciendus.

Cùm certum sit memoriam rei bonæ, æquè ac malæ reviviscere sæpè verbo uno; utile mihi visum semper fuit, non solum Psalmorum varios sensus explicare, sed etiam officij Missæ; sicut in illis, sic hîc, mens minùs eo pacto distrahatur; nequit tamen, cùm multis id noxium sit, alligetur: sed cogitationes & reflexiones paucas hîc suggero, ut, quocumque modo sit, ut sic loquar, cogitationis cadat, cadat bene. Quàm facile consuetudo magistra docere debet. Certum est mentem vel ad verba, vel rem advertere, vel ad vana cogitationem evagari, si piis non assuescat. Cùm ergo accedis, ut laves; excita contritionem

tionem. Cùm hostiam patenæ imponis, per illam orationem, *Ego volo*, renova intentionem. Ad amictum; statue ferventer, nullum incursum dæmonis, vel distractionem admittete, dicendo: *Impone, Domine (pro me velate) capiti meo galeam salutis, ad expugnandos diabolicos incursus.* addere mente poteris: *Iuravi eum, & statui custodire judicia justitiæ tuæ.* Ad albam: pete virtutum ornatum, & suspira ad Christum, dicendo, *Dealba me, Domine (pro me illuse) & munda cor meum*, &c. Ad cingulum: *Precinge me, Domine, (quem alligaverunt peccata mea) cingulo*, &c. Ad manipulum: resigna te ad omnia adversa, dicens: *Merear, Domine, (vulnerate pro me) portare*, &c. Ad stolam: aspira ad Deũ, & dic, *Redde mihi, Domine (qui hic te in pignus gloriæ dedisti) stolã*, &c. Ad casulam: propone vivere & mori in Dei amore, dicendo. *Domine, (qui bajulasti crucẽ pro me) & dixisti*, &c. Egressurus, saluta crucifixum, & renova intentionem, dicendo: *Gloria Patri*, cujus hic scilicet potentia; & *Filio*, cujus sapientia; & *Spiritui Sancto*, cujus hic infinitus amor elucet. Incedendo, excita vivam fidem, & mox adora ad altare Deum cum Angelis præsentem, ut complures SS. Patres asserunt, dicendo iterum, *Gloria Patri & Filio & Spiritui sancto*, ac fidei, spei, charitatis actum mente eliciendo, v.g. *Credo Domine, in te spero, & ex toto corde te amo.* Tum accede ad altare, manẽdo in Dei præsentiâ. Librum cùm aperis, memor esse poteris ejus Libri, quem aperuit Agnus, & septem signacula ejus. Et iterum in medio, pro defunctis, vivis omnibus, & ad gloriam Sanctorum, intentionem renova, cum actu fidei, spei, & charitatis. Ad pedem altaris idem facias, & humilia te valdè, cum Christo descendente ad ima, & adora pro omni creaturâ.

Dilavas, conterere.

Ps. 118.

Cogita supra altare cælũ apertũ.

Cùm ad verba veneris, non properè, sed clarè & distinctè pronuntia, affectusque indue, quos illa continent, v.g. Ad *Introibo*, excita fiduciam. Ad *Confiteor*, contritionem, & firmum propositum. Ad *Misereatur*, ex zelo mente opta, ut omnes sanctificent Dei nomen. Osculum altari semper fige ex magno amore; & statue adhærere Deo. Ad *Gloria Patri*, magno affectu adora Sanctissimam Trinitatem; & opta, ut omnes ei serviant. Ad *Kyrie*, ora pro te, pro peccatoribus & purgandis. Ad *Gloria in excelsis*, fac ut in *Gloria Patri*; ac omnia auctori Deo tribue. Oratio Prima semper sit pro primaria intentione. Secunda, ad libitum. Tertia, pro commendatis. Ad *Per Dominum*, offer Deo omnia merita Christi, & ingentem fiduciam excita: scriptum est enim. *Quidquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Lege Epistolam velut à Deo tibi missam ex summo amore, cum implendi præcepti voluntate. Ad *Dominus vobiscum*, opta,

Quid initio Sacri faciẽdum.

Ioan. 14.

Epistola Dei Scriptura.

Ad Dominus vobiscũ.

opta, ut sicut Dominus ubique per essentiam præsens est, ita cum omnibus dignetur esse per gratiam, ut egregiè suggerit P. Punte. Ad benedictionem, pete zelum, & animarum cõversionem, Euangelium, ut à Christo IESV audi; in fine osculando librum gratias age; & factor verbi esse propone, non auditor tantùm. Ad *Credo*, eliciendo actus fidei honora Deum, pro eo quòd Ethnici & hæretici incredulitate suâ eum inhonorant, & gratulare, cum B. Teresâ, Christo, quòd regni ejus non erit finis, in cæteris sicut unctio docebit, fidei, spei & charitatis actus misce. Ad *Oremus*, omnimodam tui diffidentiam & humilitatem excita. Ad Offertorium, respice in cælum ad Deum Patrẽ; Secundò, ad te & nihilum tuum; Tertiò, toto cordis affectu offer te, & vota, & postea dic: *Suscipe*, &c. Dum vinum infundis, gratias age Deo, quòd in his speciebus vilibus sit dignatus se præ amore tui occulere. Dum aquam, opta sic unari Deo. Ad oblationem calicis offer te iterum, & purissimam intentionem renova. Ad *In spiritu humilitatis*, ex animo contrito humilia te, & conterere. Ad *Lavabo*, iterum conterere, & gratias age, quòd ablutus sis sanguine Christi. Ad *Suscipe Sancta Trinitas*, fac ut in oblatione. Orationes recita, ut suprà. Ad *sursum corda* attentionem renova. Ad *Gratias agamus*, gratias age, ut Indulgentiam centum dierum promerearis. Ad *Benedictus qui venit*, &c. invita Dominum omnium Sanctorum affectu in animam tuam. Ad *Memento*, ora Primò, pro te ipso, ut liberetur à defectibus tuis, eosque detestare; Secundò, virtutes certas, v.g. amorem, humilitatem, pacem, Dei præsentiam, perseverantiam pete; Tertiò, exerce actus fidei, spei, charitatis & resignationis, votaque renova, si Religiosus sis. Deinde, ora primò, pro parentibus & Superioribus; Secundò, pro commendatis tibi & subditis, Tertiò, pro benefactoribus; Quartò, inimicis; Quintò, vocatis ad religionem, & fidem: Sextò, pro tota Ecclesia. Hæc per casus Latinos retinentur, aut per IESV Christi crucifixi membra; ita ut in capite, Superiores; in dextra, subditi, & commendati; in sinistra, benefactores, in corde, inimici; in pede dextro, convertendi; in sinistro, universa Ecclesia collocetur. Ad *Communicantes* invoca Sanctos. B. Virginem, & sponsum ejus, &c. Ad *Hanc igitur, obsequium seruitutis*, proponere quis potest, omnia, etiam minimas regulas, servare, ut servus fidelis. Ad *Dilectissimi*, excita amorem Christi. Ad *Qui pridie*, &c. *accepit panem*, fidem. Ad *elevatis oculis*, præsentiã Dei renova. Ad *Gratias agens* eas age. Ad *Benedixit, fregit, dedit que* exerce fidem, spem, charitatẽ, ita ut desideres quantum potes, & quanto affectu omnes creaturæ possent, Deo hoc sacrificio gratificari. Mox prolatis verbis omni excipe venientem affectu illique

Nota.

Ad Oremus.

Ad Offertorium.

Contritio excitanda.

Pro quibus orandum & quo ordine.

Ad Consecrationem.

illiqúe gratulare, & trinâ eum adoratione adora pro omnibus qui blasphemant, fide, spe, charitate. Ad calicem, idem fac, Ad *Vnde*, &c. exerce gaudii actus de ascensione Christi, & gratias age Deo pro Sacramenti hujus institutione. Ad *Iusti Abel & Abrahæ*, offer omnia sacrificia vetera. Ad *Per manus sancti Angeli*, roga ut etiam auxilio sint, & sanctus Michael imprimis. Ad *Memento etiam, Domine, famulorum*, cogita necessitatem eorum, & obsecra Dominum, per passionem ejus; & propone sic vivere, velut hodie moriturus. Ad *Nobis quoque*, sub omnibus te humilia, & invoca Sanctos. Quoties autem sanctissimam hostiam tangis, toties omni omnium affectu id facias, & complectaris Dominum tuum. Ad *Omnis honor & Gloria*, intentionem renova. Ad *Audemus dicere*, excita fiduciam, & recita attentè singulas petitiones, quibus omnis intentio continetur, quâ communio suscipi potest. Ad *Per eumdem*, mortui Christi memoriam renova, vitam tuam illi dedica. Ad *Agnus Dei*, IESVM velut in præsepio jacentem, vel in sanguine suo post flagellationem, velut in throno cælesti sedentem adora. Ad orationem de pace excita contritionem. Ad Secundam, fiduciam, & pete liberari à peccatis. Ad Tertiam *Perceptio*, pete perseverantiam & amorem excita. Ad Primum *Domine, non sum dignus*, humilia te ob peccata sub omni creaturâ, & dole de iisdem; ad Secundum; considera beneficia Dei, & humilia te, quòd iis non responderis; ad Tertium, abyssum perfectionum Dei intuere, & tuam miseriarum & peccatorum, & collige omnes affectus ex omni creaturâ in Deum, & vide Christum te omniáque tua inspicientem: deinde renova vota, ac fide, spe, & charitate summâ Deum amplectere, optans affectum omnium Sanctorum. Postea sumendo, ardentissimum Christi amorem attende, & quasi os lateri admovendo, amplectere arctissimè, ac opta, ut omnes eum laudent, teque ei vicissim trade. Ad calicem, immensum rursus amorem Dei considera, eique te totum devove, manendo in gratulationibus, & amoris actibus, abyssum majestatis Dei, & tuæ vilitatis attendendo, levi oculi mentis conjectu. Ad cætera, ut suprà. Ad *Ite, Missa est*, gratias age. Ad *Placeat tibi*, iterum offer cum omni desiderio triumphantis, & militantis Ecclesiæ purissimâ intentione, ut verba docent. Ad benedictionem, humilia te, & pete efficaciter pro te, præsentibus & commissis. *In principio*, totum dicatur, considerando mysterium sanctissimæ Trinitatis, & gratulando, & amplectendo, maximè cùm legitur, *In propria venit, & sui eum non receperunt*. In genuflexione, gratias age pro omnibus; & rursus in medio, incipiendo *Trium puerorum*. Ad *Benedicite*, ad singula te humilia, eò quòd indignus sis & insufficiens; & simul

Adoratio.

Ad contactum hostiæ.

Intentio varia in Pater noster.

Ad Domine non sum dignus.

In Communione.

In principio.

omnia ad laudandum Deum, tamquam te aptiora invita. Ad *Actiones nostras*, omnes offer. adde *Pater*, & *Ave*, pro defunctis, & merere indulgentias pro animabus quas poteris.

Post sacrificium Missæ.

Gratulatio. PRIMÒ, fidem vivam excita & considera, iterum majestatem Dei, teque eâ plenum, & Angelis cinctum, eique gratulare potentiam, sapientiam & bonitatem. humiliando te sub potenti manu ejus, & ei te resignando, eum super omnia amando, omnemque creaturæ affectum in eum refundendo. nihil enim boni, nisi à fonte bonorum. Secundò, vide ut te sub omnibus colloces & humilies; ideòque percurre, & aperi Christo indignitatem & miserias tuas, & eum quasi has scrutatem considera, & propone unam potissimùm seriò emendare, atque ad hoc pete gratiam. Tertiò, gratias age omnibus Angelis & Sanctis ad hoc invocatis, & eorum affectu assumpto, quo ipsi Deo gratias pro suâ salute egerunt ingressi in cælum, æternumque agunt, illum amplectendo, & ora ut pro vitiorum exstirpatione intercedant; cum quibus etiam colloquia exercere aliquando posses. Quartò, offer Domino Deo filium, & percurre singula passionis & vitæ mysteria; & per illa postula pro te & amicis gratias: teque & omnia offer ad ejus gloriam, animam scilicet; & corpus, proponendo ejus sensus, manus, oculos, aures & linguam custodire. Quintò, considera quid Deum omnia in corde lustrantem; & vota, si Religiosus es, renova: pauperrima elige, voluptates respue, Superiores recognosce pro vicarijs Dei, & offer omnes actiones tuas, deinde beneficia Dei percurre, generalia & particularia; & ut in omni creaturâ omnia pro nobis, & in nobis operetur, & præsens sit, ejus item summum amorem erga nos perpende; & gaude iterum de ejus bonis, teque totum ei resigna, omniaque creata contemne, propone verò quantum poteris, omnes ad illum trahere, & iterum omnia ad ejus honorem facere, actiones quantum potes prævidendo, ne quid tanto hospite indignum agas.

Humiliatio.

Gratiarum actio.

Oblatio & Cõsecratio.

Votorum renovatio, & oblatio.

Distributio Communionis.

SAnè si verbis sacris in eâ proferri solitis, attendas, abundabit. Poteris tamen, dum hierothecam, ô Sacerdos accipis, actum fidei, spei, ac charitatis excitare, ut in Elevatione. Quid enim aliud tunc animo volves? Ad *Misereatur* contritionem renova; Ad *Agnus Dei*, & *Domine non sum dignus*, fac ut in Sacra-

Sim-

Singulas hostias preme amoris affectu. Inter distribuendum, cave, oculis animoque evagari: sed aliquamdiu modò fidem, modò spem, modò charitatem excita; modo imitare Christũ, se tradentem homini, & te ei resigna; modò potentiam, sapientiam, & bonitatem ejus admirare. Cæterùm, ut suprà de alijs dictum, Spiritus sancti unctio sequenda est, neque his, nisi per se sic fluant aromata gratiæ Dei insistendum. Sed observa sæpè vel semel audivisse malam allusionem verbi alicujus, non parùm obfuisse, & bonam pariter multùm prodesse.

Oratio superiora complectens.

Tune Deus meus venis ad me infinita Majestas, infinita bonitas, venis ad me, & mansionẽ apud me vis facere, & meus es? quis mihi tribuat ut omnem affectum meum in te refundam, & revertatur tota anima mea in originem suam? O abyssum misericordiæ & charitatis! Vide afflictionem & paupertatem meam N. & quid dives es in omnes, ne despicias me. Benedicite Domino omnia opera ejus, benedic anima mea Domino, & omnia quæ intra me sunt nomini sancto ejus. Vtinam affectu omnium Angelorum & Sanctorum te complectar, & tibi gratias agam, & omnis spiritus laudet te Domine, Suscipe, obsecro. in gratiarum actionem Pater æterne vitam & mortem N. unigeniti filij tui, & per hanc da mihi, ut vivam tibi, & serviam omnibus membris & potentiis meis. Domine ante te hoc est desiderium meum, sed & imperfectum N meum viderunt oculi tui. Verùm ecce vota N. mea tibi Domine reddo in conspectu omnis populi tui, & memor beneficiorum tuorum, & immensæ charitatis tuæ, dico tibi omnia opera mea, Credo tibi, & in te spero, & toto corde te diligo.

Alia sed brevior præparatio ad Sacrum.

1 MAnè meditationem ad Missæ Sacrificium ordina, aut certè ejus loco exercitium aliquod pium mente revolve. 2. Lectionem horarum huc dirige, & quoties dicis, *Deus in adjutorium*, aut *Gloria Patri*, humillimè invita Dominum inutilis servus atque affectibus Psalmorum insiste. 3. Confessionem institue, aut præmisso examine contritione animum dispone, invocato Sanctorum Patronorum auxilio, & maximè B. Matris. 4. Cum verò jam ad Sacrum eundum fidem vivam, spem & charitatem exerce, saltem spatio aliquo. Deindè dum manus lavas, contritionem excita, ac dum hostiam imponis Calici intentionem formula consueta renova, Ego volo, &c. Eandem priusquam ab altari descendas, ut confessionem initio sacri facias, & præsentem Dominum Angelos item & Pa-

tronos tuos circumstantes facito, & fidei, spei ac charitatis actus elicito, sacrificium auspicare.

Post illud iterum fidem vivificam, & humilia te valdè, ac gratias age. 2. Spem taliqúe atque alijs bona humiliter flagita nihil hæsitans. 3. Charitatem accende commemorando passionis mysteria, cujus hoc Sacramentum memoriale est, teque & omnia tua Domino offer, prospice verò quid reliquo tibi die agendum, ne irreverenter tantus hospes apud te habeatur.

CAPVT VIII.

Meditatio ante sacrosanctam Communionem.

A creatis pete quid sit IESVS.

CONSTITVE te coram Deo, deinde gratiam petito loquendi Domino tuo.

Primò, considera Dominum IESVM quasi cum curru suâ ad te veniẽtem. Pete verò, quis sit ab omnibus creatis, nempe Deus potentissimus, sapientissimus, optimus, justissimus, qui homo factus, tanta pro te fecit, sicut omnia pro te creavit, &c.

Aspira, ut sup. pag. 8. *Hæccine firmâ*, ibid.

Præparatio necessaria.

Secundò, quantâ præparatione opus sit, vide & qualem Deo ob beneficia debeas, doctus tot figuris, Sanctorum exemplis & ratione, cùm omnes tituli Regis, Imperatoris, &c. ei conveniant, quem tu paras suscipere. *Credo tibi*, ut sup. pag. 7.

Vide cur veniat IESUS.

Tertiò, quomodo, & quare veniat, nempe ut plenè se communicet, ut omnia miracula spiritualiter renovet: unde accipere potes personas diversas, modò cæci, modò hydropici, modò paralytici, ut Spiritus unctio te docebit, eoque affectu accedere, ut sanet te, & velut parvum mundum recreet, ac sanctum Spiritum innovet in visceribus tuis. Vide etiam quanti sterent Christo hic cibus animæ tuæ.

Personam indue.

Fidei affectus exerce, ut sup.

Quis tu sis attende.

Quartò, ad quem secundùm animam & corpus veniat, attende, & detestare imperfectiones tuas præcipuas

puas etiam sigillatim, maximè illam contra quam instituis examen particulare.

Quintò, considera quis sit effectus Ven. Sacramenti, nempe summa utilitas, summa dignitas, summa jucunditas. fit enim anima templum, mater, sepulcrum, cælum Dei & fidei, spei ac charitatis actus exerce, percurrendo præcipua beneficia & perfectiones, v.g. Credo, Domine, te esse eum qui creasti me, & omnia propter me, & jam ecce venis ad me: quomodo ergo non sperabo in te, & diligam te ex toto corde meo? &c. *Effectus Ve. Sacr. qui.*

EXERCITIVM.

O Iesv, Iesv, Iesv, veni desiderium collium æternorũ, & suscipe cor contritum & humiliatum, & si quæ unquam in me operatus es, & ego per te bona ad majorem gloriam tuam, B. Virginis, & omnium Sanctorum ac Patronorum meorum, pro Ecclesiâ tuâ, Principibus, &c. & potẽtibus, & Religiosis omnibus, pro animabus defunctis, & pro parentibus, ac benefactoribus nostris, vivis & defunctis, denique justis & injustis, & susceptis à me mihiq; commissis, vel propter te particulariter conjunctis N. *En venio pulvis & cinis, & peccator, fateor, verè maximus, ad te, ô Rex regum, & Pater misericordiarum, ac gratiâ tuâ filium tuum & heredẽ me esse spero, & laudare te cupio pro omnibus donis tuis, & beneficijs, & vitâ ac morte tuâ. O unica spes, gaudiũ, & gloria mea, utinam te fruar, tibi inhæream, & unus tecum sim, voluntate & amore, habitemq; in cavernis dulcissimis vulnerum tuorum, & sanentur hæc vulnera mea* N! *ô virtus mea, si vis, potes me mundare, & cùm diligas me plus quàm ego me; quomodo de veniâ non sperabo, & victoriâ passionum mearum, ut cantem tibi, gloria mea, & non confundar? Cõcede mihi spiritum tuum, bonum & suavem, humilem & benignum, ut unus tecum sim, nihilq; velim extra te, cùm nihil boni sit sine te. Credo tibi, Veritas æterna, & spero in te solo, gratulabor tibi, ô omne bonum, & suspiro cum Sanctis & Angelis, & beatâ Virgine ad immensum, infinitum, gratuitum & spontaneum amorem tuum; in te* Fiducia in Deo.

omnem

omnem affectum quem possum, & voluntatem omnem transfundo, & confido tibi, ac diligo te ex toto corde meo, animâ meâ, mente meâ, & ex totis viribus meis, omnesq; in te, & nihil nisi te, & propter te, ô Deus meus, Deus cordis mei, & omnia. Amen.

Exercitium aliud ante & post Communionem.

Humiliatio sui.

ADorande, potētissime, immense, incomprehensibilis Deus, nunquid tu habitas lucem inaccessibilem, quomodo igitur esse potest conventio lucis tuæ ad tenebras meas? tu es qui es, & in tuo conspectu omnia sunt quasi non sint, ac tamquam guttaris antelucani: quomodo ergo accedet ad te, qui existimat se aliquid esse, cùm nihil sit? coram te columnæ cæli contremiscunt, & velant facies suas; tibi decies centena millia assistunt, & ego vermis & non homo, cujus conversatio est in terris, audebo ad te accedere? Tu Deus fortis, zelotes, Rex regum, quem nemo hominum videre potest, & vivere; quid ergò faciam peccatis innumeris reus majestatis tuæ: & hodie in pluribus futurus nisi gratia tua retineret me præcipitem, & currentem animam meam post greges sodalium suorum, quærentem cisternas quæ continere non valent aquas, & derelinquentem te fontem aquæ vivæ?

Jerem. 3.

Contritio.

Ecce hæc est illa infidelis, quæ post sanctas in baptismo nuptias, fornicata est cum amatoribus multis, id est, creaturis, & te repudiavit, atque earum amore filios tuos, sanctas inspirationes, odio habuit, & occidit in conspectu tuo, immò sanguinem tuū contēptui habuit. Denique ortus mihi est, culpa; vita, peccatū & miseria; mori, pœna. Domine Deus meus, quomodo audebo cælum aspicere, quomodo potero? qui cæcus ubique existentē, & propter me operantem non agnovi? & toties ab inferno eripientem me, adhuc ut debui non dilexi, & cui adhæsi? creaturæ fallaci, hosti, capitali, & cur? ut vitam, solatium & salutem animæ perderem (quæ in te solo erat) ut libertatem et te pro vilissima re venderem, et à me, Pater æterne, longè recederem, qui tamen ubique es, & dominaris. Nónne metuere debeo, ne cum Oza & Bethsamitis per eam ad conspectum arcæ sanctissimi corporis tui? ne veste nuptialis carens,

ejiciar à cœlesti cœna, ut pascã porcos, nec satiari possim, ô pastor animæ meæ? Cooperuit confusio faciem meam. Ps. 43.

Quid faciam, ô custos hominum, cæcus in viâ, vulneratus in silvâ, paralyticus in grabato? fugiámne cum Cain à facie tuâ? & quò irem Deus meus? ergo veniens veniam ad Patrem meum, ad fontem aquæ vivæ sitientem salutem meam, ad pastorem quærentem perditam ovem, cæcus ad lucem, oneratus & laborans ad eum, qui reficiat me, et prodigus ruam in paternos amplexus, Pater mi, medice animæ meæ, magister, sacerdos, cibus meus. En velut mare magna contritio mea: non est qui consoletur me ex omnibus caris meis præter te: quid ergo nunc mihi est in cœlo, & à te quid volui super terram? Vanitas vanitatum, & omnia vanitas; & tu unicum desiderium meum. Thren. 2. Ps. 72. Eccles. 1. Quinta Christi bonitas.

O anima mea vide IESVM stantẽ à dextris virtutis Dei, & ut veniat relinquens 99. oves in montibus ut te quærat, & ecce, ecce verè merces ejus magna cum illo. Venisne, bone IESV? veni, Domine, noli tardare: Venis enim ut excipias prodigum, lassum recrees, te contristantem exhilares, fugientẽ trahas, quondam te flagellantem osculeris, spinis pungentem corones, crucifigentem amplectaris, occidentem vivifices, odientem infinito amore prosequaris. Eja respice, Deus meus, de excelso solio gloriæ tuæ, & ne despicias me opus manuum tuarum, factum et refectũ à te, emptum precio magno, ut glorificem et portem te in corpore meo, immò sanguine tuo precioso lotum, & tibi, dulcissime IESV, pro tot lacrymis, opprobrijs et sputis, et mortis sententiâ adjudicatũ. O quid pro his retribuam tibi, nisi me totum? omnia nunc ut stercora arbitror, ut te lucrifaciam; tecum in novissimo sedere volo, ut placeam tibi, obediens esse usque ad mortem Superioribus, omnia accipere de manu tuâ. fac de me secundùm beneplacitum tuum, & fac ut nihil me delectet præter te, non laus peccatoris, non creaturæ quod satiare me non potest solatium, etenim tu sola satietas, tu omne bonum meum. Da mihi, precor, ut impendam me in gloriam tuam, & superimpendã, ut proximum omni charitate reducam ad te, ut totus tuus sim, & tu meus, in te vivã lignum vitæ, & per te dulcissimum Manna, & tecum Agne benignissime, et propter te: ecce venio, et venire ad me dignaris, Proposita pia & gratiarum actio. Zeli actus.

gnaris, ut glorificem te, ut amem te, ut ſaner à te, ut pro præteritis ſatisfaciam, pro futuris gratiam impetrem, & gratiam merear in conſpectu tuo, pro Eccleſia & Ordinibus, parentibus, benefactoribus, commendatis, & inimicis. Accedo, ut amplectar te, firmiſſimè credens, quia tu verè es hic præſens, & facis mirabilia ſolus. Auge obſecro in me fidem, ſpem excita, accende charitatem. Veni, veni, veni IESV, deliciæ tuæ ſint eſſe mecum, & mea tecum. Veni, dulciſſime, potentiſſime, ſapientiſſime, miſericordiſſime, amabiliſſime Deus meus, cum B. Matre tua, cum ſanctis Patriarchis, Apoſtolis N. Martyribus, N. Confeſſoribus, N. Virginibus N. omnibus, potiſſimùm Patronis, & quorum hodie memoriam facimus: præparent illi cor meum in habitaculum tuum, arcam, tabernaculum, thronum, templum, cubiculum & lectulum tuum, ut quieſcas & maneas in me, ut videam te brevi, & veniam ad te, amem te, ardeam, liqueſcam, conſumar, & conſummer in te. Amen.

Actus fidei.

Exercitium aliud poſt Communionem.

VNde hoc mihi, ut venias ad me Rex regum, & Domine dominantium, coram quo Angeli non ſunt puri? Venis ad me à templo gloriæ tuæ, & unde & quo? ecce ſpeluncam latronum, ſerpentum habitaculum, vas contumeliæ, toties fœdatum, poſtquam toties ſanguine tuo lotum per infinitam miſericordiam tuam fuit: & tu, ô Deus, ô bonitas infinita, toties à me repulſam paſſus fuiſti, & contemptus. Ergóne credibile eſt, quòd Deus habitet ſuper terram, & velit facere nobiſcum, & epulari, & jucundari cum ſervulo ſuo? Ita, Domine, & venire ad cloacam fœdam, leproſam, fornicariam ſponſam: quæ quod feciſti, defecit; pro dilectione odium, pro beneficiis reddidit maleficia, nec dedignaris præ amore ſedere cum ea in ſanie & ſterquilinio? neſcit, tamen homo, eheu! an amore, an odio dignus ſit poſt tot peccata commiſſa, bona omiſſa, tot imperfectè facta.

Admiratio bonitatis Dei.

Hominis vilitas.

Ecce, nihil invenio in me, niſi peccati fomitem & ſentinam ex me, & bonum facere non invenio, abuſus ſum animæ meæ potentiis, & facta eſt memoria vaga ac inſtabilis, imbecilla ratio & cæca, voluntas ſacrilega & furioſa: te enim creatorem calcavis

Peccata mala.

&

& crucifixit, ut placeret hosti homicidæ; te conservatorem, ut insidiatori; Redemptorem, ut perditori; se vocantem ad salutem Regem suum, ut tyranno; & nescio, bone IESV, quare offenderim te, nisi quia bonus es, & præstabilis super malitia hominum. Miserere mihi, & exaudi me, & mansionem tuam apud me fac, & serviam tibi omnibus diebus vitæ meæ.

Et verò tu Domine mi, quid invenisti in me quod trahat te à summo cælorum, & descendere faciat in abyssum miseriarum, nisi abyssũ charitatis & misericordiæ tuæ? nihil hic nisi quod in Magdalena, quod in paralytico, leproso, sed tu solus potens es mundũ facere de immundo conceptũ semine; sine fluant aromata gratiæ, & flumina sanguinis tui ex paradiso corporis tui, de quinque limpidissimis fontibus vulneribus tuis, & mundabor, & lavabis me, & super nivẽ dealbabor. Riga me, ô IESV, lacrymis, quas fudisti pro me, myrrhâ doloris tui unge me, astringe vinculis, sputis ablue, flagellis tuis emolli, sanguine munda, irrisionibus fortifica, cruce erige, morte vivifica. eia suscipe me in holocaustum, & tyrannis peccatorum meorum fugatis, regna super me, ut in quiete serviam tibi, amem & fruar te, beatitudo mea, & nihil velim extra te. velle post hac non habeo, nisi tuũ. fac quod placet infinitæ potentiæ, sapientiæ, ac bonitati tuæ: ego omnia accipiam à paternâ providentiâ tuâ, quæ novit quid expediat prodigo filio suo. Dispone, Domine, in tempore & æternitate de me. nescio quid pro gloriâ tuâ, quam unam spectare volo, conveniat & salute meâ: ideò iterum resigno omnia in manus tuas, Domine, nolens in ullam rem affectu propendere, vel postulare, ut nudus nudum sequar, velut jam-jam essem moriturus. Accipe me, Domine, & respice in me dolentem quòd unquam recesserim à te; amplectere redeuntem, ô charitas immensa, Deus meus, & serva in te solo sperantem, & ne projicias me à facie tuâ, et Spiritum sanctum tuum ne unquam auferas à me.

Qualis sit anima defectuosa. Iob 14.

Passionis Domini memoratio.

Resignatio.

Psalm. 50.

O amor dulcis, ô dulcedo amoris IESV, totus desiderabilis. Accende in me ignem amoris tui, & vulnera me, ut totus transformer in te. Amo te omne bonum, pulcrum, & honestum, omnis amœnitas, omnis suavitas, fons splendoris, fons melodiæ, fons odoris, fons dulcoris, fons amoris: astringe me, ut non fugiam

Amoris incentiva.

giã illectus stercoribus, & à te separer vanissimâ vanitate, et spernam inenarrabile bonum; ne plus me trahat creatura quàm Creator, vanitas quàm æternitas, detestabilissima miseria quàm summa felicitas, plus me inclinent sordes, quàm elevet pulcritudo; servitus quàm magnitudo, amaritudo quàm dulcedo. Dilectus meus mihi, & ego illi, qui pascitur inter lilia, donec aspirent dies æternitatis, & inclinentur umbræ vanitatis. Ego dilecto meo, & ad me jam conversio ejus. Quis mihi det te fratrem meum ut inveniam te foris, & deosculer te, & jam me nemo despiciat, & nunquam separer à te?

Cant. 2.

Cant. 8.

Contẽptus mundi.

Tu scis, sponse animæ meæ, desiderium & gemitum meum tolle quod displicet tibi in me. Da mihi cor humile, ut diabolica superbiâ non ruam, nulli displicere timeam, vel placere optem nisi tibi, sed ut lutum æstimari velim pro te, qui venisti ministrare, & Samaritanus, & dæmonium habens æstimatus es; da obedientiam omnibus ut tibi; da forte, ad toleranda quæ provida manus tua imponit, da dulce, ad compassionem & proximum ut me diligendum; da liberum, ut ex omnibus evolet ad te; da carneum, ut perfectè amem te. Tu potes, Domine IESV, & nutu potes, & tantum pro me fecisti & passus es, utinam ergo velis jam meminisse afflictionis meæ in excelso solio gloriæ tuæ. Vtinam sanctissima Mater tua, Patriarchæ N. Apostoli N. Martyres N. Confessores N. Virgines N. intercedant pro me, & gratias agant pro omnibus beneficijs tuis, ut citò ad te veniam & salver, & inebrier tui amore, & gloriâ tuâ. Amen.

Obsecratio.

Praxis.

Quid in Cõmunione.

MEDITATIO ad Communionem disponit & præparat, quam suprà habes. In ea verò considera in ictu oculi Majestatem Dei, ac vilitatis tuæ abyssum, & amplectere Dominum cum Angelorum, Archangelorum & Sanctorum affectu, eundem per singulos choros, teque totum resigna, & offer ei omnia, ac gratulare illi de omnibus bonis ejus.

Quid post faciendum.

Post eam Primò, fides viva excitanda est; Secundò, admiratio, humiliatio, gratiarum actio & amplexus, oblatio cum unione, petitio ac commendatio. Ad humiliationis affectum peccata, & indignitas tua te exciter. Ad admirationem perfectiones Dei: Ad gratiarum actionem, omnia beneficia: ad amplexus

plexus amoris Dei, immensitas & bonitas infinita. Deinde offerte, & omnia in unione meritorum Christi IESV. Postremò, prote & commendatis postula quod vis in fide nihil hæsitans; qui enim hæsitat, ait S. Iacobus, similis est fluctui maris, qui à vento movetur & circumfertur. Non ergo existimet homo ille, quod accipiat aliquid à Deo.

Refig. Fiducia in oratione necessaria. Iacob. 1.

Praxes aliæ.

PRIMA. Cùm communio sit memoriale Dominicæ Passionis, de illa meditationem instituere optima est præparatio: quemadmodum etiam de nativitate Christi, aut annunciatione B. Virginis, seu incarnatione Verbi Dei, eò quòd per communionem mysterium illud quasi innovetur. O quanta dignitas peccatoris! quanta dignatio Creatoris! Idem etiam dici potest de Zachæo, &c.

Passionis meditatio est præparatio.

Secunda. Videmus tot peregrinationes institui ad reliquias Sanctorum, & rectè: sed quid illæ si ad hoc SS. Sacramentum comparentur? ergo peregrinemur nos ad illud, ad veram, ut sic loquar, humilitatem, & charitatem ac devotionem; ad admirationem, quòd veniat Rex ad Pauperem, idemque Deus ad reum mortis & proditionis, ut reconciliet eum sibi. Gaudeamus ob tanta dona, tantam apparitionem non Angeli, sed Dei, non dubiam, sed certissimam.

Nota & vide quis quò veniat, & peregrinare spiritualiter.

Tertia. Cogita epulum esse, ac vestitu, appetitu, spirituali lotione, reverentiâ te para; commenda hospitem & fercula; auser & conserva ex ijs quod tuis communices. Appetitum juvabit si ab alijs abstineas cibis, ideò devoti abstinentiâ aliquâ se parant. S. Margareta Hungarica, teste Surio, jejunabat pridie in pane & aquâ; B. Stanislaus Kostka cæna abstinebat; S. Hedvvigis Ducissa Poloniæ præ amore ac reverentiâ uberrimè flere solebat, & crebrò flexis genibus Eucharistiam venerari antequam sumeret; B. Xaverius eam flexis genibus distribuebat, & in Sacro quotidiano quasi novus sacerdos, devotissimè S. Hostiam offerebat, & lacrymabatur; B. Aloysius tribus diebus gratias agebat pro præteritâ communione, tribus gratiam petebat pro futura.

Ven Eucharistia est epulum.

Sanctorum exempla & devotio.

Praxis alia pro Sacra communione Religiosis, & devotis minùs occupatis accommodata.

TRia sunt inquit Hugo, sacrificiorum genera, unum Dominici corporis, alterum contriti cordis, tertium mortificatæ carnis. oportet igitur præcedere sacrificium humilitatis in mente, afflictionis in carne, ut habeatur devotio in Dominici

Hugo de claustro animæ, l. 2. c. 23 Qualis sit

præparatio necessaria.

corporis consecratione. Ideò pridie animam purgare contritione, vel confessione, & abstinentiam saltem aliquam facere convenit. Secundò, actum aliquem charitatis erga proximum (quod saltem orando pro eo fieri potest) ut induatur anima veste nuptiali. Tertiò, affectum erga creatum aliquod exuere, proponendo, aut, si licet faciendo aliquem mortificationis actum, ut induere possit IESVM Christum; quod respondeat valedictioni, quâ IESVS Matri valedixit ante passionem, erat enim ipsa illi unicum propè solatium. Quartò, aliquem saltem actum humilitatis exercere, qui respondeat lotioni pedum, quod D. Bernardus suis commendavit.

Vestis animæ.

Mortificatio præmittenda & humilitio.

Invitatio IESV.

Lucæ 19.

Primò, manè, invita Dominum, dum expergisceris: convertè te, vel, si potes, ut in Religione: Adi Ven. Sacramentum, atque invita, & audi: *Aperi mihi, soror mea sponsa*: vel, *Zachæe festinans descende, quia hodie in domo tuâ oportet me manere.* Respondè, *Desidero te millies* cum affectu omnium Sanctorum, *mi Iesu quando veniesⁿ idque toties, quoties videbitur.*

Postea, si Horas legis, eò applica, ad singula *Gloria*, &c. fidem spem, & charitatem exercendo; quia in hoc Sacramento potentia & sapientia, & bonitas relucent. Tum cum B. Simone Valentino à cubiculo vade ad Sacrum, quasi comitando Christum ad montem Calvariæ, & compassionem excitando, atque intentionem renovando.

In itu quid cogitãdum.

Quartò in Sacro; Primò, in confessione detestare omnes imperfectiones tuas usque ad Euangelium, & gratiam petere emendandi, & lege *Miserere*, vel alias preces pro Indulgentiis maximè plenariâ; Secundò, passionem revolve usque ad Sanctus, Tertiò, qeneficia alia tum generalia, tum particularia usque ad communionem. Tum communica spiritualiter, invitando Dominum, ut dignè valeas posteà sacramentaliter. Attendendo verò defectus & peccata, humilia te, post invoca sanctos Patronos, & maximè B. Virginem, ut sicut ipsa in incarnatione, communione, & morte adspiravit ad Dominum, & se paravit; ita te juvare, & ad tanti hospitis adventum te comparare dignetur, ut pientissima mater, usque ad postcommunionem. Tum fidem excita ad imitationem hemorrhoissæ & S. Thomæ. Secundò, amorem cum Magdalenâ, & B. Virgine, & opta, ut omnes Deum infinitè ament, Sancti, purgandi, fideles, &c. Tum ad benedictionem ultimam cogita quasi cælum aperiti, & Sanctissimam Trinitatem invoca, ut ad te veniat, & mansionem apud te faciat: Patrem ut tibi iterum det Filium, & Filius, & Spiritus Sanctus seipsum, eisque tres potentias dica, omniaque facienda offer, contritionem rursus excita, & re-

In sacro quid facto opus.

Indulgentia promerẽda.

Patronorum invocatio.

Marci 5.

Fidei actus.

Oblatio sui.

nova

hova vota, si religiosus es, vel proposita tua præcipua. Tum spiritualiter Dominum cœlitibus comitatum venientem vide, modò ut medicum, modò ut Patrem, &c. semper ut omne bonum amantissimè exspecta, & complectere: & mox, ut se tradidit, te totum ei vicissim trade, & millenos mundos si haberes, cum omni affectu possibili. Secundò, humiliando, & cognoscendo indignitatem tuam, opta cum omnibus Sanctis, & omnibus creaturis eum ardentissimè diligere, & uni potentias potentijs ejus, ei actus & membra omnia offerendo. Tertiò; gratulare ei omnia bona sua, & gratias age pro beneficiis. Deinde post Sacrum pete cum magna fiduciâ quod optas, impetrare & haurire de fonte omnis boni, cùm virtus hîc de illo exire solita sit. ut imperfectiones tuas sanet omnes: denique cælestem curiam saluta, & ut tuos suppleat defectus roga; postea ad singulas horas invita, ut maneat tecum Dominus, ac rursum illi te offer. Dicere posses; Illud mane nobiscum Domine, quoniam advesperascit.

Quid faciendum in Cõmunione, & post

Resigna te.

Humilia te.

Gratulare Domino.

In prandio statue cultrum in gutture tuo, ne pecces in hospitem; sed ei de singulis præbe ferculum, mortificando te & applicando passioni: quod tamen faciliter & absque sollicitudine fieri debet; ita ut non impediatur lectio, si Religiosus es. De Ven. quoque Sacramento ejusque laude si potes, aliquid proximo disseras; quantum potes, tantum aude quia major omni laude, nec laudare sufficis. Posthæc totâ hebdomadâ Dominum quotidiè potes invitare, juxta exercitium infrà positum. Si verò sis Sacerdos, à meridie velut officium incipe, ac totum ordina ad hoc sacrificium: & cùm colligis te ad horas, poteris forsan exercere te, & præparare primâ, secundâ, tertiâ per contritionem & confusionem, seu humiliationem, faciendo, si fieri potest, aliquod opus humile. Quartâ, quintâ, sextâ, per fidem, spem, & opus charitatis aliquod erga proximum, aut si potes corporis mortificationem. Septimâ octavâ, nonâ, excitare te ad amorem, & Primò, in Litaniis, (si, ut solent vesperi, à te etiam recitentur) invitando omnes Sanctos, sive per te, sive per Angelum. Secundò, ad cœnam; cœnæ Eucharisticæ memoriam renovando, ut ad manuum lotionem. lotionis pedum, quam Christus exercuit, atque hic etiam mortificare te in aliquo aut cibo aut condimento. Tertiò, suspira ad cælestem cœnam, & post hæc linguam diligenter custodi; & saluta vener. Sacramentum, convertendo te saltem versus templum, & invita in fine examinis IESVM cum Sanctorum omnium desiderio; atque iterum incumbendo, à ven. Sacramento pete benedictionem, uti & manè, *Dignatus es*, ut sup. p. 10.

In prandio quomodo cibabis IESVM.

Sermo de hospite faciendus.

Invitandus IESVS quotidie.

Præparatio nova cum horarum distributione.

IACVLATORIÆ.

Ps. 138. *Confitebor tibi quia terribiliter magnificatus es: mirabilia opera tua, & anima mea cognoscet nimis.*

Ps. 89. *Repleti sumus manè misericordiâ tuâ, & exultavimus, & delectati sumus.*

Matth. 26. *Accipite & comedite,* Hoc est corpus meum.

Ps. 98. *Exaltate Dominum nostrum, & adorate scabellum pedum ejus, quoniam sanctum est.*

CAPVT IX.

Aliud exercitium pro Communione, quo anima à Christo, & vicissim Christus ab animâ invitatur.

NOTA, post singulas periodos, ad spatium aliquod, quasi respirando, coram Deo expendenda esse, quæ lecta sunt, fit enim commemoratio varorum beneficiorum, titulorum, & miraculorum in Ven. Eucharistiâ contentorum, unà cum contritione, & gratiarum actione, resignatione, fidei, spei & charitatis actu.

Secundò, ubi affectus dictat, ibi aliquantisper hærere.

Tertiò, adverte hoc exercitium posse in fine Sacri pridie communionis fieri, vel certè eundo eò consilio ad Ven. Eucharistiam, aut domi vesperi vel manè, ut infrà dicetur; & maximè in Sacro.

DOMINICA.

IESVS invitat animam. Matth. 11. Ioan 6

IESVS Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos. Omne, quod dedit mihi Pater, venit ad me: & eum qui venit ad me, non ejiciam foras. *Adspira,* ut sup. p. 8. *Hæc cine firmâ,* ibid.

Anima IESVM ut Creatorem. Psalm. 8. Isaiæ 40. *Humiliatio sui.*

ANIMA. Quid est homo, quòd memor es ejus; aut filius hominis, quia visitas eum? Omnia enim quasi stillæ situlæ, & tanquam momentum stateræ, & omnia quasi non sint, sic sunt coram te, & tamquam nihilum & inane, reputata sunt tibi. O amator hominum, ô potentissime, Deus meus, qui me creasti, & omnia pro me;

me,& mirabiliter hoc in Sacramento sub speciebus his esse voluisti; verè mitis, & humilis corde! Tibi dixit cor meum, exquisivit te facies mea; faciem tuam, Domine, requiram. Dic animæ meæ, Salus tua ego sum; & miserere mei. Exaudi me spes omnium finium terræ, & in mari longè. *Psalm. 28. Psalm. 33.*

Laboravi in gemitu meo, lavabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo. Peccavi in cælum & coram te. Vtinam numquam declinassem à mandatis tuis! Nónne enim mihi adhærere tibi Deo meo bonum est? te unum quærere? ad te unum suspirare, à quo omnia mihi bona manârunt? Quid retribuam tibi? Quid retribuam tibi? Quid retribuam tibi? qui, cùm mei immemor essem, recordatus es mei tu; cui millia millium ministrant, & decies centena millia assistunt, & non est numerus militum tuorum. Tu respicis terram, & facis eam tremere, & tribus digitis appendis molem ejus. Infinitas tibi, immense Deus, gratias ago, pro omnibus donis tuis, & in unione gratiarum actionis, quam agit, & egit ab initio creationis suæ sanctissima anima tua, dulcissime Jesv, & mater tua, & omnes beati spiritus ac Sancti tui. Et credo in hoc Sacramento esse verum corpus & sanguinem tuum. Tu enim dixisti, ô æterna Veritas, hoc esse corpus tuum, & illud mihi dedisti: ideòque & spero in te, omniaque tibi committo. Diligo te ex toto corde meo, totâ animâ meâ, & mente meâ, & ex totis viribus meis. Ex te enim, & in te, & pro te sunt omnia, Desidero te millies, in quem desiderant Angeli prospicere, cujus pulcritudinem Sol & Luna mirantur. mi Jesv, quando venies? me lætum quando facies, me de te quando satiabis? O Deus meus, Deus cordis mei, & omnia! absorbeat me immensa & melliflua vis amoris tui: ut amore amoris tui moriar, quia amore mei dignatus es mori, *Vtere si licet exercitio Fidei, Spei, & charitatis*, ut sup.

Contritio. Psalm. 6. Admiratio potentiæ Dei. Isaia 40. Ps. 103. Gratiarum actio. Actus Fidei, Spei, & Charitatis. Oblatio sui. Præsentiæ Dei actus. Adspiratio. Vnio.

Manè evigilans, iterum hæc potes repetere post solitas preces. Initio Sacri, cogita, quo affectu æquum sit recipi Dominum tuum à te, ut est, v.g Creator tuus, vel Pastor, Redemptor, &c. Secundò expende verba invitantis Christi; Tertiò, animæ; & exerce affectus in hoc exercitio positos; Quartò, per diem subinde eosdem renova.

DIE LVNÆ.

IESVS invitat animam, Apoc. 3. Ioan. 10.

IESVS. Ecce sto ad ostium, & pulso: si quis audierit vocem meam, & aperuerit januam, introibo ad illum, & cænabo cum illo, & ipse mecum. Ego sum Pastor bonus, & cognosco oves meas: & venio à summo cælorum, ut vitam habeant, & abundantiùs habeant.

Hæccine vera, ut sup. p. 7. *Exerce fidem, spem, & charitatem*, ut sup. in modo, meditationibus vel affectibus.

Anima IESVM ut Pastorem.

ANIMA, O Pastor & conservator mi, & Sapientia æterna, & Veritas certissima, qui me pascis & conservas, & omnia pro me: atque insuper hîc panem in corpus & sanguinem convertis, ut ego vivam, & convertar in te. Scriptum est de te: Sicut Pastor pascet gregem suum, & in brachio suo congregabit agnos, & in sinu suo leuabit, fœtas ipse portabit. Require ergo oves tuas, & visita eas, sicut visitat pastor gregem suum, quando fuerit in medio ovium dissipatarum. In pascuis uberrimis pasce eas, & in montibus excelsis Israël. Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum. Sonet vox tua in auribus meis. Vox enim tua dulcis, & facies tua decora, ô speciosa forma præ filijs hominum. Quæ est nunc exspectatio mea? nónne tu, Domine? Attamen, ô Deus meus, confundor, & erubesco levare faciem meam ad te, quia fornicata sum cum amatoribus multis. Laboravi in gemitu meo, &c. ut suprà. *Vel utere affectu spei*, ut sup.

Isaia 40.

Psalm. 56. Cant. 2.

DIE MARTIS.

IESVS invitat animã.

IESVS. Ecce Rex tuus venit tibi justus, & Salvator, Ipse

Ipse pauper, ascendens super asinam, & super pullum filium asinæ. ubi est refectio mea, ubi pascha cum discipulis meis manducem? *Zachar. 9. Marci 14.*

ANIMA. Rex regum, & Domine dominantium. Ecce, ecce, cænaculum non grande, non stratum, paratum tamen tibi, ô IESV, qui me ad fidem, tot millibus relictis vocare dignatus es, & hîc pro me, mirè accidentia absque substantia conservare. Exspectans, exspectavi te, Domine, intende mihi, ô desiderium collium æternorum. Esto brachium nostrum in manè, & salus nostra in tempore tribulationis. Te enim exspectavimus, neque aliud possumus: veni, Domine, & noli tardare; & relaxa facinora plebi tuæ. Ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum, sed miserere mei. Tues enim Rex meus, qui mandas salutes Iacob. Exurge, exurge, quare obdormis, Domine? Exurge, & ne repellas in finem, quare faciem tuam avertis? obliviscéris inopiæ nostræ, & tribulationis nostræ? *Laboravi in gemitu meo*, &c. ut sup. *Excita gratiarum actionem*, ut suprà. *Anima IESVM ut Regem. Psal. 39. Matth. 21. Isaia 33. Psalm 78. Psalm. 43. Ibid.*

DIE MERCVRII.

IESVS. Venite, & comedite panem meum, & bibite vinum, quod miscui vobis. Omnes sitientes venite ad aquas: & qui non habetis argentum properate, emite, & comedite: venite, emite absque argento, & absque ullâ commutatione vinum & lac. Comedite amici, & inebriamini, carissimi: desiderio enim desideravi hoc pascha manducare vobiscum. *Aspira*, ut sup. p. 8. *IESVS inuitat animã. Proverb. 9. Isaia 55. Cant 5. Luca 22.*

Hæccine firma, &c.

ANIMA. O liberalissime Domine qui non dedignatus es vocari & esse amicus ac frater noster: O quàm verè amicus, qui te totum mihi dare, & ad pœnitentiam ac amicitiam vocare dignatus es, & hîc per accidentia ita atque per substantiã operari: qui omnia, quæ audisti à Patre tuo, nota fecisti nobis. Quid est homo, quia magnificas eum, aut quid apponis erga eum cor tuum? *Anima IESVM ut amicum. Ioan. 15. Iob 7.*

Quid est homo quia magnificas eum, aut quid apponis erga eum sic cor tuum? Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea
Psal.41. ad te, Deus. Sitivit anima mea ad te, Deus, fontem vivum; quando veniam, & apparebo ante faciem tuã?
Ierem.2. Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte, quia dereliquit te fontem aquæ vivæ, & fodi mihi cisternas, quæ continere non valent aquas. *Laboravi in gemitu meo*, &c. ut suprà. *Contritiones hic exerce*, ut sup.

DIE IOVIS.

IESVS animã invitat Cant. 5. IESVS. Aperi mihi, soror mea, sponsa, amica mea,
Cant. 2. columba mea; quia caput meum plenum est rore, & cinciuni mei guttis noctium. Surge, propera amica mea, speciosa mea, & veni; ostende mihi faciem tuam.
Osea 2. Sponsabo te mihi in fide, & in justitiâ, & in judicio, & in misericordiâ, & in miserationibus: & scies quia ego Dominus.

Cant. 5. Anima IESVM ut sponsum. ANIMA. Surrexi ut aperirem tibi dilecto meo. Manus meæ distillaverunt myrrham, & digiti mei pleni myrrhâ probatissimâ. Veni, ô sponse mi dulcissime, qui ad hunc statum filiorum tuorum me vocare dignatus es; & hîc mirabiliter esse: totus in toto, & in quâlibet parte, spirituali ac mirabili adinventione tuâ: ut non secundùm carnem vivamus; sed in te, cujus deliciæ sunt
Prov. 8. esse cum filijs hominum. O quàm suavis est, Domine,
Sap. 12. spiritus tuus, qui, ut dulcedinem tuam, quam habes, in filios demonstrares, pane suavissimo de cælo præstito reples eos, habente in se omnem dulcedinem, & omnis saporis suavitatem. Veni, veni, veni, Domine, in domum tuam, templum tuum, animam meam, quam tibi
Cant 3. millies dedicavi, & dedico toto corde meo. Egredimini, & videte filiæ Ierusalem Regem Salomonem in diademate, quo coronavit eum mater sua, in die de-
Ierem. 14. sponsationis illius, & in die lætitiæ cordis illius. Sed, eheu! bone IESV, cur sicut colonus futurus es mihi in terra, & ut viator, declinans ad manendum? veni, dilecte

lecte mi, & mansionem apud me fac, & trahe me post te; curremus in odorem vnguentorum tuorum. Nemo enim potest venire ad te, nisi traxeris eum. Erravi fateor sicut ovis, quæ periit, sed ecce nunc revertor ad te in universo corde meo. Convertere quæso, & projice post tergum tuum omnia peccata mea. Laboravi in gemitu meo, &c. ut suprà. *Hic affectu amoris utere*, ut sup.

Cant. 1.
Psalm. 118.

DIE VENERIS.

IESVS. Consurge, consurge, sede Ierusalem, solve vincula colli tui captiva, filia Sion: quia hæc dico ego Dominus: Gratis venundati estis; & sine argento, redimemini. Emi enim te precio magno, ut glorifices me, & portes me in corpore tuo. Emi, non corruptibilibus, auro, vel argento, sed precioso sanguine meo. Immò etiam tauri mei, & altilia occisa sunt, & omnia parata; venite ad nuptias. Quid potui tibi facere, & non feci? Quod est enim bonum meum, & quod pulcrum meũ, nisi frumentum electorum, & vinum germinans virgines? *Adspira*, ut sap. p. 8. *Hæccine firmâ*, ibid.

IESVS invitat animam.
Isaia 58.
1. Pet. 1.
Matth. 22.
Zach. 9.

ANIMA. O ineffabilis dilectio! ut servum redimeres, tu, te, ô Domine tradidisti! O IESV, redemptor liberalissime, túne vermiculum & miserrimũ servulum tuum sanguine tuo sic liberare dignatus es? & ità hîc esse, ut, quamvis hostia dividatur, dividi corpus tuum nequeat, ut scilicet cor meum in æternum, in æternum non dividam abs te? Respice in me, & miserere mei; neque despicias me, Deus salutaris meus. Anima enim mea desideravit te in nocte. Sitivit in te anima mea, quàm multipliciter tibi caro mea, in terrâ hâc tam desertâ, inviâ, & inaquosâ. Expandi ad te manus meas; quia ecce, ecce verè anima mea sicut terra sine aquâ tibi, ô fons paradisi Dei mei! Miserere mei, Deus, secundùm magnam misericordiam tuam. Miserere mei, quia unicus & pauper sum ego. Et quò ibo cœcus & pauper à facie tuâ, Pater mi, liberator meus de inimicis meis iracundis? nónne tuus sum ego? ergo ô IESV, ô salus, ô

Anima IESVM ut Redemptorem.
Psalm. 62.
Psalm. 50.
Psalm. 24.
Ps. 118.

Psal.118. ſpes mea, jam ſalvum me fac; quoniam mandata tua exquiſivi. Laboravi in gemitu meo; & cetera ut ſup.

Gratiarum actio hic exercenda, ut ſup.

DIE SABBATHI.

IESVS animā invitat. Cant.5. IESVS. Veni in hortum meum, ſoror mea, ſponſa: meſſui myrrham cum aromatibus meis: & comedi panem meum cum melle meo, & bibi vinum cum lacte meo. Surge, propera, amica, ſpecioſa mea, & veni. Iam enim hiems tranſijt, imber abijt, flores apparuerunt in terra noſtra. Veni de Libano ſponſa mea, veni de Libano: veni, coronaberis.

Cant.4.

Anima IESVM ut glorificatorem. Pſal.22. ANIMA. O Pater mi, ô Liberator meus & Rex meus, ô glorificator meus! O quàm præclara eſt hereditas tua! quanta præparaſti timentibus & diligentibus te, Deus meus, qui præparaſti in conſpectu meo talem menſam adverſus omnes qui tribulant me; qui hic eſe, & ad vocem etiam peſſimi Sacerdotis aſſiduè præſtò eſſe pro me, ſub utraque ſpecie totus & integer, non dedignaris! Fac, obſecro, ut cibus etiam meus ſit voluntas tua. Et ſi inveni tantam gratiam in conſpectu tuo, ut te mihi dares; oſtende mihi faciem tuam, ut ſciam te, & inveniam te, quem magno deſiderio deſiderat anima mea: & quomodo coarctor, uſque dum perficiatur! Oſtende mihi gloriam tuam, & ſalvus ero. Recordare, recordare Paſtor bone, recordare ovis perditæ, Pater amantiſſime, prodigi filij tui. Scio, non ſum tibi neceſſarius, non ſum neque utilis ſervus. Sed tamen noſti, ſpero, Domine, quia amo te, & ad te omne ſuſpirium meum. O quàm dilecta tabernacula tua, Domine! concupiſcit, & deficit anima mea in atria Domini. *Laboravi in gemitu meo*, &c. ut ſuprà. *Exerce hic affectum Amoris & Reſignationis.*

Exodi 33.

Pſalm. 83.

Oratio coram Ven. Sacramento, pro sui renovatione, & vitæ emendatione: quæ etiam ante, & post Communionem usurpari potest.

PRIMÒ, observa, & memento, dum ingrederis templum ad aquam lustralem, lotum te sanguine Christi IESV, & te ablue actu contritionis, ac siste te quasi coram totâ curiâ cælesti, cujus ibi pars bona est, hanc-que orationem recita: *Nota. Contritio ad aquam lustralem excitanda.*

Ave, dulcissime IESV, *Domine meus, & Deus meus; benedic, quaso, inopi & calamitoso exuli tuo, recipe me in amoris tui suavissimos amplexus.* Fac signum Crucis.

Avete venerabiles manus pro me cruci affixæ.

Avete pedes speciosi pro me clavis confixi.

Ave latus speciosum pro me vulneratum.

Ave cor mitissimum IESV, *meo & mei indignissimi peccatoris æterno amore saucium.*

Ave Mater & refugium peccatorum MARIA, *stella maris & portus salutis.*

Avete Angeli & Sancti Dei, faustissima sidera, succurrite naufrago & erranti in medio vasti maris mundi hujus, vel deserto invio & inaquoso.

Audi, Domine, suspirantem ad te, laqueis in mediis, in montibus Gelboë, ubi, ubi, eheu! tot ceciderunt fortes Israel. Ecce velut in angusto & lubrico stamus? & hic subtus me dracones & mille cuspides, infernus ipse, circa me hostes, intra me ipsa fragilitas. Tu, Deus meus supra me, cujus abyssalia judicia conturbant me, qui infidelis fui peccatis innumeris, longè plura cōmissurus, ni ebrium tenuisset in præcipiti manus tua & misericordia tua. quod enim est peccatum, quod facit homo, quod non faceret alter homo, si tu desis Rector per quē factus est homo? & eheu! quid scio, quid serus vesper vehet, quando columnæ cæli obstupescunt, & stellæ de cælo ceciderunt? Habeo enim fontes peccatorum & omnis infelicitatis intra me, imperfectiones meas, quibus omnia ita vereor inficiūtur, ut nesciam, an respondere tibi de ullo opere possim. O quoties periclitatus sum, & evasi gratiâ tuâ de medio hostium, serpentium, ignis, Miseria humana. Aug. hom. 23. lib. 50. homil.

ignis, naufragij in arcem tuam, id est, adjutorium tuum, & sublatus super altitudinem terræ ex amore tuo, qui amore mei solium non habuisti ubi caput reclinares!

Oblatio sui & resignatio.

Obtuli tibi & iterum offero in holocaustum voluntatem meã arborem tuam, ut nec bona velle liceat mihi, nisi tu, Deus, cui cura ab æterno de me est, id per Superiores significes. Absit verò ut iam detraham de holocausto. Quid enim, Pater benignissime, scit puer tuus, quid expediat sibi, quam viam teneat cæcus in tot periculis, & ignarus viæ? Quid medico phreneticus præscribet? si me voles esse omnium minimum, ut sim maximus in æternum apud te sessurus in throno tuo, nónne infinitæ est misericordiæ tuæ? si obedire vis me omnibus, ut regnem & judicem, & gloriâ tuâ circumder, qui venisti ministrare, & non ministrari, qui factus est obediens Patri æterno, etiamsi ei esses æqualis, usque ad mortem crucis, parentibus tuis, immò & tortoribus in tormentis; nónne mihi magna gloriâ sequi te, Domine præsertim cum pro me cum sceleratis reputatus es? Si ergo iam commoda quæram, corporis, sensuum, ventris mei mancipium, sciens impossibile esse hic ventrem, & ibi implere mentem; si obliviscar prævaricationis meæ, & Adæ, & tot damnatorum, & tui, Iesu, felle potati; si immenso supplicio redimam sicut Esau in conspectu tuo vilem è creatura voluptatem; si honorifica, qui me vobis omnium minimum, & peccatorem maximum agnoscere debeo, affecto; si pauperes sperno, iudicia hominum formido; si vilem me cognosco, & vilis haberi nolo; ô quanta erit confusio mihi in die illa in conspectu tuo!

Isaiæ 53. Marci 15. Hieron. in epist. ad Iulian.

Quomodo, ô Iesu amantissime exempla tua sequi grave mihi esse potest, nónne sum creatura, servus, miles & filius tuus, toties æternæ mortis reus? nunquid toties sponte in servum me obtuli tibi, & optavi fieri unicam voluntatem tuam? nunquid probè scio te per Superiores loqui utilissima animæ meæ, & omnino, omninò incertas esse providentias nostras? Vbi iam est ergo fiducia mea? Tu, Domine, spes mea, & amor meus à juventute meâ, ne memineris iniquitatum mearum. ne sis mihi formidini, tu spes mea; sed illumina me, & conjunge me tibi, & laudent te cælum & terra mecum pro tot, & tantis beneficiis tuis. Gratias

ego ex affectu & amore quo poßum summo: (nosti enim, spero, Domine, quia amo te) quòd tu Deus, me amaveris ab æterno, etiamsi scires, me te aliquando osurum, & conservaveris te crucifixurum, redemeris te toties pro vili creaturâ venditurum, expectaveris prodigum. iustificaveris impium, præservaveris fragilißimum, & vocaveris fugientem proditorem tuum, ut collocares eum cum Principibus populi tui, & serviret tibi omnibus diebus vitæ suæ. Et non sufficit adhuc charitas tua tanta, ut amore liquescat animæ meæ? Gratiarum actio.

Gratias item ago pro tribulationibus, tentationibus, reprehensionibus & confusionibus, quas ad salutem meam esse voluisti, & me offero ad hæc, & postulo veste tuâ indui, obtestans per viscera misericordiæ tuæ, ut retribuas illis, qui suo fortè crudeli dãno, & pœnâ tibi luendâ, tantum bonum mihi attulerunt. Cupio tecum baiulare crucem, nudus nudum sequi pro te vivere & mori. Hæc est voluntas mea, Deus meus, suprema, velut hodie morituri coram te Iudice & Patre amantißimo, & curiâ Sanctorum, quos testes habebo infidelitatis & tepiditatis, si deterior, superbior, distractior impatientior evasero. Averte, Domine, & dele in me quicquid tibi displicet in me, servo tuo, & fac ut temporalium omnium habeat fastidium, cùm hæc satiare numquam poßint. Tu verò, Domine, solus bonus, & omne bonum sola satietas animæ meæ; quis ergò mihi tribuat, ut te solum diligam, & proximum propter te, etiam hostem, ut membra, ut filios tuos, & sponsas, & paratus sim etiam animam ponere pro iis? tibi enim præstare nescio quæ iis facio, seu bona, seu mala.

Quis mihi jam tribuat, ut quæram te toto corde, ut amem te in omnibus, cùm tu in omnibus mei amore existas & mihi opereris? Desidero te millies, mi IESV *dulcißime, suavißime, amantißime, preciosißime, pulcherrime, potentißime, nobilißime, sapientißime, liberalißime, optime, vita mea, protector, gloria mea, creator meus, finis, Redemptor meus Domine, Pater sponse, frater, & omne bonum. Hæc omnia es, & quomodo mihi non sufficis, & tepidus sum in tui amore? Veni, mi bone* IESV, *quando venies? veni, & ure cor meum, inebria me charitate tuâ, fac me unum tecum, sicut tu & Pater unum estis. Accipe cor meum,* Actus charitatis, & resignationis.

meum, suspiria hæc mea, corpus & animam, sanguinem, cogitationes N. verba N & omnes actiones meas N. in unione omnium meritorum tuorum, & Sanctorum tuorum, purissimis manibus B. Virginis & Angeli Custodis mei, sanctorum Patronorum meorum. Dispone, ordina de me creatura tua: nosti enim quid expediat, & vis & potes, & tua infinitis titulis sunt omnia Deus meus, Deus cordis mei, & omnia. Amen.

Colloquium animæ cum Christo pro Sacro audiendo, & Communione, maximè pro ijs, qui non intelligunt, quæ loquuntur, & distractis.

CONSIDERARE hîc oportet IESVM velut præsentem, atque eum magno affectu comitari.

Isaia 63. ANIMA. Quis est iste, qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosrâ, iste formosus in stolâ suâ, gradiens in multitudine fortitudinis suæ? quare rubrum est indumentum tuum Domine IESV, & vestimenta tua sicut calcantium in torculari?

Ibidem. CHRISTVS. Torcular calcavi solus, & de gentibus non est vir mecum. circumspexi, & non est auxiliator; quæsivi, & non fuit qui adjuvaret; quæsivi qui simul contristaretur, & non fuit; consolantem me quæsivi, & non inveni.

Psal. 68.

Hæccine vera, ut sup. p. 7.

Isaia 63. ANIMA. Miserationum Domini recordabor; laudem Domini super omnibus quæ reddidit nobis Dominus, & super multitudinem bonorum domui Israël, quæ largitus est secundùm indulgentiam suam, & secundùm multitudinem misericordiarum suarum. Ludebam ego in plateis, & in secreto regalis cubiculi super me ferebatur judicium mortis. Audivit hoc Vnigenitus ejus, exijt posito diademate, sacco vestitus, aspersus cinere caput, nudus pedes, flens & ejulans, quòd morte damnatus esset servulus ejus. Intueor illum subitò procedentem, stupeo novitatem, causam, per-

Bern. serm. 3. de nat. Christi.

percunctor. & audio. Quid facturus sum? adhúcne ludam & illudam lacrymas ejus? planè, si insanus sum, & mentis inops, non sequar eum, nec simul cum lugente lugebo. Ecce, unde pudor, dolor, & timor unde? utique quia ex consideratione remedij, periculi mei æstimo quantitatem.

CHRISTVS. Ne timeas, quia ego tecum sum; ne declines, quia ego Deus tuus. Elegi te, & non abjeci te; confortavi te. & auxiliatus sum tibi: super montem excelsum adscende tu, exalta in fortitudine vocem tuam. Ecce enim memoriam feci mirabilium meorum, & dixi discipulis meis: Hoc quotiescumque feceritis, in memoriam mei facietis. Audi Euangelistam meum, & recordare paupertatis meæ, ab ynthij & fellis.

Isaiæ 41.
Isaiæ 40.
Ad ingressum Sacerdotis.
Luc. 22.
Thren. 3.

ANIMA. Quid retribui tibi? cheu! *advertere hîc poteris, quomodo tu Christo moribus tuis sueris contrarius*, quid retribuam? credo, Domine, & doleo vehementer peccasse me in cælum, & coram te, qui dedisti animam tuam pro me: sed spero in te spes mea, & diligo te ex toto corde meo. *Gloria Patri*, &c. vel potes, si vacat, dicere. *Hæccine vera*, ut sup. p. 7.

Actus contritionis, fidei, spei & charitatis.

EVANGELISTA. Egressus JESVS trans torrentem dixit: Tristis est anima mea usque ad mortem; sustinete hîc, & vigilate mecum: & progressus pusillùm procidit in faciem suam orans, & dicens: Pater mi, si possibile est, transeat à me calix iste: verumtamen non sicut ego volo; sed sicut tu: & factus in agoniâ prolixè orabat, & factus est sudor ejus sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram.

Matth. 26.
Luc. 22.

ANIMA. Et ego te ultrà offendere potero, Deus meus? quid retribui tibi, &c. vel *Credo tibi*, ut sup. p. 7.

EVANGELISTA. Tunc ait illis, Venit hora, ecce filius hominis tradetur in manus peccatoris: & confestim accedens ad JESVM, dixit Iudas, Ave Rabbi; & osculatus est eum; dixitque illi IESVS, Amice, ad quid venisti? osculo filium hominis tradis?

Ad osculum altaris.
Marc. 14.
Matth. 26.
Luc. 22.

ANI-

ANIMA. Et ego pro vana creatura te tradam & deseram? quid retribui, &c.

Ad introitum. *Ioan. 18.*

EVANGELISTA. Et posthæc adduxerunt eum ad Annam, primò, & interrogavit IESVM de doctrinâ, & discipulis ejus, atque unus assistens ministrorum dedit alapam JESV, dicens, Sic respondes Pontifici?

ANIMA. Et ego, ô IESV patientissime, ne verbum quidem pro verbere tolerare potero, quid retribui, &c.

Ad Kyrie eleyson. *Marc. 14. Matth. 26.*

EVANGELISTA. Sequebatur autem JESVM à longè Simon Petrus: & qui adstabant dicebant ei: Verè et illis es: ille autem cœpit anathematizare, & jurare, Quia nescio hominem istum, & statim gallus cantavit: & egressus foras, flevit amarè.

ANIMA. O quoties negavi te, & egressus adhuc mitissime JESV, risi dolores tuos! quid retribui, &c.

Ad orationes, epistolam, graduale. *Matth. 26. Matth. 27.*

EVANGELISTA. Et adduxerunt IESVM ad Caiphan Principem sacerdotum, & quærebant falsum testimonium contra IESVM, ut eum morti traderent: & adjuravit illum Caiphas, & conclamârunt universi: Reus est mortis. tunc exspuerunt in faciem ejus, & colaphis eum ceciderunt: alij autem palmas in faciem ejus dederunt & illudebant ei. Manè autem facto concilium inierunt, ut eum morti traderent.

ANIMA. Et quomodo non vivam tibi, ô vita mea, & salus mea, quid retribui, &c.

Ad Euangelium. *Ioan. 18.*

EVANGELISTA. Adducunt ergò IESVM à Caiphâ in prætorium, & cœperunt illum accusare dicentes, Hunc invenimus subvertentem gentem nostram.

ANIMA. Te, Domine, qui pertransisti benefaciendo, & sanando omnes! tu autem nihil respondebas, bone IESV, quid retribui, &c.

Ad Credo. *Luc. 23.*

EVANGELISTA. At illi invalescebant, dicentes: Commovit populum docens per universam Iudæam.

ANIMA. O quoties reddidimus tibi, ô bone IESV, pro bono malum! quid retribui ego tibi? Eheu! quid retribuam? credo, Domine, & doleo vehementer peccasse

cesse me in cælum, & coram te; sed spero in te, spes mea, & diligo te ex toto corde meo. *Gloria Patri*: vel utere illâ oratione. *Hæccine vera*, ut sup. pag. 7.

Hic offer te & omnia opera tua, sicut Dominus à Iudæis reprobatus sese Patri pro nobis obtulit. Ad oblationem, & calicis præparationē.

EVANGELISTA. Pilatus autem audiens Galilæam, remisit eum ad Herodem, qui interrogabat eum multis sermonibus: & cùm JESVS illi nihil responderet, sprevit illum Herodes cum exercitu suo, & illusit indutum veste albâ, & remisit ad Pilatum. *Luca 23.*

ANIMA. O Sapientia æterna, túne factus es in derisum propter me! quid retribui tibi, &c. *Ierem. 3.*

EVANGELISTA. Per diem autem festum solebat dimittere illis vnum ex vinctis, quemcumque petiissent, & dixit, Quem vultis vobis dimittam, Barrabbam an IESVM? *Marc. 15.* Ad lotionem manuum & secretas.

ANIMA. Cui comparârunt te, Deus meus! & quoties vilior mihi fuisti? quid retribui, &c. *Matth. 27.*

EVANGELISTA. Dicit autem illis Pilatus, Quid igitur faciam de JESV, qui dicitur Christus? dicūt omnes, Crucifigatur. ait ille Præses: Quid enim mali fecit. Ad præfationem. *Matth. 27.*

ANIMA. Ego sum, Domine, qui peccaui. filii hominum usquequò gravi corde? nónne iste est, cui venienti cecinistis festum osanna? nónne, de quo scriptum: Omnia bene fecit? & canunt Angeli, Sanctus, & perenne Alleluia? quid enim mali fecisti, ô bonitas infinita? at illi magis clamabant, Crucifigatur. Sanguis ejus super nos & super filios nostros. quid retribui tibi, &c.

EVANGELISTA. Tum milites Præsidis suscipientes JESVM in prætorio, congregaverunt universam cohortem, & flagellabant eum, & plectentes coronam de spinis, posuerunt super caput ejus, & arundinem in dexterâ ejus, & genuflexo ante eum, illudebant ei, dicentes: Ave Rex Judæorum, & exspuentes in eum, ceperunt arundinem, & percutiebant caput ejus, & ponentes genua adorabant eum, & dabant ei alapas. Ad Canonem. *Matth. 27.*

ANIMA. O quàm pudet me, sub spinoso capite membrum esse tam delicatum! quid retribui, &c.

Memento hic cum sacerdote eorum, pro quibus orare debes, & supplica per dolores Christi Domini, in nomine ipsius.

Ad Elevationem. *Ioan. 19.*

EVANGELISTA. Exivit ergo iterum Pilatus foras, exivit & JESVS, portans spineam coronam, & purpureum vestimentum, & dicit eis, Ecce homo. Cùm ergo vidissent eum Pontifices & ministri, clamabant, Crucifige, crucifige eum; & dicit Iudæis: Ecce Rex vester. illi autem clamabant: Tolle, tolle, crucifige eum.

ANIMA. O Pater æterne, respice in faciem Christi tui, & miserere nostri, quid retribui, &c.

Ad reliquũ canonis post elevationem *Matth. 27. Lucæ 23. Matth. 27.*

EVANGELISTA. Exuerunt ergo eum chlamyde, & duxerunt, ut crucifigerent eum, & angariaverunt Simonem Cyrenæum, & ad flentes mulieres conversus IESVS dixit: Filiæ Ierusalem, nolite flere super me, sed super vos ipsas flete, quia si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet? & venerunt in locum, qui dicitur Golgotha, & dederunt ei vinũ bibere cum felle mistũ.

ANIMA. Volo Domine, sequi te Regem meum, & abnegare me, tollere crucem tuam, & sequi te. quid retribui? &c.

Ad *Omnis honor, & Pater noster. Lucæ 23. Matt. 27. Ioan. 19.*

EVANGELISTA. Et ibi crucifixerunt eum, & latronem unum à dextris, & alterum à sinistris, & diviserunt vestimenta ejus, sortem mittentes, & blasphemabant eum dicentes, Salva temetipsum. Stabat autem juxta crucem IESV mater ejus. IESVS autem dicebat, Pater dimitte illis, non enim sciunt, quid faciunt: latroni verò Hodie mecum eris in paradiso: matri, Ecce filius tuus: Ioanni & mihi, Ecce mater tua: Deo Patri, Deus meus, ut quid dereliquisti me?

ANIMA. Mihi verò dixisti, ô JESV, Sitio, æstuans amore salutis meæ. denique, Consummatum est. & Pater in manus tuas commendo spiritum meum. Verè dignus est, Domine IESV, morte, qui tibi recusat vivere. quid retribui, &c. *Ioan. 19.*

EVAN-

EVANGELISTA. Centurio autem, & qui cum eo erant, videns tenebras factas super universam terram, ait: Verè filius Dei erat iste: Stabant autem omnes noti ejus à longe: & unus militum latus ejus aperuit, & continuò exivit sanguis & aqua. *Ad Agnus Dei. Luçæ 23. Ioan. 19.*

ANIMA. Quis mihi tribuat ut vivam tibi, & moriar pro te, bone IESV? quid retribui tibi; &c.

EVANGELISTA. Et cùm serò esset factum, Ioseph ab Arimathiâ petiit corpus IESV, & donavit ei Pilatus, & accepto corpore involvit illud in sindone mundâ, & cum aromatibus, sicut mos est Iudæis sepelire: & posuit illud in monumento novo, quod exciderat in petrâ. Ad Communionē. *Marci 15. Matth. 27. Ioan. 19.*

ANIMA. O IESV, utinam complantati facti simus similitudini mortis tuæ, ut simus simul etiam resurrectionis, & in novitate vitæ ambulemus! Mihi verè adhærere tibi, bonum est, & ponere in te omnem spem meam. quid retribui, &c. *Psalm. 72.*

EVANGELISTA. Et cùm transisset sabbathum, Maria Magdalene, & Maria Iacobi, & Salome emerunt aromata, ut venientes ungerent IESVM, qui tertiâ die resurrexit à mortuis propter nostram justificationem. Ad post Communionem.

ANIMA. Quid retribui tibi, &c.

EVANGELISTA. Maria autem stabat ad monumentum, & conversa retrorsum, vidit IESVM stantem. tunc dicit ei IESVS, Vade ad fratres meos, & dic eis: Ascendo ad Patrem meum & Patrem vestrum, ad Deum meum & Deum vestrum. Posthæc apparuit discipulis suis, & dixit eis: Pax vobis, ego sum, nolite timere. *Ad Dominus vobiscũ, & orationes. Ioan. 20.*

ANIMA. Quando veniam, & apparebo ante faciem tuam? quid retribui, &c.

EVANGELISTA. Et accedens IESVS locutus est eis dicens, Euntes in mundum universum, predicate Evangelium omni creaturæ, & ascendit in cælum: & cùm implerētur dies Pentecostes, misit promissum Paracletum: illi autem prædicaverunt ubique, Domino cooperante Ad Benedictionem. *Marc 16.*

perante, & sermonem confirmante sequentibus signis.

Psalm. 115. ANIMA. Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? calicem salutaris accipiam, & nomen Domini invocabo. Credo, Domine, & doleo vehementer peccasse me in cælum & coram te; sed spero in te, ô spes mea, & diligo te ex toto corde meo. Absorbeat me immensa & melliflua vis amoris tui, ut amore amoris tui moriar, qui amore mei dignatus es mori.

Alia oratio, Christiani hominis officia ac omnium propè virtutum actus complectens.

4 Reg. 3. Isaiæ 40. *Gratiarum actio.* DOmine Deus meus, in cujus conspectu sto, coram quo tremunt universæ potestates, omniaq; sunt, quasi non sint; gratias tibi ago, quia me de nihilo creasti, & hæc universa pro me, quia redimisti me sanguine tuo, & Ecclesiæ tuæ aggregasti, & pro omnibus beneficiis, quæ sanctissimæ humanitati Christi Domini Beatæ Virgini & omnibus Sanctis atque hominibus & mihi concessisti: à te enim, & tua sunt omnia, ut non sit unde gloriretur omnis caro. Creasti verò me & hæc omnia dedisti, ut serviam tibi, & nisi fecero, æterna mihi supplicia comminatus es. *Adoratio.* Adoro te ergo, Deus meus, & servire tibi volo: atque abrenuntio mundo, carni & diabolo, & omni creaturæ quæ me rebellem faciat tibi creatori meo. Quid enim? fortè hodie sicut fur in nocte veniet improvisa mors, & quid tum coram tribunali tuo responderem tibi, si ob levem voluptatem, vile lucrum, vel vanitatem declinassem à mandatis tuis, quæ, ut dixisti, verè gravia non sunt? Ah, utinam te, Pater pijssime, nunquam offendissem! tu enim verè omne bonum es, & à te immensa ac spontanea charitate mihi omnia bona venerunt: pro quibus, eheu! retribuimula, verùm ecce redeo servus ad Dominum, filius prodigus ad patrem misericordiarum, & Deum totius consolationis, & adhærere tibi volo fide viva, spe firmâ, charitate perfectâ. Credo tibi, ô Veritas æterna, ac Catholicæ Romanæ Ecclesiæ tuæ, tot Martyribus, miraculis, antiquitate & unitate roboratæ; immò per

1. Cor. 1. August. 1. Thess. 5. Psalm. 118. 1. Ioan. 5. *Actus contritionis.* Sap. 7. Psalm. 34. 2. Cor. 1. *Fidei.*

gratiam

gratiam tuam paratus sum potiùs millies mori, quàm eam non audire. O Deus meus, tu es enim spes mea, in te confido, non erubescam. etiamsi occideris me, in te sperabo. Iacto super te, Domine, curam meam, & omnem sollicitudinem meam projicio in te. Scio enim præsentem ubique esse te, & mei velut universi curam gerere. Fac ergo, Pater amantissime, de me secundùm bonam voluntatem tuam, non meam: tu enim solus Dominus, tu medicus & dux meus in via hac; tu nosti, quid mihi ægro expediat, quaq; si peregrino eundum. Accepto proinde omnia bona & mala de manu tua, sive paupertas, infamia, seu dolores erunt: omnia enim providentiâ tuâ gubernantur, & in ditione ac voluntate tua cuncta sunt posita, & quis est qui dicere possit. Cur ita facis? & quid quæso habet conqueri, qui infernum est promeritus, de momentaneâ tribulatione, quæ æternum gloriæ pondus operatur in nobis? Scio insuper quòd benignus & misericors Pater es, neque patieris scio me tentari supra id quod possum. Nunc ergo, ô bonitas infinita diligo te, utinam verè ex toto corde meo, & nihil extra te: à te enim, & in te solo omne bonum meum est, ubique mihi præsens es, & omnia largiris, ô fons bonorum omnium. Cur igitur te neglecto, creaturæ vanum anxiè simul & frustra quæram solatium? Téne JESV *bone, derelinquere possum, fontem aquæ vivæ & bibere Aegypti, huius mundi, aquam turbidam? Sitio & suspiro te unum, & amplectar te ulnis animæ meæ, proximos verò omnes & inimicos propter te. Ecce condono illis jam coram te ex toto corde, quidquid peccaverunt in me. Si enim diligentes me tantùm diligo, nónne & Ethnici hoc faciunt? Ego verò ô* JESV *Christianus & filius tuus sum, qui pluis super justos & injustos, & solem tuum oriri facis super bonos & malos. Verùm, ô Domine Deus, da mihi ut non verbo tantùm, sed & opere & veritate diligam te & proximos meos, ac lato corde curram in viâ mandatorum tuorum. Et certè cùm recogito labores & dolores,* JESV *dulcissime, quos pro salute meâ sponte subijisti, quid mihi pro illâ grave esse potest? an Missam audire? terræ vilissimum aliquod frustum alteri restituere? hoc N. abnegare? Sacramenta ferventer frequentare? conscientiam sedulò examinare? sobrium esse? proximum diligere? aliis honoratiora deferre?*

Spei. Iob. 3. Psalm. 54.

Aug. Soliloq. c. 14.

Resignationis, Patientiæ & Fortitudinis Sap. 14. Esther. 13. Job. 9. 2. Cor. 4.

Confidentiæ. Ioël. 2. 1. Cor. 10.

Amoris Dei. Matth. 22. Ierem. 2.

Charitatis proximi & inimicorum. Matth. 5.

1. Ioan. 3.

Propositum bene vivendi. Psalm. 118.

Lucæ 16. *desiderare? te super omnia amare? Pudet me torporis mei, dum filios hujus sæculi aspicio, & quantos illi labores pro momentanâ hac vitâ tuendâ subeant, quomodo enim mihi mandata gravia*

Matth. 24. *videri possunt, cùm tu, Veritas æterna, dixeris,* Mandata mea *gravia non sunt? Verè leve est onus tuum, & jugum tuum suave, maximè si annos æternos in mente habeam. O æternitas, æternitas!*

Æternitas. *æternitas quàm rara es in mentibus hominum! quarum alterutra felicissima, vel miserrima fortè hodie mihi obtingat: nescio enim quâ horâ venturus sis, & amore an odio dignus sim nescio. O quid non, cùm in morte judex adveneris, pro æternitate fecisse vellem. Quid tum proderunt deliciæ, superbia, divitiarũ jactantia, & hominum favores à te summo judice frustrà judicando? Et cui unquam profuerunt, aut quem satiarunt:*

Sap. 5. *Contemptus rerum terrenarum.* *Exercitium virtutum cardinaliũ.* Iob. 2. 1 Cor. 10. *Oblatio sui.* *Suscipe, quæso, Domine, propositum hoc meum, quo tibi hodie servire firmiter statuo, præcepta tua & Ecclesiæ servare, cuiq; suum tribuere, uti temperanter donis tuis, omnia adversa & prosperа suscipere de manu tuâ, omnia ad tuam unius gloriam facere. Offero tibi cor, corpus & animam meam, oculos & manus, quas numquam ad illicita convertam; aures, quas numquam detrahentibus aut stultiloquio præbebo. Linguam, quâ nihil, nisi tibi placitum loquar; sed semper laus tua erit in ore meo. Denique me totum offero majestati tuæ; fac de me secundum beneplacitum tuum: servus enim tuus sum ego, & opus manuum tuarum, ac desidero uni tibi placere, idq; protestor hodie coram te, Deus meus, B. Virgine* MARIA, *& cælesti curiâ tuâ, quam suppliciter invoco in auxilium meum. Da mihi, Domine,* IESU *Christe, per vulnera tua, & per mortem tuam, & merita Sanctorum tuorum, gratiam, sine qua nil possum, ut hæc proposita mea fortiter exequar: tu enim sola spes mea, tu gaudium, & gloria mea, tu quies & finis meus, in quo solo conquiescere valeo & volo, O Deus meus, ô omne & unicum bonum meum! Amen.*

Psalm. 33. Ephes. 1. Isaiæ 64. *Sanctorum patrocinii.* *Obtestatio cum diffidentia sui.* Psalm 141. Psalm 3. August.

Praxis audiendi Sacrum.

Quid cogitandum, dum itur. EUndo, cogita te velut ad montem Calvariæ, ire; & quid ibi visurus sis, quantâque devotione debeas adesse. Et intrando locum, asperge te aquâ lustrali, & contritionem excita. Tum, Primò, adora Deum, Fidei, Spei & Charitatis actu, & intentionem

nem renova, dicendo Credo Domine, & in tespero, ac toto corde te diligo. Secundò, considera dignitatem sacrificii. Tertiò propone reverenter assistere: quæ omnia, jam sequenti orationcula continentur.

Credo tibi, Rex regum, qui ex amore summo verè carnem & sanguinem nobis tuum dedisti. & sub his speciebus, ut perpetuò nobiscum esses, mirabiliter esse voluisti, & infinitis figuris ac miraculis hoc declarasti. Cupio igitur interesse huic memoriali passionis & sapientiæ, & potentiæ, & bonitatis tuæ, attentè, & omni, quâ possum, devotione, cum Angelis tuis, & tota curia tua, ad gloriam tuam & ad salutem & auxilium meum, ad Ecclesiæ utilitatem & omnium, qui se mihi commendarunt N. & defunctorum N. solatium. Da mihi ad hæc gratiam, ô unica virtus mea, Amen. Præparatio ad Sacrum audiendũ.

Dum Sacerdos parat necessaria sacrificio, antequam incipiat, cogita Angelos adventantes, ut honorent sacrificium, & confundere de tepore tuo.

Ad *Confiteor*: percurre breviter peccata, contritionem excita, & innova propositum emendandi. In ceteris, attende ad verba, si ea intelligas: aut rosarium, aut aliud lege. *Contritio ad Confiteor.*

In offertorio: cogita quæ agenda habeas illo die, & ea offer ac sancta desideria tua recole, pristinaque proposita; omniaque unicum meritis Christi IESV. *In offertorio quid.*

Ad *sursum corda*: attende ad Passionem Christi. Est enim memoriale illius. Et in utroque *memento*, ora pro iis omnibus, quibus oportet, collocando eos in partibus crucis.

Ad elevationem: considera Christum in cruce, & adora, deinde cogita, quæ adversa accidere possent: & ad ea te resigna. Considera post hæc beneficia Dei, & ad spiritualem communionem te præpara, rogando Dominum, ut ad te veniat, animam purget ab his N. & illis N. defectibus, eamque virutibus exornet: denique, quasi cum sacerdote desiderio ardenti communica. *Ad elevationem te resigna. Præparatio ad Communionem spiritualem.*

Post communionem: gratias age, & gratulare Deo de perfectionibus divinis. Iterum renova vota, & proposita; ac iterum agenda Deo offer, & in particulari ad mortificationem illius, circa quod examine particulari versaris.

Dignatus es, ut sup. pag. 10.

Oratio pro Communione spirituali.

ECce adsto pauper & inops ad mensam magni Regis, & amantissimi Patris mei, tuam Christe JESV: *& credo tibi, ô æterna Veritas, quòd verè è summo cælorum ad verbum sacerdotis,* Fidei actus.

Contritionis. Matth. 8.

tis, ut me visites, venire dignatus es; verumtamen, conscius infirmitatis meæ, & peccatorum meorum, de quibus propter te vehementer doleo, non audeo sacramentaliter suscipere te, sed dico ex amore tui cum Centurione, cujus servum absens uti alios plurimos sanasti: Domine, non sum dignus; ut intres sub tectum meum; sed per os Sacerdotis, veni Amantissime JESV *in animam meam. Munda, quæso, illam à malis ejus & imperfectionibus N. & orna bonis & virtutibus N. pasce corpore & sanguine tuo ut ex nunc in æternum vivam tibi.*

Sine, ô bonitas, sine ut catellus comedat de mensâ Domini sui, & reple me tuâ benedictione, ut potes, & sæpè soles, etiam tantò, quantò si sacramentaliter quis te susciperet. Omnino ita fiat, quoniam bonus es, & quod non deseres me, & nihil me separabit à te hodie, nec ullo momento vitæ meæ in æternum. Nonne enim vidi te & cognovi charitatem tuam inæstimabilem, immensam pietatem? verè, nisi glacies ac lapis sim, fera & non homo, non potero per gratiam tuam oblivisci illius, sed in te vivam, & tu in me in æternum. Tu mihi eris semper spes mea, gaudium meum, jucunditas mea, fiducia mea, divitiæ meæ, dilectio mea, quies mea, tranquillitas mea, dulcedo mea, suauitas mea, cibus meus, refectio mea, tutela mea, sustentatio mea, exspectatio mea, refugium meum, auxilium meum, refrigerium meum, patientia mea, protectio mea, responsio mea, locutio mea, meditatio mea, operatio mea. thesaurus meus, in quo solo fixa & firma, & immobiliter radicata sit semper mens mea, & cor meum, Amen.

Bonav. l. 1. Stimuli.

Praxis alia pro Sacro.

ALIA Praxis erit, considerare sacerdotem ut Christi personam repræsentantem; Primò, tonsurâ, scilicet illius coronam; Secundò, amictu, velamẽ oculorum Christi; Tertiò, albi illusoriam vestem Herodis; Quartò, cingulo, vincula ejus; Quinto; manipulo vincula manuum: Sextò, stolâ, funes quibus tractus fuit; Septimò casulâ, vestem purpuream; Octavò, cruce in pectore ac humeris, Christi crucem; Nonò, calice, dolores passionis; Decimò, corporali, sindonem quâ involutus fuit Dominus.

Alia praxis constans memoria Passionis Dom.

Alia, considerare Missæ cerimonias, eisque vitæ & passionis Christi memoriam renouare. Tu itaque, si libet, Primò, cum sacerdote, priusquam ab altari descendat, fidem ac puram intentionem

tionem exerce; deinde ipso stante ad pedem altaris repræsenta tibi Christum orantem in monte Oliveti, sanguinemque sudantem pro peccatis tuis, ac de iis conterere. Deinde ad osculum altaris, memora osculum Judæ: ad introitum, quod in domo Annæ passus est IESVS: dum itur ad medium altaris, deductionem ad Caipham: ad *Kyrie eleison* negationis Petri: ad collectam, accusationes: ad Epistolam, concilium in domo Caiphæ, & Christi condemnationem: ad Euangelium quod in Septemtrione legitur, deductionem ad Pilatum gentilem, ejusque interrogationes: ad *Credo*, populi clamores: ad *Dominus vobiscum*, Pilatum ad populum loquentem: dum aqua & vinum petitur & offertur, te tuaque omnia Deo offer, ac cogita missionem ad Herodem & reditum ab eo: ad lotionem manuum, coram Pilato accusationem: ad *Orate Fratres*, & secretas orationes, Barabbæ postulationem: ad præfationem & Canonem, recordare Iudaicarum vocum, *Tolle, tolle, crucifige eum*, & flagellationis & coronationis Domini tui: ad elevationem, quomodo Pilatus ostenderit eum populo: ad cruces aliquot, & cùm silentio orat Sacerdos, bajulationem crucis, & crucifixionem intuere: ad *Omnis honor*, crucis elevationem: ad *Pater noster*, ejusque septem petitiones septem verba Christi commemora: ad *Pax Domini*, &c. mortem IESV: ad *Agnus Dei*, militum confessionem: ad *Domine non sum dignus*, apertionem lateris, & depositionem de cruce: ad communionem, sepulturam: per primum *Dominus vobiscum*, post eam, significatur resurrectio & apparitiones ac documenta: per *Ite Missa est*, ascensio Christi: per benedictionem, missio S. Spiritus, per Euangelium S. Ioannis, prædicatio Apostolorum hæc commemorans pro singulis gratias age & dic: Credo tibi, & in te spero & te toto corde diligo, Deus meus & omnia.

Finitâ Missâ si communicare velis, rursum contritionem excita ad *Confiteor*, ante communionis distributionem; fidem item, spem & charitatem, quarum actus, ut dixi, toto decursu passionis exercere diligenter ac discretè potes. In communione, affectibus amoris & resignationis insta, Christumque animæ ulnis complectere, ac propone seriam vitæ emendationem, coram ipso & curiâ illius universâ.

Alii dividunt vitam Domini in tres partes, & gratiosam memorant usque ad Canonem, pœnosam ejusque passionem usque ad communionem, gloriosam ab eâ usque ad finem. Quisque id sequi poterit, quod spiritus cum unctio docebit.

Hoc autem modo; ad confessionem memento lapsus Adami, tuaque peccata detestare: ad altaris osculum, Incarnationis Christi: ad introitum & *Kyrie eleyson*, desiderii SS. Patrum:

ad *Gloria*, considera Christum natum: ad *Dominus vobiscum*, Magorum adorationem: ad Euangelium & Symbolum, Christi prædicationem: ad *Dominus vobiscum*, miracula Christi: ad *Offertorium*, Christi oblationem; & tu te pariter offer: ad *Orate fratres*, quomodo mortē suam aperuerit discipulis: ad præfationem, ingressum in Ierusalem: ad Canonem, orationem in horto, tormenta, & bajulationem crucis: ad elevationem Hostiæ, Christi crucis exaltationem: ad calicem, effusionem sanguinis: depositio Hostiæ, & calicis, depositionem de cruce notat: *memento*, descensum in limbum. hic pro mortuis ora, & velut moriturus proposita renova: ad *Pater noster*, considera dolorem & orationem B. Virginis stantis juxta crucem: ad *Agnus Dei*, communionem, Christi sepulturam: ad cætera, resurrectionis apparitiones: atque ad extremam benedictionem, ascensionem. Post singula gratias age, & dic Credo tibi, & in te spero, & toto corde te diligo Deus meus & omnia.

Dignatus es, ut supr. pag. 10.

JACVLATORIÆ.

Deut. 4. *NOn est alia natio tam grandis, quæ habeat Deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris.*

Psalm. 100. *Memoriam fecit mirabilium suorum, misericors & miserator Dominus; escam dedit timentibus se.*

Isaiæ 66. *Quis audivit umquam tale, & quis vidit huic simile?*

Ecclesia. *O sacrum convivium, in quo Christus sumitur, recolitur memoria passionis ejus, mens impletur gratia, & futuræ gloriæ nobis pignus datur!*

Zach. 9. *Quid est bonum ejus, & quid pulcrum ejus, nisi frumentum electorum, & vinum germinans virgines?*

CAPVT X.

Peregrinatio cum Christo patiente, sive exercitium de Passione Domini: quo ad amoris affectum homo disponitur.

Psalm. 100. ANIMA. O benignissime IESV, Salvator mi, & desiderium animæ meæ! O qualem mihi memoriam fecisti mirabilium tuorum, misericors & miserator Domine, amoris inquam & charitatis tuæ immensæ & ineffabilis erga me! O quàm mirabilis facta est scientia tua ex me! Confortata est, & non potero ad eam.

Psalm. 138.

Abacuc. 3.

eam. Audivi, ecce, Domine, auditum tuum, & timui; & consideravi opera tua hæc, & expavi: mirabilia, inquam, opera tua, & anima mea cognoscet nimis; mirabilia prodigia quæ posuisti super terram, mirabilia testimonia tua, testimonia magnitudinis amoris tui. ideò desiderat hæc scrutari anima mea. Scrutetur alius mirabilia majestatis tuæ, & videat ne opprimatur à gloriâ, mihi verò da, ut affectu magno scruter & amplectar opprobria & dolores tuos, neque enim cupio quicquam scire nisi IESVM meum, & hunc crucifixum, aut in me fieri quàm beneplacitum tuum. *Psalm. 45.*

CHRISTVS. Pone me, fili mi, ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum, & recordare paupertatis meæ, absinthii & fellis, & laborum & dolorum quos suscepi infinitâ charitate, velut pro te solo. *Thren. 3.*

ANIMA. Pro me, tu Deus meus, Deus meus! Credo Domine, & in te spero, & toto corde te diligo. Adhæreat lingua mea faucibus meis, si non meminero tui, & charitatis tuæ quam sic commendasti nobis. O quàm fortis est ut mors dilectio tua, quàm dura sicut infernus æmulatio! Lampades ejus lampades ignis atque flammarum. aquæ multæ tribulationum non potuerunt tuam, ô IESV, extinguere erga me charitatem, nec flumina peccatorum meorum obruent illam. & poterítne fieri ut aliquando tui me capiat oblivio, qui in splendoribus Sanctorum in gloriâ tuâ æternâ recordatus es nominis mei, cùm mei ipse immemor essem, & vocasti me nomine meo, tu qui es spes mea, salus mea, & vita mea? *Aspira*, ut sup. pag. 7. *Hæc ine firmâ fide*, ibid. *Cant. 8.*

Videte, & audite omnes, & enarrabo vobis qui timetis Deum, quanta fecerit animæ meæ: venite & audite opera Domini, quæ posuit prodigia super terram. Surgam, & circuibo civitatem, per vicos & plateas, & legam vestigia pedum tuorum: & deosculabor, & quoad potero lacrymis meis rigabo, & complectar te deside- *Psalm. 65.* *Psalm. 46.* *Cant. 3.*

desiderium collium æternorum. Ecce à summo cælo est egressio tua, ut me ovem perditam quæreres, & occursus meus erit usque ad summum ejus; sequar te quocunque ieris, cùm mihi dignatus fueris dicere mihi tu infinitâ misericordiâ tuâ, Veni, & sequere me.

Hæccine vera, ut sup. pag. 7.

De institutione Ven. Eucharistiæ.

Cant. 2. CHRISTVS. Surge, propera, amica mea, speciosa mea, & veni, columba mea in foraminibus petræ, in *Ierem. 14.* cavernâ maceriæ, vide ut dereliquerim pro te domum Patris mei, & factus sim pro te sicut colonus in terra, & viator declinans ad manendum.

ANIMA. O utinam, ô utinam magnificasses, Domine, facere nobiscum Pastor animarum nostrarum, & non derelinqueres nos in hâc vastâ solitudine.

Ioan. 14. CHRISTVS. Non vos reliqui orphanos: dixi vobis, *Matth. 28.* Vado & venio ad vos; & ecce ego vobiscum esse volui in Eucharistiâ usque ad consummationem sæculi. Omnique triennio toto ego Vnigenitus in sinu Patris exstitissem abscondita à constitutione mundi, cùm pertransissem bene faciendo, & sanando omnes, potens *Matth. 13.* opere & sermone, & viderem tempus esse ut revertorem ad Patrem; tibi dedi corpus & sanguinem in cibum & potum, ut epulareris in conspectu meo semper & memoriale esset tibi mortis & passionis meæ, immò ut mecum essem omnibus diebus. *Hic fidei affectui vel amori indulge*, vel dic *Credo tibi*, ut sup. pag. 7.

Psalm. 25. ANIMA. O qualem posuisti in conspectu meo mensam adversus eos qui tribulant me!

Psalm. 77. CHRISTVS. Et hanc paravi, & feci convivium pinguium, convivium vindemiæ omnibus populis, & panem cæli dedi, & panem Angelorum, cùm dixerunt *Isaiæ 25.* inimici mei, & qui custodiebant animam meam, consilium fecerunt in vnum, dicentes, Deus dereliquit eum, *Psalm. 70.* persequimini & comprehendite eum: cùm moreretur

mihi pararent, ego arborem vitæ illis & tibi nominatim dedi. Credis hoc? & cùm venissem, ô filia Sion, Rex tuus tibi justus & Salvator, ipse pauper, & ascendens super asinam & pullum filium asinæ, dixisti, Venite (ut fratres Ioseph) venite, occidamus eum. Ecce ut filios enutrivi carne & sanguine meo, ipsi autem spreverunt me: ego verò iis dixi, Venite jam, & comedite panem meum, & bibite vinum quod miscui vobis: & vivite, & quare moriemini domus Israël?

Zachar. 9.

Cant. 5.

Hæc meditatio est tractim legēda.

Hæccine vera, ut sup. pag. 7.

Anima. *Obstupescite cæli super hoc, & portæ ejus consolamini vehementer. Confitemini Domino, quoniā bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus. Dicat nunc Israël, quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus. Dicite Deo quàm terribilia sunt opera tua, Domine, in multitudine virtutis tuæ mentientur tibi inimici tui. O verè misericors & miserator Dominus, patiens, & multùm misericors, Suavis Dominus universis, & miserationis tuæ supra omnia opera tua. Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat, & humilia respicit in cælo & in terrâ? Confitebor tibi, Domine, quia terribiliter magnificatus es, & mirabiliter ex immensâ charitate minoratus es propter me. Mirabilia opera tua, & anima mea cognoscet nimis. Credo, Domine, credo, adjuva incredulitatem meam: certè testimonia tua incredibilia facta sunt nimis propter immensam charitatem tuam, propter hanc enim fecisti hæc omnia pro me, velut si solus essem, & indignissima pati dignatus es. Non est alia natio tam grandis, quæ habeat deos appropinquantes sibi, sicut tu Deus ades cunctis obsecrationibus nostris. Multa enim fecisti tu, Domine, mirabilia tua, & cogitationibus tuis non est qui similis sit tibi.*

Admiratio.

Ierem. 2.

Psalm. 117.

Laus, & gratiarum actio.

Psalm. 114.

Psalm. 111.

Psalm. 138.

Actus fidei.

Deut. 4.

Psalm. 39.

Propter hoc lætatum est cor meum, & exultavit lingua mea, & caro mea requiescet in spe, quoniam in te eripiar à tentatione hâc vel illâ N. & in Deo meo transgrediar murum imperfectionum N. & tribulationum mearum. Prosequar inimicos meos, & comprehendam illos, & non convertar donec deficiant, quia tu es misericordia mea, & refugium meum, susceptor meus,

Actus spei.

Psalm. 25.

Psalm. 17.

Ibidem.

Psalm. 143.

Actus Charitatis. *meus, & liberator meus. Tuus, tuus sum ego, opus manuum tuarum, tanto precio sanguinis tui emptus & redemptus. cujus erga esse potero, amantissime* IESV, *nisi tuus? tu es enim fortitudo mea, & firmamentum meum, & refugium unicum meum: tu diligo ex toto corde meo, & ex totâ animâ meâ, atque ex toti viribus meis. O quàm bonus Israël Deus his, qui recto sunt corde! Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ, quam abscondisti timentibus & diligentibus te! Potes hic affectum amoris prosequi.*

Psalm. 72.
Psalm. 30.

Isaiæ 5. CHRISTVS. *Nunc ergo habitatores Ierusalem, & viri Iuda judicate inter me & vineam meam, quid est quod ultrà debui facere vineæ meæ, & non feci? & quid tibi debui facere, & non feci?*

Psalm. 4. ANIMA. *Nihil, Domine, sed secundùm nomen tuum, Deus, sic & laus tua in fines terræ, justitiâ plena est dextera tua, quam magnificata sunt opera tua, Domine! nimis profundæ factæ sunt cogitationes tuæ. Verè melior est misericordia tua super vita, labia mea laudabunt te, sic benedicant te in vitâ meâ, & in nomine tuo levabo manus meas: ecce enim juravi, & statui custodire judicia justitiæ tuæ. Tuus enim sum ego, tuus sum ego, salvum me fac, quoniam mandata tua exquisivi. Fac de me secundum divinum beneplacitum tuum in tempore & in æternitate, paratum cor meum, Deus, paratum cor meum, etiam animam meam ponere pro te per gratiam tuam & pro fratribus meis, & tecum opprobrium & miseriam exspectare & amplecti: ut agnoscant omnes & diligant te, & audiant vocem tuam, ô Pastor bone, qui animam tuam posuisti pro ovibus tuis, & peccatoribus, quorum primus ego sum. Erravi enim sicut ovis quæ perit: sed quæsisti servum tuum, & portasti sic in humeris tuis, & quomodo unquam oblivisci potero tanti amoris: & dignationis tuæ? Quomodo tu illius erga me oblivisci poteris? & despicere & projicere me à facie tuâ? In te Domine speravi, non confundar in æternum. Amen.*

Psalm. 91.

Actus Resignationis.

Actus zeli.

Psalm. 116.

De Oratione Christi in horto.

ANIMA. Egrediar nunc, ibi plorans & silentio comitabor IESVM in hortum olivarum, quia misericordia Domini plena est terra: quid dico hortum olivarum? in montem myrrhæ & collem thuris.

CHRISTVS. Sic quidem fuit mihi, sed messui myrrham meam cum aromatibus meis, & torcular calcavi solus & expressi misericordiam tibi in justitia mea; cor meum conturbatum fuit in me, & formido mortis cecidit super me; repleta est malis anima mea; & vita mea inferno appropinquavit. Oravi itaque ad Patrem pronus in terrâ, & humiliavi animam meam pro eo, quòd se homo exaltârat, & dixi tactus dolore intrinsecus, Pater, si fieri potest, transeat à me calix iste; verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu. Sustinui verò tunc qui simul contristaretur, & non fuit, qui consolaretur, & non inveni: nec poterant Discipuli vel unâ horâ vigilare mecum. lacrymæ meæ erant in maxillis meis, & super unoquoque, ut in Ioseph figuratum fuerat, solus ploravi super interfectos populi mei, & super te N. nominatim, quia fera pessima devoraverat te fili mi, & inhiabat infernus aperiens os suum ex tunc, uti & modo ut absorberet te æternùm. *Credo Domine, & in te spero, & toto corde te diligo.*

Cant.5.
Psalm.34.
Psalm.87.
Matth.26.
Psalm.68.
Gen.37.

Hæccine vera, ut sup. p. 7. vel *Fidem exerce.*

ANIMA. Verè languores nostros tulisti, bone IESV, & dolores nostros portasti, ô Redemptor animarum nostrarum. Accedam igitur cum fiducia ad thronum gratiæ, ut misericordiam consequar & inveniam gratiam in oculis tuis. O quàm amarum calicem, quam amarum cujus fæx non est exinanita, tibi propinârunt peccata nostra!

CHRISTVS. Et ego tamen cum utrâque manu accepi de manu Patris mei, & desiderio desideravi bibere illum ut solarer te & sanarem, atque eum haberem ego

verus

verus Salomon, & pacificus Rex sapientiam multam nimis, & latitudinem cordis, quasi arenam quæ est in littore maris; omnem arenam, id est peccata mundi, in corde meo & dolore meo expiavi, & ideò sicut aqua effusus sum, & dispersa sunt omnia ossa mea, & factum est cor meum tanquam cera liquescens in medio ventris mei, aruit tanquam testa virtus mea.

3. Reg. 4.

Offer te Deo uti IESVS.

Psalm. 22.

Contemplare IESVM *orantem.*

ANIMA. O gaudium Angelorum! ô abyssus dolorum! & potest fieri, ut dicas adhuc, delicias tibi esse cum filiis hominum, qui tales contra te scripserunt amaritudines? Video madere terram, quæ maledicta fuerat cùm esset primus Adam in horto voluptatis, & rubere video sanguine unigeniti filii Dei in horto olivarum & doloris. Hic perge in amoris affectu & gratitudinis & compassionis.

CHRISTVS. Terra, ne operias sanguinem meum, sed mi Pater vox sanguinis mei clamet ad te. Pater misericordiarum, de terrâ pro ovibus meis, & pro hoc N. qui hæc legit, pro quo te cum lacrymis oravi, & exauditus sum scio pro reverentiâ meâ, ac consolatus me es per Angelum tuum, cujus solatium minoratus non respui, ut docerem te, fili mi vias meas, vias humilitatis, patientiæ & charitatis. Post hæc verò, ut cognosceret mundus, quia diligo Patrem, & sicut mandatum dederat mihi Pater, sic facerem, dixi discipulis, Surgite, eamus hinc; & exultavi ut gigas ad currendam viam, ac Iudæ osculum alteri Achitophel non negavi: & postquam Malcho persecutori aurem ac cæteris quasi exanimatis verbo vitam reddidissem, spectantibus infinitis propè Angelorum legionibus tradidi pro te ex infinitâ charitate in mortem animam meam; & homo pacis meæ, qui edebat panes meos, magnificavit super me supplantationem.

Patientia IESV.

Psalm. 18.

Psalm. 40.

ANIMA. Et ego non me tradam tibi, cujus tot nominibus totus, totus sum? an resistam ultra tibi, & oculo tradam te concupiscentiis meis hostibus, tuis & meis

meis, tantâ benignitate & beneficijs præventus! O ardentissima charitas! ô quàm suaviter uris! quàm fortiter trahis nos in funiculis Adæ & charitatis! *Obstupescite*, &c. ut suprà. Compassionem, contritionem hîc perge si voles exercere aut Amorem. *Osea 11.*

De Christi ad Annam deductione.

Anima. Iam verò quò te clementissime Iesv duxerunt & reduxerunt peccata mea Messiam suum, expectationem; & Regem sæculorum, desiderium collium æternorum, te Principem pacis, Pontificem innocentem, sanctum & impollutum Agnum absque macula? Quo te duxerunt vel traxerunt potius?

Christvs. Ad Annam primùm, atque ibi steti velut reus, Deus tuus, & Dominus & Pater tuus, ut tu ab æternis supplicijs liberareris: steti, ut sedere possis cum principibus populi mei: & dedi percutienti me maxillam, & saturatus sum opprobrijs, ut satiareris cùm apparebit tibi gloria mea, & inebriareris ab ubertate domus meæ. *Adspira*, ut sup. p. 8. *Hæccine firmâ*, &c. *O quàm benignus est IESVS.* *Thren. 5.*

Anima. O agne mitissime, jam scimus cujus spiritus esse debeamus. Elias Propheta tuus ignem de cælo descendere fecit, ut perderet adversarios suos: quod etiam Discipuli tui anteà fieri justum putarunt: sed necdum perfectè à te didicerant, mites esse, & humiles corde. O quàm suavis est, Domine, spiritus tuus! non reddit pro bono malum, sed vincit in bono malum; sapientiam non vincit malitia. In te Deo meo salutare meum, & gloria mea, Deus auxilii mei, & spes mea in Deo est. *4 Reg. 1.* *Mansuetudo. IESV. Matth. 11.* *Psalm. 61.*

Christvs. Disce igitur, fili, cùm sis pulvis & cinis non verbo moveri, non maledicere cùm malediceris, cùm pateris non comminari, quando opprobrium optavit & exspectavit cor meum & miseriam. Quid retribues mihi pro his qui vix moneri potes, qui me, id est, præcepta majorum ac mea, trahis ad judices, & *Humilitatē Christus nobis commendat.*

examinas ad mundi leges, & tribunalia propriæ existimationis? Poteram verbo ulcisci, & delere ob hoc fi-
Num.16. cinus universum orbem: vel, sicut Moyses, efficere ut
4.Reg 2. terra dehisceret; vel, sicut Elizæus, ut omnes discerperentur; sed ego cum gaudio sustinui amore tui, meque Deo Patri meo insuper ad omnia tormenta obtuli; ac desiderio desideravi indui confusione sicut diploide, & túne, fili mi, velles ultrà honorificè tractari, haberi, amari, privilegia vendicare.

Isaiæ 53. ANIMA. Omnes nos quasi oves erravimus, & unusquisque in viam suam declinavit, & posuit in te Dominus iniquitatem omnium nostrûm, servorum infidelium in filium, in quo sibi benè complacuit. Compassionis, Amoris, & Gratitudinis affectum prosequere. *Obstupescite*, &c.

De CHRISTI *apud Caipham accusatione, & illusione.*

ANIMA. Video, video, & exitus aquarum deduxerunt oculi mei, etenim rursus tractum an ductum accerno, ab Anna ad Caipham Principem Sacerdotum, an forsitan, quia habebat legem, quia prophetavit? ut Pontifex anni illius benigniùs exciperet te Salvatorem meum?

CHRISTVS. Immò ipsi cum majoribus circumdederunt me sicut apes, exarserunt sicut ignis in spinis, &
3.Reg. 21. velut olim Naboth falsi testes, ita me circumvenerunt.
Ps. 108. Os peccatoris, & os dolosi super me apertum est; locuti sunt adversum me linguâ dolosâ, & sermonibus odij
Psal.37. circumdederunt me. Ego verò factus sum tamquam homo non audiens, & non habens in ore suo redargutiones.

ANIMA. Vbi sumus nos filij Adæ, tam prompti ad declinandum os nostrum in verba malitiæ, ad excusandas excusationes in peccatis, ut decipiamus ipsi de vanitate in idipsum? Nihilne, Domine, excusasti? nihil utique;

tique; quia te accusabant peccata mea. Eheu! quàm verè prædixit Propheta tuus, Ego redemi eos, & ipsi locuti sunt contra me mendacia! *Credo tibi*, ut sup. pag. 7. *Osea 7.*

Christus. Immò verò qui tenebant me, expuerunt in faciem meam, & velaverunt eam. *Matt 26. Luc 22.*

Anima. In tuam faciem, in quam desiderant Angeli prospicere, quam exquirunt omnes animæ sponsæ tuæ, quam ubi ostenderis mihi, beata & salva ero. Audio enim dicentem: Ostende faciem tuam, & salvi erimus. *1. Pet. 1. Ps. 79.*

Christus. Alij autem mihi Regi immortali coram curia mea assistente & spectante palmas dederunt, & ut Sampsoni Philistiim mihi illusère. Ego verò corpus meum dedi percutientibus, neque faciem meam averti ab increpantibus & cõspuentibus in me, ut tu me imitareris & amares: & hoc negare mihi poteris, fili mi? *Resignationem exerce*, ut sup. & *Amorem*. Posthæc falsas attulerunt accusationes multas, & cùm defecissent scrutantes scrutinio, clamaverunt, Reus est mortis. Et hæc fuit mihi merces laborum meorũ, qui veneram è throno regni mei, ex ardentissimo amore ut vitam haberẽt, & abundantiùs haberent oves quæ perierant domus Israël, & tu viveres & sincerè amares me. *Iud. 16. Isaia 50.*

Anima. Hæccine vera sunt, Deus meus, Christe Jesu? eheu, eheu! laboravi in gemitu meo, lavabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo. O Domine, ante te est omne desiderium meum, & gemitus meus non est, non est à te absconditus. Utinam te numquam offendissem! utinam toto corde amassem te, qui sic me dilexisti! O quàm video meritò, meritò exclamavit Propheta tuus, Domine Iesu: Quis credidit auditui nostro? & brachium Domini cui revelatũ est? non est species tibi, neque decor: vidimus eum, & non erat adspectus, & desideravimus eum despectũ & novissimum virorum, virum dolorum, & scientẽ infirmitatem; & nos putavimus eũ quasi leprosum, & percussũ à Deo, & humiliatum. Tu autem vul- *Ps. 68. Ps. 37. Isaia 53.*

neratus es propter iniquitates nostras, & attritus propter scelera nostra: disciplina pacis nostræ super te, & livore tuo sanati sumus. Sed num fortè solatio hîc fuerunt Discipuli, qui parati tecum fuerant in morte ire?

Iob 19. CHRISTVS. Imò abominati sunt me quondam consiliarij mei, & quem maximè diligebam, & cui claves regni mei dederam, ac principatum, aversatus est me; *Luc. 9.* inquilini domus meæ sicut alienum habuerunt me, & quasi peregrinus fui in oculis eorum. Et tu post hæc erubesces etiam te profiteri Christianum; & pudebit *Thren. 5.* non esse cum impudente impudentem?

ANIMA. Verè repletus es amaritudinibus, & inebriatus es absinthio, *Compassionem & gratitudinem exerce*, vel dic: *Obstupescite*, &c.

De Christi apud Pilatum accusatione.

CHRISTVS. His omnibus satiari non poterat improbitas, sed adducunt me à Caiphâ in prætorium, & *Ps. 63.* mox apud Pilatum exacuerunt ut gladium linguas *Ps. 108.* suas, locuti sunt adversùm me linguâ dolosâ, & sermonibus odij circumdederunt me, & expugnaverunt *Ps. 37.* me gratis. Ego autem tamquam surdus non audiebam, & sicut mutus non aperiens os suum, atque inde *Thren. 3.* ad Herodem missus sum, & factus sum in derisum omni populo, canticum eorum totâ die.

Act. 10. ANIMA. Et nónne pertransisti, ô IESV, ô bonitas infinita; benefaciendo & sanando omnes? nónne tibi *Marci 7.* clamatum scio: Omnia benè fecit, cæcos fecit videre, *Genes. 27.* & mutos loqui? In quo ergo accusare te poterant? Me, Domine mi, me accusabant in te, tu innocens Iacob es, sed manus, manus sunt Esau: posuit Pater in te iniquitates omnium nostrum: & ideò tanquam agnus non aperis os tuum, & indutus es sicut diploide confusione meâ. O Domine, quid retribuam tibi? *Ierem. 27.* doleo super te, doleo amantissime IESV.

IESVS. Stabam ego coram Præside, ego stabam, sedebat ille: interrogabat, ego verò placidè respondebam.

bam. Clamabant illi ad quos veneram: invenimus hunc subvertentem gentem nostram, & prohibentem tributa dare Cæsari.

Anima. Hæccíne sequuntur acclamationes illas: Benedictus qui venit in nomine Domini? sic te Dominum & Creatorem mundi, mundus honorat, & ego ab eo meliora sperabo? Dicebas Pilato superbè interroganti, an Rex esses. Regnum meum non est de hoc mundo, tamen te in hoc natum, & cùm omnis qui est in veritate audiat vocem tuam, absit ut ego te non audiam, absit, ut velim de hoc mundo esse regnum meũ, aut quicquam ex eo concupiscam. Abrenuntio carni, mundo & diabolo, & adhæreo tibi, innocentissime Agne, quem cùm video tacere, etsi olim pro Magdalenâ & adulterâ loquerere, non declinabo ultra os meum in verba malitiæ ad excusandas excusationes in peccatis. *Contritionem vel Compassionem excita*, ut sup. Ps. 140.

De illusione apud Herodem.

Iesvs. Cùm autem perstarent Sacerdotes accusantes me, & dicentes: Commovit populum incipiens à Galilæa, ut Herodi gratum fieret, missus sum vinctus & illusus ad illum concursu magno, insultatione & exprobratione summâ.

Anima. Hæccine pro me passus, & toties illusus? commovisti tu populum, princeps pacis? ita commovisti terram mentis meæ, & conturbasti eam, sana, obsecro, mi bone Iesv, contritiones ejus, quia commota est. O quàm admirabile est nomen tuum in universâ terrâ! ô quanta mutatio dexteræ excelsi! quando tu dignaris commovere cor nostrum. Sed quid Herodes, te viso, quod toties optârat, ô Sapientia æterna.

Iesvs. Sperabat ille à me signum videre, sed silẽtio damnavi curiositatem ejus, & mundi Principibus non adulandum esse, docui te exemplo meo. Ille verò mihi

illusit cum exercitu, & remisit ad Pilatum indutum veste albâ.

HOMO. O quàm diversum est judicium mundi, & tuum! Quid, bone, IESV, elegisti in hoc mundo, ô æterna Sapientia? an gloriam? nequaquam, sed ignominiam. Samaritanus, dæmonium habens, vorax, & potator vini habitus fuisti: Quis mihi tribuat etiam eligam contumeliam pati & despici pro te, & lavem ita stolam meam in sanguine tuo ut simplicitate mundo quidem despectus sim, sed à te dilectus, & conformis imagini tuæ. Obstupeo, obstupeo, ô Redemptor mi, in quo thesauri sapientiæ & scientiæ reconditi erant; tûne siles in hac caussa coram Rege & aula ejus, & pateris stultum te haberi? & homo de scientia inflatur? Idcirco ego plorans, & oculus meus deducens aquas. Vide, Domine, & considera, quoniam factus sum vilis, non refrænans linguam meam, & quærens sæpè gloriam meam. Nónne magna mea gloria sequi te Domine mi, regem meum? Vide, Domine, afflictionem meam, quoniam erectus est inimicus meus.

Matth. 11.
Apoc. 22.
Rom. 8.
Coloss. 2.

CHRISTVS. Obmutui, & filui etiam à bonis; quando adstiterunt Reges adversum me, & principes convenerunt in unum: quæsivi qui simul contristaretur, & non fuit; consolantem me quæsivi, & non inveni, tûne me, fili mi, solari cupis, & me imitari? *Amoris hic excita & imitationis desiderium.* ut sup. *Obstupescite*, &c.

Psal. 2.
Ps. 68.

De reditu CHRISTI *ad Pilatum, & flagellatione & coronatione.*

ANIMA. Remissus es, Domine, ab Herode ad Pilatum, & convenerunt rursum omnes inimici tui, Agne mitissime, sitientes velut rabidi canes sanguinẽ tuum: eheu! quas accusationes, quæ attulerunt improperia detacente te amore mei, atque ita auctorem vitæ postposuerunt homicidæ, & Barrabbam postularunt, & factus es, ô Deus, ô Rex Angelorum novissimus virorum.

Nunc

Nunc scio verè, quia maximi sceleris reus ero, si ubi tu te, Deus, humilias, ego homo & vermis, & vapor me exaltavero, si me umquam contemptum, neglectum, præteritum doluero, de ullo questus fuero; éstne enim major servus vilissimus Domino suo?

Christus Ego pro te factus sum sicut vermis, & non homo, opprobrium hominum, & abjectio plebis, nam neque hîc stetit benignitas & charitas mea; sed mox permittente me nudatum flagellârunt coram integrâ cohorte: & à planta pedis usque ad verticem capitis non fuit in me sanitas, & coronarunt me spineâ coronâ, & purpurâ illuserunt mihi: ac spectaculum factus sum omnibus inimicis meis, & toti curiæ cælesti meæ stupenti, & miranti, quod pro te tam indigna tam dura paterer ex immensa mea charitate. *Psal. 21.* *Isaiæ 1.*

Anima. Tu nudus fuisti propter me, bone Iesu, velut alter Noë ebrius amore; tu qui tegis omnia, qui vestis fœnum agri (id est, omnem carnem) quod hodie est, & cras in clibanum mittitur, qui stola gloriæ induis electos tuos, cujus omnes domestici vestiti sunt duplicibus, & quorsum, Domine? nempe ut induar te, Domine, Iesu Christe, & tuis vestimentis, loricâ fidei, galeâ salutis, veste nuptiali, id est, charitate tuâ, & non erubescam te, neque legem tuam in omni vitâ meâ.

Christus. Cùm verò sic rabiem suam in me exeruissent, indutum & illusum purpurâ, ligatum, ac coronatum, sanguine undique coopertum, adductus sum à Pilato foras, qui exclamavit: Ecce homo. illi verò mox ut me aspexerunt, averterunt faciem suam, & crucifixerunt me labiis suis.

Anima. Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum, & plorabo die ac nocte super te, ô Redemptor mi? verè enim populus iste absinthio cibavit te, & potum dedit tibi aquam fellis, & dilataverunt super te os suum. Dixerunt, Euge, euge viderunt oculi nostri. *Psal. 34.*

Cant.3. Egredimini filiæ Sion, & videte Regem vestrum Salomonem in diademate, quo coronavit eum mater sua.

1. Pet.1. Aspicite sponsum, sponsum verè sanguinum; aspicite eum in quem desiderant Angeli prospicere. *Exerce te in compassione & amore.*

CHRISTVS. Totâ die verecundia mea contra me est, & confusio facici meæ cooperuit me, à voce exprobrantis & obloquentis, à facie inimici & persequentis.

Ps.43. Subsannaverunt me subsannatione, & frenduerunt super me dentibus suis.

Ierem.1. O vos omnes, qui transitis per viam, attendite & videte si est dolor similis sicut dolor meus.

Ierem.22 Facta est mihi hereditas mea quasi leo in silva, dedit contra me vocem, & condemnavit me populus meus; dereliquerunt me fontem aquæ vivæ, me vitam suam, & fecerunt fœdus cum morte, & pepigerunt pactum cum inferno, *Obstupescite*, &c.

De bajulatione crucis, & crucifixione.

ANIMA. O IESV, sicut aqua effusus es, & factum est cor tuum tanquam cera liquescens, ô fons aquarum viventium. Iam exhaustum te video doloribus, & vulneratum toto corpore propter iniquitates meas, undique undique fluunt rivi sanguinis tui, quomodo poteris, amantissime IESV, portare crucem longâ ac difficili viâ? tam gravem & longam, & iniquitates omnium nostrûm? verè enim languores nostros tulisti, & dolores nostros ipse portasti.

CHRISTVS. Exulto jam ut gigas ad currendam viam; & baptismo habeo baptizari, & quomodo coarctor donec perficiatur! paratus sum, & non sum turbatus, paratus ut copiosa tibi sit redemptio.

Luca 12. Ps 118. Ps 119. Ps. 106.

Hæccine firmâ fide, ut sup. pag. 8.

Isaia 53. ANIMA. Confiteantur tibi, Domine, misericordiæ tuæ, & mirabilia tua filijs hominum. Quid retribuemus tibi pro omnibus quæ retribuisti nobis? sicut ovis ad occisionem ductus es, & quasi agnus coram tondente se

se obmutuisti, & non aperuisti os tuum. *Compassionem exerce*, ut sup.

Christus. Vide ne aliquando obliviscaris mei Domini Dei tui, qui sic dilexit te, & lavi in sanguine meo.

Anima. Adhæreat lingua mea faucibus meis, si non meminero tui, ô Iesu Redemptor mi, si introiero in tabernaculum domus meæ, si dedero somnum oculis meis donec inveniam te, Domine Deus, donec inveniam locum tibi, & tabernaculum in medio cordis mei. *Ps.136.* *Psal.131.*

Christus. Quære me dum inveniri possum, invoca me dum propè sum: abnega temetipsum, & tolle crucem tuam, & sequere me: qui enim non bajulat crucem suam post me, non potest meus esse discipulus. *Hæccine vera*, ut sup. p. 7. Considera me hîc rursum nudatum in monte Calvariæ, prostratum, crucifixum; vide ut foderunt manus meas, & pedes meos, & dinumeraverunt ossa mea: ipsi verò consideraverunt & inspexerunt me, & deriserunt. Adspice in me, quanta ex charitate offeram me in sacrificium pro te, tu qui scis improperium meum, & confusionem meam, & reverentiam meam. *Luca 14.* *Psal. 21.* *Psal.68.*

Anima. Heu, Domine Iesu, quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum? Quæ sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum? *Ierem.7.* *Zachar.13.*

Christus. His plagatus sum in domo eorum, qui diligebant me, & in anima tua: & cum sceleratis reputatus sum. *Isaiæ 53.*

Anima. O quàm indebita miseratio! quàm gratuita dilectio! quàm inopinata dignatio! quàm stupenda dulcedo! quàm invicta mansuetudo! Regem gloriæ pro despicatissimo vermiculo crucifigi! Quis audivit umquam tale? aut quis vidit huic simile? Vix enim pro justo quis moritur: tu pro inimicis, & injustis mortuus es, eligens exulare à cælis, ut nos reportares ad cælos. Proinde memor ero, quamdiu fuero, laborum & do- *S. Bernard. serm. de quadrupliei debito.*

lorum quos pertulisti in prædicando; fatigationum, in discurrendo; tentationum, in jejunando; vigiliarum, in orando: lacrymarum, in compatiendo. Recordabor dolorum tuorum, convitiorum, sputorum, colaphorum, flagrorum, subsannationum, exprobrationum, clavorum, horumque similium, quæ per te, & super te abundantiùs transierunt. Hæc meditari dixi sapientiam, in his justitiæ mihi perfectionem constitui, plenitudinem scientiæ divitias salutis, & copiam meritorum. Hæc me erigunt in adversis, in prosperis reprimunt, & inter læta tristiaque vitæ hujus præsentis viâ regiâ incedenti, tutum præbent utrobique ducatum; propterea hæc mihi in ore frequenter, in corde semper. Hæc mea sublimior Philosophia, scire IESVM, & hunc crucifixum. Vulnerasti cor meum, Redemptor mi, vulnerasti cor meum, utinam amore tui mori possim, & vivere tibi! Reliquum enim est, ut qui vivunt, non sibi jam vivant, sed tibi, qui pro nobis mortuus es.

Bern. ser. 43 super Cant.

O pedes speciosi euangelizantis pacem! decurristis stadium, & hoc tibi bravium retulerunt peccata mea, Domine Deus meus.

O manus beatissimæ, quas aperuisti semper, bone IESV, ut impleres me & omne animal benedictione! hæccine retribuimus tibi?

O latus preciosum, asylum peccatorum, perfugium afflictorum, delicium Sanctorum! apertum es, ut cælum mihi exuli pateret, apertum es ut columba, quæ non invenit ibi requiescat pes ejus, revertatur per te in arcam salutis. & suavissimam quietem. Nam revera ubi tuta firmaque mihi & omnibus infirmis requies, nisi in vulneribus Salvatoris? Tanto illic securior habito, quanto ille potentior est ad salvandum; fremit mundus, tremit corpus, diabolus insidiatur; non cado, fundatus supra firmam petram. Peccavi peccatum grande, turbabitur conscientia, sed non perturbabitur; quoniam vulnerum Domini recordabor. Quid enim tam effi-

efficax ad curanda conſcientiæ vulnera, nec non ad purgandam mentis aciem, quàm Chriſti vulnerum ſedula meditatio? quid tam ad mortem, quod non Chriſti morte ſolvatur? Si ergo in mentem venerit tam potens, tamque efficax medicamentum, nulla jam poſſum morbi malignitate terreri. Fidenter quod ex me mihi deeſt, uſurpo mihi ex viſceribus Domini, quoniam miſericordiæ affluunt, nec deſunt foramina, per quæ effluant. patet arcanum cordis per foramina corporis: patet illud magnum pietatis ſacramētum; patent viſcera miſericordiæ Dei noſtri, in quibus viſitavit nos oriens ex alto. *Bern. in Cāt. ſer. 62.* *Bern. ſerm. 61.*

Ecce os beatiſſimum, quod poſitum erat tamquam gladius acutus, jam mihi præbet oſculum pacis, & adhuc peccata mea dividentinter te & me, & recuſabo vivere poſthac tibi?

O oculi multò plus lucidiores ſuper ſolem, circumſpicientes omnes vias hominum! quis vos obtenebravit? reſpicite me, quæſo, quia facti & fracti eſtis propter me; ſemel aſpicite, & ſalvus ero. Oculi verè ſicut columbæ, quæ lacte ſunt lotæ, & reſident juxta fluenta pleniſſima. O mundi oculi, qui reſpicere ad iniquitatem non poteſtis. Oculi ſicut piſcinæ in Heſebon, in quorum lacrymis lavantur crimina, quorum benignitate ſanatur anima, quorum ſuavitate omnis aboletur triſtitia. *Eccli. 23.* *Ibid.*

O lingua IESV mei, lignum vitæ, quæ nobis peccatoribus vitam reddidit, & Patrem placavit, dicens: Pater ignoſce illis, & latroni paradiſum promiſit. O verbum dulce, ſpes deſolatæ animæ! ô verbum quod mitigauit inimicos tuos, multiplicavit amicos tuos. Sitis ſalutem meam, & ego non ſitiam amorem tuum, non ſitiam ad Deum fontem vivum? Commendaſti me & dediſti matri Domini mei, & ego ullam aliam agnoſcā? Conſummata omnia dixiſti, felle & aceto potatus fuiſti, ô IESV vita mea, ſalus mea; mortuus es propter *Eccli. 6.*

pec-

peccata mea, ut vivam tibi, & moriar tibi, & cui vivam? Mortuus es, & tenebræ factæ sunt super universam terram, occidit sol in meridie, & planxerũt universæ creaturæ, & petræ scissæ, & monumenta aperta, velum templi divisum: & de petrâ cordis tanto percussa charitatis telo, non fluent aquæ largissimæ? Ecce mare gratiarum etiam conversum est in mare lacrymarum; & ego potero siccis oculis hæc intueri? Cui comparabo te? vel cui assimilabo te, Domina mea, cui exæquabo te? magna enim velut mare contritio tua.

Thren. 2.

Bernard.

CHRISTVS. O homo, vide quæ pro te patior; non est dolor sicut quo crucior: vide pœnas quibus afficior, vide clavos quibus confodior: cùm sit dolor tantus exterior; interior est planctus gravior, cùm te tam ingratum experior. *Obstupescite*, ut sup.

Praxis in passione Dominica sese exercendi.

MEmoria Passionis Domini quàm sit salutaris, passim omnes sancti Patres declarant. D. Augustin. ait: Fratres, ut à peccato sanemur, Christum crucifixum intueamur: quomodo qui intuebantur serpentem æneum in deserto non peribant morsibus serpentum: sic qui intuentur fide Christi mortem, sanantur à morsibus peccatorum: Gregorius autem: Nihil, inquit, adeò grave, quod non æquanimiter toleretur, si Christi Passio ad memoriam reducatur. D. Bonavent. Hujus, ait, Passionis Christi meditatio continua mentem elevabit, quid agendum, quid meditandum, quidve sciendum & sentiendum sit, indicabit! te demum ad ardua inflammabit; te vilificari, contemni & affligi faciet: affectus tuos tam in cogitatione, quàm in locutione ac etiam operatione regulabit. Propterea Sancti mirificè in hac meditatione se exercuerunt, adeò ut, quoad fieri poterat, conformari Christo crucifixo etiam corporaliter optarent. Hinc Seraphico Francisco, & S. Catharinæ Senensi singulari privilegio vulnera Christi Domini communicata sunt; ut ostenderet sibi gratissimas illas animas, quæ in Passione suâ, & vulneribus habitarent.

Aug. super Ioan.

Stimulus divini amoris. cap 1.

Modus meditandi de Passione.

Modus meditandi Passionem jam suprà explicatus est: observa tamen, hîc singulariter juvare loci compositionem; Secundò, intueri vultum dulcissimi IESV respicientis nos, & sensuum facere applicationem, id est fingere se audire, videre omnia: Primò,

mò, Christum, & cor ejus afflictum; Secundò, homines, Tertiò, spiritus malos & bonos. Angeli enim pacis amarè flebant, dæmones exultabant. Et singulis Primò, confusionem tui; Secundò, spem, Tertiò, charitatem; Quartò, imitationis Christi desiderium excita. In colloquio gratias age, pete & obsecra, & postremò te totũ Deo offer. Albertus Magnus memoriã Christi passi plus prodesse, ait etiam simplicem, sed devotam, Deoq; gratiorem quàm disciplinare se quotidie usque ad sanguinem, quàm jejunare anno integro in pane & aquâ; quàm quotidie recitare integrum Psalterium. Hujus argumentum manifestissimum, quòd sacrificium augustissimum Missæ in Passionis memoriam instituisse se Dominus profiteatur, ideoque id fieri mandet. Immò passim Spiritus sancti instinctu in templis, in turribus, in pontibus, in compitis cruces visuntur, velut trophæum Salvatoris, memoriale Passionis, & perfugium omnium miserorum. Hæ igitur te admoneant tanti beneficij; admoneat etiam horæ pulsus, piamque illam consuetudinem imitare, quâ ad horas singulas singula Passionis capita quidam piè solent commemorare. verbi causâ, cogita horâ sextâ vespertinâ pedum lotionem; septimâ, institutionem Ven. Sacramenti; octavâ, sermonem post cœnam, nonâ, Christum euntem ad hortum; decimâ, orantem in horto; undecimâ, comprehensionem ejus; duodecimâ, deductionem ad Annam, &c. primâ, deductionem ad Caipham, & coram eo accusationem; secundâ, illusionem in domo Caiphæ; tertiâ, quomodo manserit ligatus, & negatus sit à Petro illâ nocte; quartâ, condemnationem Christi factam à Sacerdotibus; quintâ, accusationem coram Pilato; sextâ matutinâ, illusionem coram Herode; septimâ, accusationem ad Pilatum, & Barrabbæ præ Christo liberationem; octavâ, flagellationem & coronationem; nonâ, condemnationem ejus; decimâ, bajulationem crucis; undecimâ, crucifixionem; duodecimâ, erectionem crucis; horâ primâ, verba ejus in cruce; secundâ, sitim ejus; tertiâ, mortem Christi Iesv vitæ nostræ; quartâ, apertionem lateris; quintâ, depositionem de cruce ac sepulturam.

Quanta sit utilitas de eâ meditari.

Quæ sint passionis memorialia.

Passionis Domini per horas memoria.

Alia praxis est unire omnes corporis afflictiones atque animi cum Christi passionibus & doloribus, eosque in se aliquo modo exprimere, aut orando extensis in modum crucis brachiis, aut funiculis corpus stringendo ad memoriam vinculorum Christi, aut aliâ ratione, sicut unctio & exempla Sanctorum te docere poterunt. Quàm fuerit gratum Christo Domino certa loca ac templa diversis mysterijs commemorandis destinata obire ac visitare, non unum est exemplum quo id decla-

Vnio suarũ afflictionum cum Christi doloribus.

Stationes de passione.

Stationes de Passione. declaravit; recentius illud, quod de beato illo viro Simone Valentino refertur, cui etiam Dominus sese in ejusmodi pietatis exercitio videndum objecit.

In passione quid meditandum. Tertiò, observa autem in omni meditatione Passionis, quis, qualis, & quantus sit qui patitur, quâ formâ, quantâ, quis et ijs fructus; ut latiùs prosequitur Divus Bonaventura in incendio amoris.

Missæ auditio quàm utilis. Quartò, quotidiè Sacrum Dominicæ Passionis memoriale reverenter audire, in primis Domino gratum est, atque homini utilissimum, tum adversus tentationes remedium, contra omnia adversa præsidium, optimaque gratitudinis pro redeptionis beneficio significatio. O quàm indigna res, si hoc aut negligatur, aut, quòd longè deterius est, negligentiùs peragatur! Quid turpius, quàm dolorum Christi, & acerbissimæ Passionis renovari memoriam, augusto sacrificio, & Angelis tremendo, & hominem fabulis & risu nonnumquam illud dehonestare! lacrymarum fieri memoriam, & effusionis sanguinis Agni immaculati; hominem verò ne de peccatis quidem, aut vix ingemiscere, & in vanitatem verbis, oculorumque cõjectu effundere! omnia in sacrificio repræsentari tormenta & afflictiones Domini nostri; & servos ejus vix Passionis illius recordari? humiliationis Regis regum proponi exemplum; & pigere hominem flectere genua coram illo, coram quo tremunt universæ potestates, & in cujus nomine flectitur omne genu, cælestium, terrestrium & infernorum?

Indevotio in Sacro Deo ingrata.

Dignatus es, ut sup. p. 10.

IACVLATORIÆ,

Cant. 1. *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur.*

Isaiæ 53. *Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit.*

Rom. 8. *Qui etiam proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit?*

TRI-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

C
B
B
G
H
I
I
I
D
E
F
A
M
86
XXX

TRIGESIMÆ IMAGINIS ANNOTATIO.

Attende in omni cogitatione, verbo & opere, cujus gratiâ opereris: Dei Opt. Max. an hostium tuorum.

Considera inter Deum & diabolum, hostesq; tuos consistere, & diligenter adverte, quisquis es, cui in omni cogitatione, verbo ac opere servias, ac placere desideres: nónne Deo? ejusq; implere exoptas sanctam, beneplacentem ac perfectam voluntatem? Igitur offer ei A *cor, atque opera omnia tua, offeretq; ea* B *Angelus in conspectu Domini, & coram* C *throno divinæ Majestatis, quì singula in misericordiâ coronabit. Quod si ex tuâ, non Dei voluntate, eiq; placendi desiderio opereris, aut impulsus* D *avaritiâ, aut* E *concupiscentiâ carnis, aut* F *superbiâ vitæ, seu* G *gloriæ ac famæ cupiditate; teipsum vehementer fallis: nihil enim mercedis præter pugillum fumi recipies; & quasi* H *diabolo tua offeres atque dicabis opera, quibus ut* I *sarmentis (si pereas) æternùm uraris atque crucieris.*

CAPVT

CAPVT XI.

Exercitium de pura intentione.

Quid pura intentio.

NOTA Primò, intentionem puram esse, quâ homo facit aliquid, quia Deo sic placet, arridet, & vult, & dignus est ob immensam bonitatem, ut omnia in illius honorem fiant.

Duplex intentio.

Est autem duplex: Actualis, quâ actu opus aliquod ad Deum refertur; & Virtualis, cùm vel in principio negotij, aut manè omnes actiones actuali intentione diriguntur ad Deum; adeò, ut illa influat in omnes.

Actualis frequentanda.

Actualis autem sæpè usurpanda est, quòd non rarò contingat mutari intentionem, etsi manè quis statuerit ad honorem Dei omnia peragere, sicut & aliæ bonæ intentiones, v.g. quia rationi consonum, ut virtutes acquiramus, Sanctos imitemur, vitia exstirpemus, gratiam Dei augeamus, proximo præluceamus, obediamus Superioribus, & salvi simus. Sed hæ omnes ad finem suum referendæ sunt; id est, Dei (propter quem omnes) gloriam, ad quã omnia creata sunt: omnia enim fecit propter semetipsum. atque ita, etsi nobis bona, & virtutes & gloriam petere possimus, tamẽ si fideles servi simus, si castæ sponsæ Christi sint animæ nostræ, nullum monile sibi petere debent, nisi quia sic placet, & sic vult sponsus nullum ornamenti, nullum armorum genus miles Christi, nisi per quod ille nos vult tutari. Vnde David: Tu gloria mea, ait Domino, tu laus mea: fortitudinẽ verò suam custodiebat ad illum, virtutesq; postulabat, ut omnes in se unum Deum laudarent, & famulorum splendor Dominum honoraret: eò invitabat omnes, & narrare optabat quanta fecisset Deus animæ suæ.

Prov. 16.

Virtutes sũt petendæ ut Deo placeamus.

Ps. 3.

Ps. 58.

Plures fines utiles seu intentiones.

Cant. 3.

Observa tamen utile etiam esse, plures fines & intentiones, seu motiva obedientiæ, mortificationis, zeli, impetrationis beneficiorum, gratitudinis, initio operis, proponere; quia sic variæ virtutes exercentur, ascendique in altum opus nostrum, sicut virgula fumi ex aromatibus

matibus myrrhæ, & thuris, & universi pulveris pigmẽtarij: tamen & charitas Dei per se sufficit, & principatum tenet, cùm illa omnes complectatur: charitas enim patiens & benigna, &c. 1 Cor. 13.

Nota Secundò, intentionem rectam adeò esse necessariam, ut nulla opera indifferentia bona sint absque illa; neque ulla bona absque illa bona esse possint, sicut nec mala bona esse possunt (nisi materialiter, id est, cùm ignorantur talia) etiamsi fiant cum illa, neque enim sunt facienda umquam mala ut eveniant bona. Opera itaque indifferentia intentio recta bona facit, ut sunt mercari, laborare, studere, recreare sese; utique non futura meritoria, si absque bona intentione fierent: ut qui dat eleëmosynam ex solâ compassione naturali: non enim est Deus remunerator operarum, quæ neque pro se in vineâ, neque aliâ ratione sibi serviunt. Vnde apparet quanti sit pura & sancta intentio: indifferentia enim etiam quæcumque bona facit, omniaque velut virgula Mydæ aurea charitate inaurat, & omnibus cogitationibus, verbis & operibus vitam dat & formam. ac proinde omnino longè pluris est, quàm ipsa opera, fodinaque auri veri, id est charitatis, condimentum optimum, & omnium bonorum fundamentum: quod si terrenum est, ut in illa statua Nabuchodonosoris, opus totum facilè corruet. Unde non est tam laborandum, maximè in Religione, ubi à Superiore & voluntate Dei omnino pendetur, quid fiat: sed ex quanto affectu. ideo dicit Scriptura, Respexit Deus ad Abel, & affectum, deinde ad munera ejus. neque nos æstimamus munera, nisi ab affectu, & persona dantis; adeò ut ab hoste ea accipere nollemus: ita nec Deo holocausta placent & incensa impiorum, ut patuit in Core, Dathan & Abiron. Contrà intentio recta efficit, ut minima nostra à Deo maximi fiant, ut patet in vidua, quæ duo minuta offerebat. Facere quippiam solùm, ut evadas infernum & patibulum, etsi bonum sit,

Intentio recta necessaria.

Indifferẽtia bona fiunt per intentionem.

Similia.

Dan. 2.

Intentio est fundamentum.

Gen. 4.

Munera ab affectu æstimantur.

Num. 16.

Marci 12.

Intentio triplex.

servile prorsus est: ut præmium obtineas, mercenarium; ex amore, ut illi placeas, filiale est. Et vide quomodo tibi serviri, & an ab uxore, ut ait D. Augustinus, te diligi vis. quia bona ei præstas & largiris: sic enim verendum esset ne te pauperem desereret.

August.

Quid requiratur ut opus sit meritorium.

Nota Tertiò, requiri, ut opus sit meritorium. Primò, ut sit bonum ex omni circumstantia; Secundò, ut persona sit Deo grata; Tertiò, ut fiat bonâ intentione, quod communi sententiâ Theologorum intelligitur saltem de virtuali, quæ nascitur ex voluntate illâ, quâ justus decernit Deum sibi finem esse ultimum, omnibus cogitationibus, verbis & operibus quærendum: ac proponit constanter illi servire, & in omnibus placere. Atque ita quando pravus finis abest, justi opera etiam absque actuali intentione in Deum diriguntur; si tamè opus nullâ circumstantiâ vitietur: indifferentia verò, bonâ intentione & fine adornanda sunt: nempe quia Deus ea fieri voluit, quia necessaria, vel ad bonum aliquem finem adminiculo sunt, aut certè quia humana ratio sic facienda esse præscribit.

Intentio virtualis quæ.

Quomodo vitietur.

Nota Quartò, quemadmodum initio vitiatur intentio, ita etiam posse in medio eandem vitiari aliquando in fine; ideoque semper vigilandum, ne zizania vanitatis succrescant, ne vinum misceatur aquâ, ne à viâ deviemus.

Amor sui & vanæ gloriæ quàm noxia.

Nota Quintò, nihil ita vitiare intentionem, quàm amorem proprium, seu proprium commodum, & recreationes: quibus homo in omnibus commodo suo attendit, & quærit quæ sua sunt, & existimationem. Sed affectus etiam alii quicumque, nisi moderati sint, vitiant sæpè intentionem, & præcurrunt rationem, maximè tamen vanæ gloriæ, & aliis placendi amor, aut timor displicendi.

Nota Sextò, licet commendetur, ut frequenter iteretur intentio recta, tamen citra violentiam faciendi; sufficeretque in principio, renovare manè, vesperi, ante

ante Meditationem, examen Missam, exercitium seu opus corporale, refectionem, & recreationem; sed inprimis singulis horis, vel locis certis & temporibus designatis, ut cuique commodum est. *Violentia cavenda.*

Nota Septimò, gradus puræ intentionis. Primus est, nihil agere ob respectum humanum aut omittere; Secundus est, quo homo virtute matutinæ, vel alterius actionis omnia peragit; Tertius est, quo eam frequenter ac actualiter renovat, etiamsi sine gustu devotionis. Quartus, quo cum fervore amoris; Quintus, quando si aliquid alio fine agit, mox quasi necessariò compellitur ad Deo offerendum, & redeundum in viam generoso amore, quo nulli nisi illi placere vult. *Gradus puræ intentionis.*

Nota Octavò, signa undecim. Primò, non aggredi impetuosè, non perturbari; Secundò, in opere eo affectu progredi, adeò ut si rogaretur quorsum faceret, quò tenderet, uti viator, mox diceret: Eò tendo, ad Dei gloriam operor: & si minimum quid observaret in viâ deviare, sese, regrederetur in viam; Tertiò, non anxium esse, & propter agenda variis modis distrahi; Quartò, post opus collectum esse, neque aliorum judicia anxiè venari; Quintò, non turbari de eventu minùs secundo; Sextò, non habere vanam cogitationem post factum; Septimò, non spectare anxiè, multi an pauci laudatores, spectatores, auditores, &c. Octavò, judicia hominum contemnere; Nonò, in sensualibus omnibus valdè moderatum esse, & à curiosis mollibusque libenter abstinere; Decimò, privatim & publicæ æquè diligenter sua facere; Undecimò, resignatum ad omnia esse, neque optare, neque timere. *Signa ejusdem.*

Meditatio prima de pura intentione.

ORATIO PRÆPARATORIA solita.

COMPOSITIO LOCI est, considerare universum, & in medio cæli Deum omnia replentem benedictione; & juxta infernum, tetetrimum dæmonem,

carnem, mundum, & propriam voluntatem, ut repleant omnia confusione, scilicet retrahendo à Deo Domino nostro ac summo bono.

PVNCTVM I. Considera necessariò ob aliquem istorum quatuor operandum, & si quidem non propter Deum fiant tua opera, merâ vanitate omnia in fumum abire, quantumvis ea sancta videantur. O quot rectæ intentionis defectu cùm ad mortem venerint, viri divitiarum, Monarchæ, & devoti Religiosi multi dormient, & nihil invenient in manibus suis! Immensa viarum spatia viator conficit spe quieris & opum parandarum; quòd si verò exhaustis laboribus plurimis eâ excidat, quanto mœrore ac dolore conficitur. Sic tibi futurum, si viam ad æternitatem & labores in eâ emensus, deprehenderis labores fuisse inanes, & nihil nisi supplicium tibi peperisse gravissimum & æternum. Erubesco, bone IESV, quòd præter te aliumquam amaverim, verbo, opere, linguâ: posthâc eris mihi, Domine, in Deum, & ponam te sicut signaculum super cor meum, & sicut signaculum super brachium meum, & omnia opera mea. *Aspira*, ut sup. pag. 8. *Hæc cime firmâ fide. Affectum amoris excita*, ut supr.

Psalm. 75.

Cant. 8.

PVNCTVM II. Considera quasi speciem esse idololatriæ, quando homo, relicto Deo sibi præsente convertit ad eum dorsum, faciem ad aliquod idolum, creaturam aliquam, vel propriam voluntatem, aut commodum Deo contempto, & ejus voluntate. Huc illa Samuëlis sententia: quasi peccatum ariolandi est repugnare, & quasi scelus idololatriæ nolle acquiescere: unde avaritia dicitur idolorum servitus, & similiter aversio à Deo. Similes autem illis fiunt, ut Psalmista loquitur, omnes qui faciunt ea, & omnes qui confidunt in illis. Tu autem, Deus meus, tu gloria mea, tu finis meus. Ad te respiciunt oculi mei qui habitas in excelsis. Absit, absit ut oculos meos statuam declinare in terram, ut non videam te Solem justitiæ, & peccatum regner

1. Reg. 15.

Psal. 113.

egnet in meo mortali corpore, & avertar à te. Omne enim peccatum conversio est ad creaturam; quasi ad idolum. Tibi ergo adhærebo, spes mea; tibi adhærere bonum est, & ponere in te spem, gaudium & amorem meum. *Psal. 72.*

PVNCTVM III. Considera hoc simile: si Rex hominem vilissimum è stercore sustulisset, ornasset muneribus, & dignitatibus fecisset eximium, ad pugnandum cum suo proprio inimico capitali, & Regis; si ille mox, ut esset evectus, statim ad capitalem inimicum se convertere, eique dona Regis sui amantissimi largiretur hoc fine, ut Regi, in cujus conspectu hæc fiunt, ægrè faceret, & cum hoste conspiraret; quis dolor Regi foret? Applica. Nec refert an parva an magna offeras hosti: nam parva peccata sunt quasi arrhæ proditionis, quia via ad illam. Eheu! Domine, quoties hoc illoque ad vanitatem abusus sum; & mutavi gloriam in ignominiam, & ludibrium factus sum inimicis meis! Ecce nunc in pulvere dormio, vinctus & captus; da mihi manum tuam, mitte Angelum, ut ereptus de omni expectatione inimicorum meorum cantem tibi, ô gloria mea, & vivam tibi, & te in æternum benedicam.

COLLOQVIVM erit, renovatio promissi in Baptismo facti & propositi sanctè serviendi Deo maximè in Religione, si Religiosus es; toties iterati in communione & confessione, quòd illi soli servires & propter gloriam ejus viveres, ut in eâ æternùm viveres.

Secunda meditatio de pura intentione.

COMPOSITIO LOCI. Considera Deum in omnibus creatutis, velut solem in omnibus operantem, &c.

PVNCTVM I. Considera, quòd Deus in omnibus creatis ad ministerium hominum semper sit quasi paratus, nullâ suâ utilitate, sed tantùm nostrâ; nos verò ingrati, cõtempto illo, & præmio æternæ gloriæ, quam nemo cõcipere potest, pro stercore malimus laborare.

Philip.3. O JESV, quæ nostra insania; quæ tua bonitas! prostercore, inquam. omnia enim (ait D. Paulus) arbitratus sum ut stercora. Quid enim habemus ex iis ubi transierint, quid ferè, nisi quod erubescimus? ô quàm optabimus aliquando laborasse pro te & non in vanum! Neque jam solùm operaris, ô Deus, ô creator meus, verùm ab omni æternitate pro nobis hæc condere cogitasti, & semper nos amasti, & à condito orbe hæc omnia pro nobis conservasti: & nos sustentas & nutris, & nos de hoc quasi momento vitæ, non quinquies millesimum tibi damus. Ex nunc in æternum non declinabo à mandatis tuis; sed diligam te fortitudo mea, firmamentum meum, & refugiũ meũ. *Aspira*, ut su. *Hæccine firmâ fide*, p.8.

Rom.6.

PVNCTVM II. Considera, id quod finis est operis hoc ipsum verè nobis dominari, & nos ei servire. unde cum bestialibus cupiditatibus mãcipamur, tunc nos sponte velut bestiis in seruitutẽ diram addicimus. Hinc si petatur à guloso, quare non sit sobrius? dicendum ei, quia sic caro me trahit ut ovem herba, vincit me, & trahit in perniciem quovis precio redimendam. Vnde si molestum est uni servire, quãta molestia tot Dominis! Deus verò, in cujus conspectu hæc fiunt, libertatem veram offert; sed nos duram servitutem præferimus. O quanta cæcitas nostra! quæ patientia tua, Deus! nobilissimum, potentissimum, amantissimum parentem rejicimus, & duris tyrannis nos in servitutem addicimus, & in servitute gloriamur. Vsquequo claudicamus in utramque partem? si Dominus est Deus, serviamus illi: si autem creatura alia, abdicemus Dominum. Ecce, Domine, tibi cor meum pacto sempiterno offero, & commendo omnibus diebus vitæ meæ, æternitatis tuæ. *Exerce fidei actum* vel utere O JESV *Rex*, ut infr. pag. 909.

Servitus dura est absque intẽtione bona.

3. Reg.18.

PVNCTVM III. erit hoc simile. Si sponsa foret maximi Regis, Rex verò in signum amoris præmitteret famulos & dona, ut eam sui amore magis accenderet; illa verò famulos præferret Regi, & regiis donis armaret in

ipsum

ipsum Regem, nónne indignissimum facinus omnes judicarent? Non est hoc auditum à sæculo: & tamen fit quotidie, ô anima, dum creaturis, quas Deus creavit, ut ministrarent nobis, & nos pellicerent ad sui amorem, abutimur ad despectum Dei. Quid est in quo contristavit te Deus tuus? quid fecit tibi, ut projiceres illum? O omne bonum, clementia immensa, profugum retrahe, revertentem suscipe, & volentem adhærere tibi fons vitæ, ne dimitte sitientem. Reddo tibi dona tua, & pro creatis omnibus gratias ago, & benedico; suscipe cor meum & amorem meum, &c. O JESV, *Rex*, ut inf. 909. vel *exerce te in affectu charitatis* ut sup.

Quid faciat qui donis Dei abutitur.

Meditatio tertia de pura intentione.

COMPOSITIO LOCI erit, se constituere inter Christum invitantem ad se, & dæmonem ab alterâ parte, cum mundo & carne.

PVNCTVM I. est simile. Erat quispiam qui ministros omnes bene sibi servientes maximis pœnis afficiebat & morte, sed perstringebat oculos specie boni: & sic pelliciebat omnes, & fallebat eos qui suo se obsequio dicabant. Contrà erat, qui vitâ immortali donabat, & æterno honore afficiebat: & omnes detractabant ei servire. Quid tibi videtur? qui illi sunt, quæ eorum dementia? Hi sunt filii hominum qui diligunt vanitatẽ, & quærunt mendacium, &c. Quid fodimus nobis cisternas, quæ continere non valent aquas, ô fons bonorum? Si servire delectat, nónne tibi servire regnare est, ô Rex regum, & Domine dominantium, qui merces nostra es magna nimis diligentibus te?

Quàm turpe à recta intentione deficere.

Ierem. 2.

Aspira, ut sup. *Hæccine firmâ*, ut sup. pag. 8.

PVNCTVM II. Considera beneficium creationis redemptionis, conservationis & vocationis, quodque Deus se totum toties dederit in cibum, precium & præmium nostrarum actionum, & eheu! si attendas & fatearis, an non maxima pars impura est, & in gratiam alicujus ex hostibus operaris, qui tamen hoc unum agit

Beneficia Dei excitant ad rectam intentionem

git ut te destruat, captivet, omnia eripiat, etiam animâ ipsam. O Deus, quid rettibui tibi pro omnibus quæ retribuisti mihi? mala plurima, Pater optime; sed ecce redeo servus ad Dominum, creatura ad Creatorem. Tu Domine, hereditas mea, Deus meus in æternum eris. Sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ, ita oculi mei erunt ad te, Domine Deus meus. Considera Secundò, quietem purè quærentis Deum, & ob ejus solius voluntatem operantis nihil appetit, nihil timet alter verò omnia timet nunquam quiescit, ut plerique mortalium sæculares, & multi Religiosi. dixit impius Domine, pax, pax, & non est pax. quæsivit requiem, & ecce turbatio: non est ubi requiescat pes columbæ tuæ nisi in arca sanctissimæ voluntatis tuæ.

Psalm.122.

Pax ejus qui puram habet intentionem.

Ierem.6.

Domine Deus noster, Hæccine vera, ut sup. pag 7.

Amoris affectui insiste.

PVNCTVM III. Considera tanto superare opus factum ex purâ intentione aliud, etiamsi bonum, quantum cælum nucem, mare guttam, terra arenam. Vide ergo quàm stulti mercatores nos simus comparati filiis hujus sæculi. Considera Secundò, Sanctorum studium in meritis augendis. Tertiò, quantum ratione singularium beneficiorum debeas Deo Scio, Domine mi, quia ex hoc quòd me fecisti, debeo tibi meipsum; quia me redemisti, & pro me factus es homo, deberem tibi plusquam me, si haberem; quanto tu major es eo pro quo dedisti te ipsum. quid ergo rettibuam tibi pro omnibus miserationibus tuis? Considera Quartò eum qui in intentione errat, in omnibus errat, quia in fine creationis: ac proinde uti qui in viâ errat, quo magis provehitur, magis errat: sic quo quid vehementiùs agitur, vel opus præstantius, si intentio desit, tanto periculosius & detestabilius est, quod agimus. Quid, quæso tibi in viâ Ægypti, ô anima, ut bibas aquam turbidam & pestilentem? revertere Sunamitis, & respice ad Deum, ad viam, ad terminum & Regem omnium seculorum. Amen.

Sanctorum Zelus.

Bernard.

Intentio si mala, omnia mala.

Col.

COLLOQVIVM, prout affectus dictabit.

O JESV, ut infrà. *Affectum gratitudinis exercerepotes* ut sup. pag. 909.

Meditatio quarta de purâ intentione, & majori Dei gloriâ quærendâ.

COMPOSITIO LOCI, & Oratio ut suprà.

PVNCTVM I. Considera Primò, quomodo Dominus creaverit hoc universum, velut pulcerrimum domicilium, & in eo non pauca, sed innumera ad utilitatem mortalium & recreationem: & quàm indignum nos in nostro hoc parvo mundo vix etiam & necessaria, illiberales erga liberalissimum Dominum ut sic loquar, tribuere & sua malignè reddere, & ferè non quid illi gratius, sed quid nobis commodius, attendere. *Hæc sine vera*, ut sup. pag. 7. Secundò, considera quàm copiosam voluerit esse (ideò tãtùm, quia nobis utilissima erat) redemptionem, cùm una sanguinis gutta esset plusquam sufficiens; & nos pro nostrâ salute, & in eo quod ad majorem ejus gloriam pertinet, eheu! quàm segnes sumus & illiberales! Considera Tertio, quàm multa Sacramenta, & alia auxilia spiritualia, & gratias largiatur: & confundamur, si nos, quòd minùs illi gratum est, quæramus. Quid enim est pulcrum & bonum ejus quod nobis non donarit liberalissimus Deus? Gratitudinis affectui insiste. *Liberalitas Dei erga nos.*

PVNCTVM II. Consideta omnes passim sibi summos honores, commoditatem & utilitatẽ quærere & quanto zelo, & dic quæso, nónne IESV Domino nostro plus affectus & amoris debemus? illi tamen sæpe minima aut præferimus, aut etiam, ô impudentiam! etsi sua sint negamus, parũ omnino de majore ejus gloriâ solliciti. percurre torporem tuum in iis, quæ Dei sunt, & videbis te, qui es vilissimum mãcipium velut Regi dicere: Ego splendidè etiam abs te haberi volo, tu contentus esto vilioribus: Ego illum conservum, immò etiam hostem tuum honorificè habere & haberi cupio, tu de tuo ho-

Gratia hominum magis quaritur quàm Dei.

nore solicitus esto; & cùm vacabit mihi, tibi loquar, te aliquo honore afficiam. Nónne enim ô IESV mihi præsentissime ferè homines magis de hominum captandâ gratiâ, eaque amissâ anxii sunt, quàm tuâ Deus meus? nónne promptiùs iis serviunt, diligentiùs eos honorât, quàm te Deum ac Dominum nostrum? *Contritionem hic excita.*

Deo vilissima damus in tempore & modo.

Considera Secundò. Deum uti Regem alicui plurima dona, eaque preciosa liberaliter dantem, & quòd cùm ipse nullius habeat opus, repetat quid parvum, ut videat quo sit is animo qui accepit: quàm verò turpe foret, si vicissim illi vilissima in omnibus, quæque vix canibus projiceret daret? Ita facit qui post concupiscentias suas vadit, verè canes rabidos, iisque optimũ tempus, ætatem, vires, studiũ; Deo verò deteriora concedit, vel potiùs projicit. Considera Tertiò, à sæcularibus mundo ita serviri, ut quisque studeat in divitiis, voluptatibus, &c. aliis præcellere æmulatione magnâ: contrà verò Deo à servis ejus tepidè serviri, & minima tantum tribui, quàm turpe? *Credo tibi*, ut sup. pag. 7.

PVNCTVM III. Considera Primò, in conspectu Dei omnia nihil esse, & si verum hoc nosti sicut est verissimum, quæ dementia ob aliud, quàm Deum operari? Secundò, Sanctos & Angelos extollere vocem, & affectus ad laudes intendere, & tamẽ erubescere, quòd tam parum retribuant tantæ Majestati, tantæ bonitati: tu verò quid agis? quid reddis Deo tuo? Cogita verò te in medio eorum, & quàm erubesceres de tuo tepore in quærendą majore Dei gloriâ, quodque aliquando petas, an tenearis facere hæc, vel illa ad majorẽ Dei gloriam? & eheu! quid si Deus ea, quæ tenetur, tantùm tibi præstaret? Considera Tertiò, quomodo dederit nobis etsi perduellibus preciosissimum donum, se, & Filium, & Spiritum sanctum, ex summo amore, adeoque si dilexit nos; nos Deus ipse quasi plusquam se, nos verò non illum æquè ac nos, diligere, quàm pudendũ quàm indignũ? An credo hæc, Domine mi, an credo?

an

an spero te videre in terrâ viventium? an te toto corde in æternum amare volo? & tamen jam magnam in eo partem vendicabit mundus aut alîus rei affectus, cura, vel solicitudo. COLLOQVIVM.

EXERCITIVM.

O JESV, *Rex regum & Domine dominantium, nunquid tibi servire regnare est, tibi cui omne genu meritò flectitur, celestium, terrestrium & infernorum? ecce coram te in hoc universi theatro constituti sumus, & à manu tuâ innumera beneficia accepimus, & accipimus in horas, immò in momēta, quorsum? ut tibi serviamus, te laudemus, & operemur salutem nostram. Quid faciemus, Redemptor mi? ecce adstant diabolus, mundus, & caro, hostes tui & mei truculentissimi & fœdissimi, & paratissimi ut sibi me servire faciant, & membra mea ad iniquitatem, & æternam meam & inexplicabilem calamitatem: tu verò, Creator meus, & Rex meus, & Pater optimus es, & benignissimus Deus meus, qui infinities ruiturum in infernum conservasti, & hâc horâ conservas, qui sanguinem mihi in amoris signum quotidie propinas; cui ergo serviam? egóne te relicto, aut verbum, aut cogitationem, aut opus hostibus dabo seu dicabo cum tanto meo detrimento, tuo tanto tamq; justo dolore? Et quare, precor, id faciam, ut coram te & curiâ tuâ dem tua bona hostibus tuis, & meis? & serviam illis, & non tibi? absit ut placere iis studeam & coram universo te contemnam? tibi obvertam dorsum, ut illos qui inexplicabili odio me prosequuntur, ut idololatra colam hoc præmio, ut exquisitissimis tormentis ab illis afficiar & æternùm peream?* Philip. 2. Vide quid agat habēs malam intentionem.

Hæccine vera sunt & sic demens & fatuus & impius in te pientissime JESV *esse possim? Quid quæso ausero pro his laboribus & sudoribus nisi fumum honoris, quem an habeam verè scire numquam possim, neque retinere, vel certè momentaneam voluptatem. quæ cor & conscientiam postea duris tormentis exagitet: tu verò ab æterno infinitè dilexisti me, & pro verbo cogitatione & opere æternam gloriam mihi promittis & innumeris beneficiis affecisti & afficis, et paratus es omni die, omni horâ pascere* Vanitas mundi. Applicatio ad Communionē.

pascere me pane Angelorum, & dimittere Majestatem magnitudinis tuæ ad vilissimum hoc manciptum tuum, & sterquilinium, & adhuc illudam tibi? & dona tua, id est membra & potentias in tuam contumeliam & despectum hostitadam?

Nunc ergo Domine Deus meus revertor ad te in toto corde meo; nunc aperio oculos cœcus natus, nunc audio surdus & mutus vocem tuam amabilem per Apostolum tuum. Omne quodcumque facitis in verbo, & in opere, omnia in gloriam Domini JESV *Christi facite. faciam gratia tua ut lauderis in hæreditate tuâ ut lætetur cor meum in salutari tuo, ut oculi mei sint semper ad te, & tui ex infinitâ misericordiâ sint aperti super locum istum, animam meam. Ne quæso dulcissime Redemptor mi, sic me ulterius insanire permittas, sed da gratiam ut sicut me totum obtuli, & offero velut arborem tibi: Vti infinitis titulis tuus sum, ita tibi omnes fructus reddam in tempore suo, ne furti aliquãdo arguar, ne illa die sis mihi formidini, ne frustrà cum operariis veniam & expectem mercedem, quæ non est alia quàm tu bone* JESV. *qui remuneratur eum qui pro se operatus non est? Da ergo pro te operari, esto mihi merces mea magna nimis, non aliâ mercede, & præmio servire volo quàm propter te. Cui enim ego miser, & inops, & pauper, & peripsema, cui potius quàm tibi? Faciam ergo ut benedicant & laudent te omnes tribus terræ, & ab omnibus accipias gloriam & honorem Amen. Amen.*

Praxis.

Mortificatio necessaria.

VT gradus illos de quibus suprà gradatim ascendamus, praxis Prima est, secum considerare, quid sit quod amet in singulis, illudque abnegare, ne vitiet intentionem. Deinde aliquo ex motivis se excitare, & videre quàm æquum sit ad Dei honorem, ob quem creatus sit, operari potiùs, quàm dæmonis, mundi, vel propriæ voluntatis gratiâ, aliqua idololatria Deum offendere, ut Sancti loquuntur. Hoc meditatione altè priùs inbibere oportet, deinde suas offerre actiones, & in Deum dirigere. Primò; mane, Secundò, in Sacro; Tertiò, ad horas singulas; Quartò, in examine, prævidendo actiones, verba & cogitationes quoad fieri potest, & divinæ Majestati offerendo,

ferendo, & uniendo actionibus Christi Domini: sic enim gratiores longè erunt in conspectu Dei vestitæ auro mundissimo charitatis illius signum etiam crucis fac ante notabiliores actiones, denique ad alias minoris momenti gradatim procede. *Vnio actionum cum Christi actionibus.*

Mane cùm surgis flecte & dicito: ecce creatus sum ut obediam & serviam tibi Deo meo. hîc & ubique præsenti, non dæmoni, mundo, carni &c. Offero itaque tibi quanto possum affectu meas actiones N. verba N. cogitationes, & cum cœlestibus, terrestribus, & infernis tibi soli, Domine IESV, omne genu flectò.

Vesperi in fine examinis considera diem & opera transiisse, & quantam si ea fecisses purâ intentione, moriturus (quod ea nocte contingere potest) caperes lætitiam: instaura verò optando omnia ad Dei gloriam castissimè te fecisse, & iterum statum actionesque offer usque ad alterum examen. Modus alius offerendi actionem hic esse poterit, primò eleva mentem ad Deum præsentem, illique dic: Offero tibi ad majorem tuam gloriam, & unio actioni Domini mei hoc opus, & diligo te toto corde meo. Idipsum pronuntiare aliquando, vel potes in ictu oculi cogitare, & unire ut dixi actiones cum Christi Domini actionibus. *Dignatus es*, ut suprà pag. 10.

Oratio quâ maximè ante & post Sacrum seu Communionem, quis se Deo reconciliare potest, omniaq; opera sua per intentionem sanctificare.

O Bonitas & charitas infinita, Deus meus, quàm amarum mihi est quòd umquam vel momento recesserim à te, aut ullo peccato, vel creaturæ amore contristaverim te, ô omne & summum bonum. Contritio.

Ecce video ut custodias me velut pupillam oculi ab innumeris malis, & undique te ipso & bonis & beneficiis tuis, cingas me, ô bonorum oceane! Diligo te quantum possum toto corde & viribus meis. Et cùm ex te, & in te, & per te sint omnia, egoq; in primis factus & sic refectus à te, hoc unum omni quo possum affectu cupio ut ex nunc & in æternum omnia mea ad gloriam tuam sint, cogitationes, verba N. & opera N. quicquid hic lucrari, aut habere possum gratiæ, meritis, indulgentiarum, per pia opera, vota, sacrificia, preces, id maximè cupio secundùm tuam intentionem, utq; ex me & iis velut talentis & donis tuis, agro & vineâ tuâ, tibi soli sit fructus, laus, honor, gloria, utilitas & delectatio. In æternum ex nunc hoc volo si quid umquam volo vel nolo, vel oro, spero, metuo, vel amo, impende omnia sicut vis, & quibus vis, vivis vel defunctis, tu scis quibus Præsentia Dei. Intentio.

bus & quantum me debere & præstare velis, mea equidem tua sunt, dispone de iis in tempore, & in æternitate. Da tantùm ut te amem, & timeam te solum propter te, & in te vivam. & ad te suspiram. Cùm enim caro tua cibus, & sanguis sit potus meus, non vivo ego nisi propter te, ut benedicat tibi anima mea: & omnia quæ intra, extra, supra, infra, & circa me sunt nomini sancto tuo, omnis denique anima & spiritus te mecum laudet in æternum, Amen.

IACVLATORIÆ,

Psalm. 112. HÆc usurpari potest: *Quis sicut Dominus Deus noster?* considerando eum non quasi sit tantùm dignissimus honore, sed is cui soli omnis honor & gloria debetur.

Psal. 72. *Quid mihi est in cælo: & à te quid volui super terram?* Vel: Benedicite omnia opera Domini Domino, quasi dicat; *Omnia Dei sunt, nolo mihi vendicare, nolo abuti ad contumeliam tuam dono tuo, Deus meus.*

Dan. 3.

Ad majorem tuam Deus gloriam hoc facio, & diligo te toto corde.

Tibi laus, tibi gloria, tibi gratiarum actio in sæcula sæculorum. Amen.

Psal. 113. *Non nobis, Domine non nobis, sed nomini tuo da gloriam.*

1. Tim. 1. *Regi sæculorum immortali & invisibili, soli Deo honor & gloria in sæcula sæculorum. Amen.*



TRI-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN



XXXI

TRIGESIMÆ PRIMÆ IMAGINIS ANNOTATIO.

Ambula coram Deo, & esto perfectus.

CRede, atque apprehende firmiter A *Deum ubique præsentem, suisq;* B *oculis, clarioribus sole, omnia, tuosq; renes & cor intueri ac scrutari. Videt ille* C *angustias nostras &* D *tentationes, ut adjuvet. Considerat* E *epulones, qui hîc recipiunt bona sua; &* F *pœnitentes, qui plangunt hîc mala sua: ut præmium his reddat;* G *malos, ut puniat, seriùs aut ociùs. Provide ergo illum in conspectu tuo semper, seu* H *negotieris, comedas ac bibas: coram illo* I *lude,* K *ambula cum illo, atque imprimis scito eum præsentem in* L *corde tuo: cum eo tracta negotia tua:* M *dilige vitæ statum ex voluntate ejus, & naturæ etiam inclinationem attende: est enim à Deo, uti & omnis* N *spiritualis potestas, ac* O *temporalis Deus operatur omnia in omnibus, & attingit à fine usque ad finem fortiter, suaviterq; omnia disponit, pro summâ sua potentiâ, sapientiâ ac bonitate.*

CAPVT

CAPVT XII.

Meditatio de Præsentia Dei.

COMPOSITIO LOCI est videre quasi immensum lumen, quod hoc universum velut punctum penetrat & perlustrat; siquidem totum hoc gutta est roris ante lucani. ORATIO ut suprà.

Sap. 11.

PVNCTVM I. Considera, ô anima, omnes universi partes, terram, & quidquid in illa vel suprà, sylvas, specus, &c. Secundò, aquam, Tertiò, aërem, Quartò, ignem, Quintò, cælum, & quidquid in his; nihilque esse quod non occupet & penetret intimè Deus; & hunc locum ubi stas, & te ipsum & omnia, immo etiam possibilia, & infinita spatia imaginaria. O immense Deus, & Pater mi, quàm magna est domus tua! si ascenderò in cælum, tu illic es; si descendero in infernum, ades; neque te cæli cælorum capere possunt. O quàm cæci sumus filii hominum, qui te neque ut Dominum veremur astantem & præsentem, neque amamus ut filii pientissimum patrem amant; neque velut milites & luctantes aspectu tuo, ut Regis nostri animamur.

Deus omnia implet.

Psal. 138.
3. Reg. 8.

Exerce hic actum fidei & amoris, ut sup. vel *Aspira*, ut suprà pag. 8. *Hæccine firmâ*, &c.

PVNCTVM II. Considera firmâ fide, ubique esse Deum per essentiam, potentiam, & præsentiam. Per essentiam (nam verè hîc ubique tota est SS. Trinitas, Pater generans Filium, & cum eo producens Spiritum S. adeò ut si lumen gloriæ adesset, hic beatus esses. vide ergo ut numquam solum te esse arbitreris, sed magnâ reverentiâ ubiq; adsta Deo tuo. Secundò attende ubique eum esse per præsentiam, quia omnia cognoscit, tentationes tuas, & renes tuos scrutatur, & omnia: tu ergo soli placere desidera, illi omnia committe, qui attingit solus à fine ad finem: nostræ verò eheu providentiæ sunt omnino incertissimæ, inque resignatione te exerce. Tertiò Deum ubique esse adverte per potentiam, utque

Quomodo Deus ubique sit.

Eccles. 9.

utque hæc cum sapientia & bonitate eluceat in creatis, in pondere, numero & mensura, modo, specie & ordine, substantiâ, virtute & operatione, origine, decursu, & termino. Omnia verò hæc Deus movet & sustentat; alijs largiendo esse, alijs vivere, aliis vegetari, aliis intelligere; adeò, ut si se subtraheret, omnia in nihilum redigerentur, denique operatur naturalia & supernaturalia, artificialia & moralia; ut ex his velut anima in corpore ex operatione cognoscitur, ita ejus præsentia in omnibus queat agnosci. Contemplatur postremò fixis oculis te in omni loco, & bonos & malos, & unumquemque ac si solus esset. Et quis audeat te, ô Deus meus, cui decies millies centena millia assistunt, offendere? Quis te poterit non amare? cùm ubique adsis, & te mihi sistas, & impleas omnia benedictione, ut te diligam toto corde, ô bonitas immensa? Denique quis te non timebit & abyssalia judicia tua? quis pro te non operabitur pro te operante omnia in omnibus pro nobis? Postremò quis non invisibilem tanquam videns, tribulatus & tentatus sustineat, cùm omnia opera nostra sint veluti sol in conspectu tuo? *Aspira*, ut sup. *Hæccine firmâ fide*, ut sup. p. 8. vel ut infrà, *Cæli enarrant*, p. 918.

Deus omnia sustentat.

Punctum III. Considera primò, ô homo, Deum & SS. Trinitatem verè esse intra te omnia penetrantē, & intimè magis tibi conjunctam quàm anima tua tibi sit. Secūdò non tantùm esse, sed suas perfectiones uti & aliis creatis communicantem, dando tibi esse, intelligere &c. & maximè fidem & gratiam qua filius ejus es, & considera te in ipso velut euntem, ambulantem, &c. in ipso enim vivimus, movemur, & sumus, singulæq; partes & potentiæ, & omnia membra tua, & sensus tui accipiunt ab illo esse, & operari; immò circumdaris ab eo, velut infans in utero, eumque pro muro, lecto, nutritio habes, atque ex istis in eo velut in aëre volucris, in aqua piscis, aut ut in lumine magno, aut igni semper ardenti, te tamen non urenti, mox rediturus in nihilū,

si subtrahat se, ut lumen mox deficit face sublatâ. Tertiò, considera ut in anima tua omnia sint, Deus & totus mundus, qui in eam per sensuum portas intrat: deinde vide ut tua mens se cognoscat, amet, memoret, ac Dei imago sit & sedes; & fac tibi cubiculum in corde tuo cum S. Catharina Senensi, ibi Dominum adora, consule, ut ipse monuit eam Dominus. Crebrò ora in secreto hoc. gaude de thesauro præsente, protectore, luce, & omni bono tuo: respue quidquid displicet oculis multò lucidioribus sole, & crebrò suspira ad Deum, & dic: Pone me, Domine, juxta te, & cujusvis manus pugnet contra me; absit ut sit divisum cor meum, & interream, sed maneam gratiâ tuâ in tua charitate, & in te uno cupio permanere in æternum. *Insiste affectibus amoris*, ut sup. vel *Exercitio*.

Anima Dei sedes.

Catharina Senensis praxis.

Iob 17.

Cæli enarrant gloriam. ut infra 918.

PVNCTVM IV. Considera aliquos modos quibus particulariter Deus est in aliquibus locis. Primò, in cælo, ubi ostendit gloriam suam, eoque adspira. Secundò, in terra singulari modo est, ubi dat signum aliquod præsentiæ suæ, ut cùm Jacobo apparuit, qui mox ait, Verè Dominus est in loco isto, & ego nesciebam: hoc etiam pacto est in templis & oratorijs, ibique varias inspirationes à Deo concedi expende, variaque tibi ibi collata beneficia, & toto corde gratias age. Tertiò, peculiariter est in justis, qui enim manet in charitate in Deo manet, & Deus in eo, & opta ut similiter semper in te permaneat. Quartò, pro te est & manet in Venerat. Eucharistia, ideòque cogita quomodo pro illo beneficio gratus esse queas, crebrò & magno affectu eum visendo, magnâ reverentiâ Missæ sacrificio assistendo, &c. Quintò, IESVM cōsidera in cælo secundùm humanitatem sedentem, & hæc omnia nostra gubernantem. Vides quàm sit Deus tibi variis modis præsens, quàm prope & quàm longè tamen à te, si quando graviter peccas, & offendis eum, & obliviscaris ejus? O Domine

Gen. 28.

1. Ioan. 4.

Domine, quid est homo quòd memor es ejus, aut filius hominis quia reputas eum? *Psal. 8.*

Homo græcè Enos: seu oblivisens.

Punctum V. Considera primò quàm turpe sit Deum ubique non cessare omnia sustentare pro te, ut sui memineris, omnibus te allicere ad amorem, & innumera tibi conferre beneficia (quæcunque enim ulli creaturæ conferuntur hominis gratia. meritò eidem dicuntur præstari) & rursum præservare te ab innumeris malis, (omnia enim accidere tibi possunt) & te non meminisse illius! Gregor. Nazianz. ait; non tam sæpè respirare oportet, quàm Dei meminisse. Deus enim continuò & continenter nobis benefacit, &c. Considera Secundò, tam utile hoc exercitium esse, ut Dionysius Rickelius inter omnia hoc dicat præcipuè curandum, & hanc unam causam, quòd pauci perveniant ad perfectionem, quod aliis variis exercitiis, & devotionibus, & hoc non ut oportet, utantur. & addit: Moveant te ad frequentandum hoc exercitium dicta sanctorum Patrum, qui omnes communi consensu, quasi ab uno edocti magistro, videlicet Spiritu sancto, nos ad hoc studium exhortantur. Considera Tertiò, quanti fecerit hoc S.P. N Ignatius, illud unum ferè inculcando, & cum omnibus Sanctis, Davide, & alijs usurpando. Quartò expende loca aliqua S. Scripturæ, quibus commendatur hoc exercitium: Quærite Dominum, ait, & confirmamini, quærite faciem ejus semper. & iterum; In omnibus viis tuis cogita Dominum, & ipse diriget gressus tuos. & rursus attende quoties unus Magister noster Christus ad orationem nos hortetur, usque adeò ut dixerit: Oportet semper orare: Quintò attende quomodo hoc exercitium nos Angelis similes & beatis faciat, qui semper vident faciem Patris. Et verè contemplatio hæc hic est beatitudinis initium. Præterea utilitatem expende, & quantus ex eo sit spiritualis profectus, primò quia puritatem cordis adfert, & à peccatis arcet, ut in Thaide

Greg. Naz. orat. de curâ pauperibus præstandâ.

Exercitij præsentiæ Dei utilitas.

Scriptura S. commendat hoc exercitium.

Ps. 104.

Prov. 3.

Luc. 8.

& Ephremo declaratur. & verò quis coram judice præsente peccare audeat? Secundò tentationes nos superare facit, animosque addit, ut patet in Susanna casta. Sine Dei præsentia verò homo fit aut per luxuriam velut bestia, aut per iram velut dæmon ut ille in vitis PP. Tertiò hoc exercitio stabilitas cordis in oratione acquiritur, & in tribulatione constantia, dum omnia à manu Domini accipiuntur. Quartò acquiritur etiam omnium virtutum perfectio, hoc enim exercitio cor Deo unitur & illustratur ut etiam exteriùs appareat, quemadmodum stellæ Soli oppositæ lucent. Quintò maximè autem amorem Dei promovet, & consolationem spiritualem, quia sicut de Iosia loquitur Scriptura in omni ore quasi mel dulcorabitur Dei ac Domini nostri memoria, & ut musica in convivio vini. Denique vide quid in humanis faceret præsentia Regis, patris, judicis, amici, sponsi, fontis omnis boni coram sitiente, panis omne in se delectamentum habentis coram famelico, hoc Dei præsentia præstat hominibus. Si hæc vera credo, & tu credis, ô Lector, quod aliud purus erit tuum meumque studium, quæ oblectatio? quod solatium?

Eccli. 49.

Vide quid Regis præsentia in humanis faciat.

EXERCITIVM.

Psalm. 18.

CAEli enarrant mihi gloriam tuam, ô immense Deus & omnis creatura, quàm oculis mentis perlustro, clamat in auribus meis. Magnus est Dominus, & magna virtus ejus, sed & ratio mea in vestigiis istis tuis deprehendit te: elucet enim ubique & etiam in corde meo, sapientia, potentia, bonitas tua, & numquid in te vivimus, movemur & sumus, velut spongia in mari, in aëre volucris? quomodo ergò præsentem te non cognosco, aut tui oblivisci possum? numquid respicis me assiduè, omnes vias meas oculis tuis multò lucidioribus sole consideras? & quid est ergò quod te latere poterit? tu es enim verè Dominus, solus Deus invisibilis, inæstimabilis, inscru-

Aug. li. de spec. c. 3.

incircumscriptus, illocalis, immensus, incomprehensibilis, ubique totus, ubique præsens, ineffabiliter omnia continens, omnia penetrans, omnia sciens, cuncta prospiciens, omnia potens, universa gubernans totus in cælo, totus in terrâ, totus etiam ubique: gressus meos, semitasq; consideras, & die noctuq; super custodiam meam vigilas, omnes semitas meas diligenter notans, speculator perpetuus, veluti si totius creaturæ tuæ, cæli, & terræ oblitus, tantùm me solum consideres; & nihil sit tibi curæ de alijs. Neque enim tibi crescit lux incommutabilis visionis tuæ, si tantùm unum adspicias; neque minuitur, si innumera videas & diversa. Sic igitur super custodiam meam stas, sicut si omnium oblitus sis, & mihi soli intendere velis; semper quippe te præsentem exhibes, semper te paratum offers, si me paratum invenis. quocumque iero, tu, Domine, me non deseres, nisi prior ego te deseram.

Deus singulis ut omnibus intendit. August. Soliloq. cap. 14.

Fateor quidem; quia quidquid facio, & quæcumque facio, ante te facio; & illud quidquid est quod facio, meliùs tu vides quàm ego qui facio: quidquid enim ego semper operor, tu pariter semper præsens aßistis, utpote perpetuus inspector omnium cogitationum, intentionum, delectationum & operationum mearum. Cùmq; hoc diligenter considero, Domine Deus meus, terribilis & fortis; timore pariter & ingenti rubore confundor, quoniam nobis magna indita est necessitas justè rectèq; vivendi, qui cuncta facimus ante oculos judicis cuncta cernentis. Et ita quidem est, Salvator mi; sed longè magis me trahere ad te amor tuus, longè magis excitare torpentem debet, quòd sis lux vera illuminans omnia; potentia infinita, quæ operaris omnia propter me. Per te enim lucet mihi sol, & astra, ac sidera palatij tui patriæ meæ: per te me refrigerat aër, & calefacit ignis, & innumera operantur per te: me cantu suo vario recreant volucres cæli, & invitant ad laudem tuam: per te mihi herbam & omne lignum profert terra, & de visceribus suis innumera producit. hunc ornatum universo & pulcritudinem quis dedit, nónne tu pulcritudo & perfectio summa, velut de oceano guttam, & ex sole radium exiguum tribuisti, ut qui ex te esse ista videmus, ad te fontem omnium suspiremus & veniamus?

Necesse est nos rectè vivere in Dei præsentia.

Omnis creatura servit homini.

August. in Confess. *O quàm serò te cognovi, pulcritudo tam antiqua, tam nova, serò te amavi! Væ tempori illi quando non amavi te. Væ mihi, & iterum væ, si quando non amaverim te. Vtinam potiùs non essem, quàm essem aliquando absque te! eßent meritò mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte, si rursum aliquando diceretur mihi, Vbi est Deus tuus? Flebat Magdalena, quòd tulissent Dominum, & nesciret ubi posuissent eum: & quid agerem, spes animæ meæ, si discessisses à me in furore tuo ob peccata mea, & scirem ubi esses, & magnum chaos esset inter me & te? avertat hoc benignitas tua, neque me à te unquam separari permittas. Ecce sum in terra deserta, invia & inaquosa; apparet mihi benignitas & humanitas tua, erudiens me, ut abnegando impietatem & sæcularia desideria, adhæream tibi, & libero corde volem ad te, ut videam semper virtutem tuam, & gloriam tuam.*

Psalm. 1. Psalm. 3. Ioan. 20. Psalm. 62. Tit. 2.

Ps. 122. *Ecce sicut oculi servorum in manibus dominorum suorum, & oculi ancillæ in manibus Dominæ suæ, ita & oculi mei ad te, Domine Deus meus, donec miserearis mei. Miserere igitur, & da mihi semper te præsentem intueri, suspicere, & amare per gratiam tuam: non loquatur mihi deinceps, ut homo, Superior quisquis est meus, sed tu mihi, qui docere soles utilia, & optima præcipere: illi enim os tuum sunt, & oraculum & tabernaculum tuum: & qui eos audit, te audit. Proximos verò meos, cùm sciam membra tua non lædam facto, non tangam verbo, non cogitatione: qui enim eos tangit, tangit pupillam oculi tui, sed quod tibi nequeo, qui nullius indiges, & omnia largiris, hoc in illis tibi faciam amantissime Deus meus, & quæ mihi dederis retribuam tibi; in illis te complectar, in illis te amabo, te pascam, solabor, si quid verò mihi ab ulla creatura proveniat, ad te respicient oculi mei: omne enim datum optimum, & omni donum perfectum de sursum est descendens à te Patre luminum. Non scribit calamus, non pingit penicillus, non canit tuba, non defendit ferrum, sed tu, Domine magna facis ista tu enim bonorum omnium artifex, & omnia operaris. Atque ita sicut nullum est momentum, quo homo non utatur ac fruatur tuâ bonitate & misericordiâ: sic nullum debet*

Zach. 2. Iacobi 1. Hugo de S. Victore

debet esse momentum, quo te præsentem non habeat in memoria. Instit. l. 3. de anima

Providebo itaque te, Domine, in conspectu meo semper, & undique me cingentem, & intimè me penetrantem intuebor, & amabo te, qui ubique es, & intra me habes solium tuum, supra me thronum regni tui. circumdas me velut aqua & aër, & ignis, & oceanus omnium bonorum; & quo vel quomodo à facie tuâ fugiam? vel potiùs cur non ambulabo cum timore & tremore in conspectu tuo, justissimè judex, & Pater misericordissime? numquid potest obliviscì homo factoris & tanti benefactoris sui: ecce omnia quæ sunt, propter me sunt, non pro se, neque pro te; sed clamant, ut diligam te, & memor sim tui. qui non cessas benefacere, neque mei meminisse, & si immemoris tui. quid, quæso, quid est homo quòd memor es ejus? Etsi hæc pauca sunt, Passionis tuæ, & dolorum tuorum nónne refricant memoriam universa, & ardenter nos provocant ad tui recordationem, quòd semper nobiscum esse in Venerabili Sacramento volueris? Psal. 8.

Vtinam jam dirumperes cælos, & descenderes in me, & à facie tuâ montes defluerent, qui separant me à te? sicut exustio ignis tabescerent, aquæ arderent igni, ut notum fieret nomen tuum inimicis tuis. A sæculo non audierunt, neque auribus perceperunt, oculus non vidit, absque te, quæ hìc præparasti expectãtibus te, & amantibus. O amator hominum, quomodo, cùm tot modis te præsentem habeo & credo; attamen te, ut debeo, nec video, nec amo, nec revereor? quid faciam, Deus meus, refugium meum, spes mea, gloria mea, & gaudium meum? tu solus solari me potes, tu confirmare. Veni, ostende mihi faciem tuam, & mansionem apud me fac. Pone te ut signaculum super cor meum, ut signaculum super brachium meum; ut in re perpetuò maneam, & in charitate tuâ, ut ambulem coram te omnibus diebus vitæ meæ, ac in sæcula sæculorum contempler vultum tuum, ô desiderium oculorum meorum. Amen. Applicatio ad Communionẽ. Cant. 3.

Modi præsentiæ Dei & praxes.

PRimò, considera animo, & loco quieto, in ijs quæ præsentia videris, Deum per essentiam, præsentiam & potentiam: Primò, per essentiam; quia, ut suprà dictum, replet cælum, & terram substantiâ suâ, ac magis intimus unicuique rei est, quàm anima humano in corpore. Secundò, per præsentiam: quia omnia clarè & distinctè cognoscit, & ab æterno, scrutaturque renes & corda nostra. Tertiò per potentiam; quia omnibus dat esse, & conservat, & in iis operatur. Idem fac cùm tribulatio supervenit, aut quispiam beneficium contulit, ut in auctorem omnia referantur.

In Deum omnia refer.

Secundò, attende, quomodo in ipso vivamus, & moveamur & simus, & respiremus, & ambulemus, undique ab eo circumdati.

In Deo nos vivimus.

Tertiò, post sacram communionem peculiariter hanc Dei præsentiam exerce: neque tantùm id credendo, & ratiocinatione ad vivum repræsentando, sed fidem simul & spem, & charitatem conjungendo.

Quartò, vide eum, ut è cælo considerantem omnes gressus & actiones tuas.

E cælo nos Deus considerat.

Quintò, te uti templum Dei existima, & in corde tuo, velut sacrario Deum adora; ibique eum velut Moyses ad tabernaculum consule. quæ enim esset prudentia Sapientiam æternam & veritatem apud se habere, & ejus consilium & voluntatem, cùm sit Rex regum & Dominus dominantium, non exquirere?

Cor nostrũ Dei templũ.

Sextò, considera diligenter creaturas, quibus se divina Sapientia comparare dignata fuit, ut sunt leo, agnus, lapis angularis, &c. aut à quibus pati, ita D. Franciscus ad adspectum agni tenerrimè afficiebatur. alius omnia ad Passionem Christi referebat, cùm aut scalas videret, aut clamorem, aut tumultum audiret, aut malleorum ictus, aut pluviam adspiceret: sanguineæ enim pluviæ, & instrumentorum Passionis grato animo memoriam recolebat.

Creata vos Christi & Dei admonent.

Septimò, creaturæ omnes, ut beneficia Dei, attendi possunt, & audiri hæ earum voces: *accipe, redde, cave*: si quid enim tribuunt mortalibus à Dei manu, vicissim postulant Deo grates reddi, & caveri abusum, amoremque in ipsum transfundi.

Creaturæ voces quæ?

Octavò, in creaturis rationalibus Deum intueri ad charitatem valet plurimùm & obedientiam, id est, omnimodam perfectionem, ideòque in Superioribus Ecclesiasticis & sæcularibus

In proximo Deum attende.

bus Deum honora, eorum mandata ut Dei vocem accipe, qui enim vos audit, ait Dominus IESVS, me audit; & qui vos spernit, me spernit, & qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit, ait Paulus, nõ est enim potestas nisi à Deo. Et S. Bernard. Sive, ait, Deus, sive homo vicarius Dei mandatum quodcumque tradiderit, pari profectò obsequendum est curâ, pari reverentiâ deferendum, ubi tamen Deo contraria non præcepit homo. Similiter considerandus est Deus in proximo, ita ut quod illi fit, Deo nos facere existimemus: Quod enim, ait Dominus, uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis: & quidquid ab illis fit, à Deo nobis fieri arbitremur, non huic illíve tribuamus, sed cùm Iob una sit nobis vox: Dominus dedit, Dominus abstulit. Iucundissimum verò hoc est exercitium, neque parum ad charitatem conducit, quando proximos velut mẽbra Christi intuemur & complectimur. Vnde D. Leo: Cùm, inquit, hanc venerabilium meorum consacerdotum splendidissimam frequentiam video, Angelicum nobis in tot Sanctis sentio interesse conventum; nec dubito nos abundantiore hodie divinæ præsentiæ gratiâ visitari, quando simul adsunt, & uno lumine micant, tot speciosissima tabernacula Dei, tot membra excellentissima corporis Christi, tabernaculum enim & membrum Christi quilibet est proximorum nostrorum.

Luc. 10. *Rom. 11.* *Lib. 1. de præcept. & disp. c. 12.* *Matth. 25.* *Nota.* *Iob 1.* *Charitatis utile exercitium.* *S. Leo ser. 1. in annunt.*

Nonò, suppeditabit praxes varias D. Bonaventura in epistola sua, quæ memorabilia vigintiquinque complectitur. Vigesimum, inquit, secundum est, quòd Deum semper & ubique habeas in memoriâ, ut solutus ab omnibus creaturis, tanto mentis conatu, desiderijque fervore, circa tuum Creatorem intendas, ut quasi omnium inferiorum oblitus, quidquid agas, & ubicumque steteris, & quibuscumque negotiis impliceris, die ac nocte ex omni momento & horâ Deum semper habeas in memoriâ, credens & cogitans te esse verissimè coram eo, & ipsum cogitans undique te aspicere. Hæc autem cogita cum magnâ reverentiâ, ac timore pariter & amore, & cum magnâ discretione, nunc ante pedes immensæ majestatis ejus prostratus, corde amarissimo peccatorum veniam postulando, nunc sacratissimæ Passionis Filij Dei, gladio compassionis coram ejus cruce vulneratus cum eo lacrymosus & flebilis apparẽdo; nunc totius vitæ illius decursum, obliquitati tuæ velut rectitudinis lineam proponendo; nunc inenarrabilia & immensa beneficia Dei mente pertractans, gratiarum actionibus insistendo; nunc stimulis ipsius amoris ardentissimè punctus, ipsum in creaturis omnibus intuendo, nunc potentiam, nunc sapientiam, nunc bonitatem & clementiam ejus attendens,

S. Bonav. *Varij modi præsentiæ Dei.*

cum devotissimè in cunctis operibus suis collaudando; nunc desiderio patriæ cælestis attractus ad ipsum gemebundis suspirijs anhelando: nunc circa nos viscera inæstimabilis charitatis ejus adspiciens, lætabundâ quâdam & excessivâ admiratione, corde & animo, in ipso deficiendo; nunc te præcipitem, nunc te fugientem, nunc te ruentem; nunc Deum te tenentē, sublevantem, retinentem, & attrahentem, nunc Deum te ingratum per omnia conservantem considerans, ineffabilibus divinæ misericordiæ visceribus tibi patefactis, nimio in eo charitatis ardore te conferens totum te fletibus resolvendo; nunc verò occultissima, profundissima, & summè arcana nimiúmque stupenda judicia justitiæ ejus diligenter attendens, cum in omnibus fidelis & constās cum summo amore, ingenti quoque timore ac tremore discretus, supplex & humilis venerando: præ omnibus autem continuam & vivam memoriam ipsius sacratissimæ Passionis in animo & corde tuo ferens, et quantum potes studeas conformari.

Corporalis præsentia est discretè usurpanda.

Observa circa hoc memoriale, præsentiam illam corporalem circumspectè esse frequentandam, ne imaginatio lædatur, & caput offendatur; sed gradatim, & absque magno conatu iste modus exercendus: ita ut Primò, in cubiculo Christum Dominum cum curiâ cælesti præsentem statuamus, adoremus & alloquamur, postquam autem facilitatem hujus & usum acquisiverimus, ab hoc cubiculo ad alia transire, exercitiumque transferre possumus, & imaginibus sanctis animæ nostræ templum adornare.

Intentio recta perutilis.

Neque valdè laborandum initio, ut hoc vel illo modo præsentē habeamus. Sufficit enim in genere id fieri, & intentionem rectam crebrò innovare, quæ etiam communicationis cum Deo, & præsentiæ illius commodum est exercitium.

Affectus plus hic præstat quàm speculatio.

Moneo tamen plus affectu hic, quàm speculatione, plus aspirando, & cum Deo colloquendo fructus, quàm ex consideratione referri; immò ex affectu plurima consideratio sponte germinat, & velut ex fonte promanat.

Signa adhibenda.

Humilis in primis oratio, & crebrâ cum charitate hoc donum impetrare solent. Signorum etiam aliquorum externorum usus conducit, ut est annuli, horologij pulsus, imaginis, &c. *Dignatus es*, ut sup. pag. 10.

IACVLATORIÆ.

Psal. 26. *NE abscondas faciem tuā à me, & ne declines in irâ à servo tuo.*
Psal. 41. *Quando veniam, & apparebo ante faciem tuam?*
Psal. 24. *Respice in me, & miserere mei, quia unicus & pauper sum ego.*
Psal. 33. *Ecce oculi Domini super justos, & aures ejus in preces eorum.*

Sicut

Sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ, ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri. Psal. 122.

Si ascendero in cælum, tu illic es; si descendero in infernum, ades. Psal. 138.

Quò ibo à spiritu tuo? & quo à facie tuâ fugiam? Ibidem.

Ostende nobis faciem tuam, & salvi erimus. Psal. 79.

Vt quid Domine, recessisti longè, despicis in opportunitatibus, in tribulatione? Psal. 9.

Verè Dominus est in loco isto, & ego nesciebam. Gen. 28.

CAPVT XIII.

De Amore Dei.

OBSERVA Primò, amorem esse inclinationem voluntatis in bonum aliquod. Secundò, eundem esse duplicem: alterum concupiscentiæ, quo diligimus illud, quod nobis volumus: alterum amicitiæ, quo diligimus illud, cui bonum volumus. Tertiò, cùm ignoti nulla sit cupido, cognitionem boni amoris esse originem. Illa autem triplex est; prima, quâ cognoscitur bonum, quasi per auditum, ut cùm narratur mihi vinum esse bonum, Secunda: cùm quasi per visum percipitur; Tertia, per gustationem. Audire in amore Dei est incipientium, videre proficientium, gustare perfectorum. Audite, ait Propheta, audientes me, & comedite bonum. Secundò, monet, Vacate & videte; quod proficientium est. Tertiò, Gustate & videte.

Duplex amor.

Origo ejus est cognitio triplex.

Isa 35.

Amor triplex.

Ps. 45.

Observa Secundò, hinc sequi quo aliquod majus bonum est, eo magis esse amabile, si tamen satis cognitum fuerit. Cognoscere igitur oportet, Hæc est enim vita æterna, ait Dominus, ut cognoscant te solum Deum verum & quem misisti IESVM Christum.

Ioan. 17.

Meditatio de Amore Dei.

PRÆLVDIVM I. Constitue te coram Deo, & in præsentia ipsius.

PRÆLVDIVM II. Roga humillimè ut amorem suum tibi largiatur: id omnium donorum maximum.

PVN-

PVNCTVM I. Considera, divinam Majestatem tibi tres potentias dedisse, memoriam, intellectum & voluntatem: has autem velut tabulas esse, & ab objectis suis aut perfici aut corrumpi: nulla autem nobilior est voluntate. qualis enim amor, talis homo est; talis verò amor, qualis res amata. si ergò bonum amas, bonus es, si malum, malus; si summum bonum, valdè bonus & optimus: nam anima verè plus est ubi amat quàm ubi animat, illique quod amat unitur, ac velut inseritur & servit, ejusque affectiones omnes experitur, velut suas. nónne qui opes formámve amat, ejus vicissitudines in se sentit? perit hæc? perit anima quæ illi adhæret: dolet? dolet & illa. gaudet? congaudet etiam ista. O quantò ergo beatius Deo conjungi & adhærere, & unũ spiritum fieri cum illo, & quasi Deum, juxta illud, Ego dixi, Dij estis! Talis enim anima omnia potest in eo qui se confortat, nihil timet præter illum. Ergo apud te sic statue firmissimè: optimus esse cupio ut placeam Deo meo, illum optimum amando toto corde, totâ animâ, & verè solum optimum, & bonum, nemo enim bonus nisi solus Deus.

Voluntas nobilissima.

Qualis res amata, talis est qui amat.

Aspira, ut sup. pag 8. *Hæccine firmâ*, &c.

Considera & dicito mihi, si pulcerrima videre posses, an fœda ac funesta optares? si audire dulcissimam melodiam, eligeres absonam? Si ergo sensibus tuis optima eligis objecta, cur non amori tuo summum bonum, ut optimus sis? sed respuis etiam oblatum ubique & præsentissimum: nullum enim Deo ejusque bonitate præsentius & præstantius; ergo toto tibi corde diligendum esse propone, ô anima, summum bonum, & sic ratiocinare: Si honor, si voluptas, si quies, si substantia aliqua diligenda est, Deum tibi præ omnibus esse diligendum: omnia enim quæ desiderantur, non valent ei comparari. Credis hoc? Immò, si dederit homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione, quasi nihilum despiciet eam. Si ergo comparari

Cant. 8.

parari non potest, summè diligi debet Deus. Si enim aliquid diligo, quia bonum; quod millies melius, magìs amare debeo. Cur ergo per multa vagaris, ô homo, quærendo bona animæ tuæ & corporis? Ama unum bonum, quod omne bonum est, & satis est; Desidera simplex bonum, quod est summum bonum; & sufficit. Rivuli bonorum concupiscibilium diversi: fons unus omnium Deus, sed melior & concupiscibilior fons quàm rivulus, causa quàm effectus: immò incomparabiliter melior, nolo verò, Domine, te amare, ut te fruar, referre Creatorem ad creaturam; sed diligere te super omnia, & præ me, & omnibus. Tu enim solus bonus es, tu solus Dominus, tu solus altissimus, tu ignis consumens, tu es qui dixisti, in igne zeli mei devorabo terram; & rursum, Ignem veni mittere in terram. & quid volo nisi ut accendatur? Accende ergo me frigidam terram, & consume quidquid terrenum est, elegi te hodie, ut sis mihi in Deum, & omne bonum, & omne desiderium meum. *Quis dabit*, ut infrà.

Anselmus.

Deus ut summum boni summè diligendus.

Deut. 4.

Soph 3.

Luc. 12.

Punctum II. Considera, quare aliquid vel aliquem in hoc mundo ames. primò ob naturæ conformitatem; sic omne animal diligit sibi simile. Et ne quid hîc deesset, ô homo, ecce pro te, audi, & exardesce, dignatus est immortalis fieri mortalis; æternus, infans unius diei super terram. Si igitur amas hominem, qui tecum factus est homo, quantò magìs Deum, qui pro te factus est homo? *Hæccine vera*, ut sup p. 7.

Ratio cur ametur, est similitudo. Christus homo est, ut eum diligas.

Secundò, quia præsens est is quem amas Quis autem magìs mihi & tibi est præsens quàm Deus noster? certè novi, novi, quòd sis mihi verum & omne bonum intimè præsens, & semper, & ubique per essentiam, præsentiam, & potentiam: Intus, aiebat ille, eras, & ego foris, & ibi te quærebam, & in ista formosa, quæ fecisti, deformis irruebam: mecum eras, & tecum non eram: ea me tenebant long à te, quæ si in te non essent, non essent. *Credo tibi*, ut sup. pag 8.

2. Præsentia.

August 10. Conf. c. 27.

Tertiò,

Vtilitas. Tertiò, amatur aliquis, quia utilis est. Quis verò tibi est utilior, quàm Deus tuus omne bonum? quis tibi digniora dedit in substantia, majora in quantitate, permanentiora in duratione, meliora & oportuniora? qui proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, immò nullum bonum nisi ab illo. Omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est. Quem ergo potiùs amabis? fontem ex quo manat tibi bonum, an canalem, per quem manat? auctorem Deum, an latorem? auctor in se Deus, ille in omnibus operatur, inclinat beneficos, conciliat aversos, ipse solus aperit manum, & implet omne animal benedictione. *Aspira*, ut sup pag. 8. *Hæccine firmâ*, vel *Quis dabit*, ut infrà 932.

Rom. 8.

Amabilitas. Quartò, amatur aliquis, quia amabilis, affabilis, suavis. sed quis te amabilior, Deus meus? Vidi Dominum, aiebat ille, facie ad faciem, & salva facta est anima mea. Ideò, Domine, tibi dixit cor meum, exquisivit te facies mea, faciem tuam, Domine, requiram.

Gen. 32.

Exercere hîc potes fidem, spem, & charitatem, ut sup.

Cognatio. Quintò, amamus hominem, quia consanguineus, ut parentes: sed Deus meus, creator meus, nónne à te sum quod sum? nũquid, ô anima, non ipse est pater tuus, benignus & providus pater, qui possedit, & fecit, & creavit te? dignatus est insuper fieri frater noster, & pro fratribus animam ponere? Immò, ait, quicumque fecerit voluntatem Patris mei, ille meus frater & soror, & mater est. Denique sponsus est tuus, qui dixit. Sponsabo te mihi in fide. O Sacramentum verè magnũ, & magnum pietatis & amoris argumentum! *Quis dabit*, ut inf. 932.

Deut. 32.

Osea 2.

Fidelitas. Sextò, amico fideli, ait Sapiens, nulla est cõparatio, diligitur hic sæpè suprà fratrẽ: fidelis autẽ amicus Deus meus est ab illius enim amicitia nec novus superveniẽs excludit, imo nec à gradu, vel loco, quem in animo suo mihi dedit, nec dignitate mutat mores; apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio:

nec

nec indignitas mea eum efficit alienum: quoniam excelsus Dominus, & humilia respicit. nec miseria mea alienat eum: qui Lazarum, quem diligebat, in monumento quæsivit. & Patres quos amabat, de inferno ipse liberavit Ne dimittas antiquum amicum, ô anima mea, & ab æterno, & in æternum: novus enim non erit ei similis, Ecce ascendit ad Patrem nostrum, & Deum nostrum, non est oblitus nostri: quia ubi amor, ibi oculus meus. O quoties nos respexit! omni tempore verè diligit, qui amicus est: imò ipse amicus ante omne tempus, qui cùm dilexisset suos, verè in finem dilexit eos.

Ps. 37.

Eccli. 9.

Prov. 17.

Ioan. 13.

Quis dabit, ut in fr. vel ut sup. pag. *exerce amorem.*

Punctum III. Considera: quas personas, quas res in mundo hoc diligas; & rationem exquire, amoremque omnium in auctorem omnium transfer, & dic: Tu enim Domine fecisti ea, qui pulcer es, pulcra sunt enim; qui bonus es, bona sunt enim; qui es, sunt enim: nec ita pulcra sunt, nec ita bona sunt, nec ita sunt, sicut tu creator eorum, cui comparata, nec pulcra sunt, nec bona sunt, nec sunt. *Hæccine vera*, ut sup. pag 7.

Quicquid boni in creaturâ magis in Deo. August.

Secundò, considera quàm multa, & quanta benignissimus Deus ab æterno voluerit, & in tempore contulerit creatis omnibus. Vide jam cæli & quæ sub eo magnitudinem, speciem, pondus, numerum, mensuram: & cur hæc iis contulit? Nónne propter te, utque amares magis donatorem quàm donum? Itáne facis? Nunc fac tibi creata loqui, quid dicerent puras? dedit nos Deus tibi, sed ut te dares illi; servimus nos tibi, ut tu servias illi; corrumpimur ut tu subsistas; non cupimus amari abs te; quod optimum habes, amorem tuum tribue Deo, ama Deum, & cum lauda uti nos laudamus, utque tu id facias, libenter patimur, ut corrumpamur à te, & intereamus, vt tu vivas; ut convertamur nos in saniem & in sordes, ut tu æternùm vivas. Hæc sustinemus jussu ejus, & propter eum, qui fecit te & nos, indignamur verò

Creatura expostulatio cum homine.

verò si nos tu cæce suspicis & illum despicis; si per nos de te triumphet diabolus, cùm ad Deum te ducere velimus. pudet nos simulacra nostri posita esse propter nimium in nos affectum in templo cordis tui, de nobis sæpiùs quàm de illo cogitari, & te sollicitum nobis immolare non animalia, sed animam tuam, & propter nos æternis eam supplicijs addici. Nunquid meritò dicit Apostolus: Omnis creatura ingemiscit, & parturit usque adhuc? Tertiò, considera beneficia Creatoris tui, Patris liberalissimi, creationis, redemptionis, vocationis, & multiplicis inspirationis; ac perpende, quòd tam longanimiter te respexerit, & exspectarit, ubi innumeri perierunt; benignè acceperit te, cùm plurimos rejiceret; amantissimè tractarit, cùm indignissimè à te habitus fuisset. Quartò, cùm hæc omnia & singula maxima sint, tamen, quod his omnibus majus est, est charitas ejus. Amor enim non gignitur, nisi per amorem; nec beneficia, nisi à benevolo animo æstimantur. Recogita igitur, quòd ab æterno te amaverit, & sic dilexerit, ut dederit filium suum unigenitum; Pater, Filius, & Spiritus sanctus semetipsum, & te piget redamare, & te reddere ei cujus es. *Hæccine vera,* ut sup. pag. 7. Quintò, considera magnum incentivum esse amoris, quòd aliquis à nobis diligi velit, vult autem Deus noster, Deus inquam, noster, magnus ille Deus, & laudabilis nimis, cuius magnitudinis non est finis, à te vermiculo diligi: & toto corde non amabis eum? atque adeò, hoc est, ejus primum ac maximum mandatum. Tu mandas, ut diligam te bonum meum, & omne & solum bonum. O durities humana! mandari nobis oportuit ut amaremus te? Quis odisse potest, aut aversari fontem bonorum omnium? Hæc tua postulatio: Fili, præbe mihi cor tuum. Neque solùm vis simpliciter, sed, ô incomprehensibilem dignationem! ecce, ecce, velut in omni creatura occurris mihi, Deus meus, & per omnes id petis à me. Si oculos aperio, omnia

Amorem Dei considera.

Deus vult à nobis diligi.

Id petit per creaturas omnes.

omnia clamant, hortantur, ut diligam te. Nihil audio, quo non enarretur gloria tua: quamcumq; igitur portam, vel fenestram aperio animæ meæ, ades amator mi. Si sentio odorum fragrantiam, ecce odor Dei mei, ut curram in odorem unguentorum tuorum. Si sapit cibus, ille, ille est, quem creavit potentia tua, sapientia cōdivit, bonitas ministravit, ut gustarem, & videre, quàm esses suavis. Oleum verò tui amoris supernatat omnibus creaturis: fons hic irrigat omnem terram: aurum hoc vestit hunc mundum, templum gloriæ tuæ. Et verò, non dubiâ, sed certâ conscientiâ, Domine, amo te: Percussisti enim cor meum verbo tuo, & amavi te. Sed & cælum, & terra, & omnia quæ in eis sunt, ecce, undique mihi dicunt, ut te amem: nec cessant dicere omnibus, ut sint inexcusabiles. Altiùs autem tu misereberis, cui misertus eris; & misericordiam præstabis, cui misericors fueris. Alioquin cælum & terra surdis loquuntur laudes tuas. Quid autem amo, cùm te amo? non speciem corporis, nec decus temporis, nec candorem lucis ecce istis amicum oculis; non dulces melodias suavium cantilenarum omnimodarū; non florum, & unguentorum, & aromatum suave olentiam; nō manna, & mella; non membra acceptibilia carnis amplexibus. Non hæc amo, cùm amo Deum meum: & tamē amo quandā lucem, & quandam vocem, & quendam odorē, & quendam cibum, & quendam amplexum, cùm amo Deum meum, lucem, vocem, odorem, cibum, amplexum interioris hominis mei; ubi fulget animæ meæ, quod nō capit locus; & ubi sonat, quod non rapit tempus; & ubi olet, quod non spargit flatus; & ubi sapit, quod non minuit edacitas; & ubi hæret, quod non divellit satietas. hoc est quod amo, cùm Deum meum amo. Et quid est hoc? Interrogavi terram, & dixit: Non sum: & quæcumque in eadem sunt, idem confessa sunt. Interrogavi mare, & abyssos, & reptilia animarum vivarum, & responderunt: Non sumus Deus tuus; quære super nos,

Psalm. 145.

Rom. 9.

Aug. l. 10. Confess. c. 6.

Quid est amare Deum.

Creatura loquuntur de Creatore.

Interrogavi auras flabiles, & inquit universus aër, cum incolis suis: Fallitur Anaximenes, non sum Deus tuus. Interrogavi cælum, solem, lunam, stellas: Neque nos sumus Deus, quem quæritis, inquiunt. Et dixi omnibus his, quæ circumstant fores carnis meæ: Dixistis mihi de Deo meo, quòd vos non estis, dicite mihi de illo aliquid: & exclamaverunt voce magnâ, Ipse fecit nos. Interrogatio mea, intentio mea, & responsio eorum, species eorum. O quot sunt mihi monitores & stimuli, ut amem te! Itáne difficilis & amara res, amor tui, Deus meus? O amor Dei mei suavissime, verè propitiatorium nostrum, verè tabernaculum fœderis, reclinatorium aureum, laborum solatium! valdè omnino amandus mihi es, per quem sum, vivo, sapio, si non ingratus sim & indignus. Dignus planè est morte, qui tibi, Domine JESV, recusat vivere, & mortuus est; qui tibi non sapit, desipit; & qui curat esse, nisi propter te, pro nihilo est, & nihil est. Propter te metipsum Deus, fecisti omnia; & qui esse vult sibi, & non tibi, nihil esse incipit inter omnia.

Psalm. 99.

Bern. ser. 20. super Cant.

Exercitium.

QVis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo, & requiescam in te, Deus meus? ubi enim inveniet pes meus & cor meum requiem, nisi in te? ex quo, per quem, & in quo sũt omnia, qui solus immobilis, æternus, optimus, benignissimus & suavissimus es. quò cæcus ibo, nisi ad te, lumen æternum illuminans omnem hominem? quo satiabitur cor meum, nisi te uno, ô vera & unica satietas? Si dulcedinem appetit, nónne verè tu dulcedo ineffabilis, & totus desiderabilis? Si pulcritudine capitur, pulcer es, dilecte mi, candidus & rubicundus, speciosus formâ præ filiis hominum, in quem desiderant Angeli prospicere. Cur ergo, te fonte omnis boni & pulchritudinis relicto, ibo ad cisternas, quæ continere non valent aquas, id est creaturas vanas? An iis quibus usus fui, satiatus sum? nónne irritatus miser? Si commodo ducor, & quietem amo, tu vera requies mea in sæculum sæculi, tu sola vera mentis delectatio, tu mea gloriatio. Si amare delectat, cur non sum-

Contemptus mundi.

summum bonum potiùs quàm nihil, & summum malum? cur non potiùs mei verè amantissimum, quàm odientem me, te inquã dulcissime Jesv qui vere es amator ineffabilis, & infinitus, & interminabilis, qui ante mundi constitutionem me dilexisti, qui tui in his omnibus pignus amoris dedisti, qui mille modis in singulis creaturis, in singula momenta amorem tuum in me declaras?

Heu mihi, Domine, væ duro cordi meo, si non liquescat hoc amore, si hoc igne non calescat! obruis me beneficis tuis, & ingratum & fugientem à te, invitas ut veniam, imò undique me conservas, & gestas velut gestari solet infantulus, imò abluis peccata & lepram meam sanguine tuo. Obstupescite cæli super hoc, portæ ejus consolamini vehementer, quia magnificavit sic Dominus facere nobiscum. Venite omnes, venite qui timetis & diligitis Dominũ, & enarrabo vobis, quanto fecerit animæ meæ, introduxit me in cellam vinariam, ordinavit in me charitatem. O vos Cherubini & Seraphini, vos tegitis pedes & facies, quia pudet non satis amare tantum bonum, Deum nostrum; Quid ergo faciam miser & miserabilis, quid faciam? Dominus Jesvs pro me, non pro vobis mortuus est, nec nos lavit sanguine suo, nec triginta tribus annis pro vobis multa passus est, & dura & indigna, sed verbo creavit vos, & me morte suâ recreavit, & redemit; moriar millies, moriar potiùs quàm non amem te, mi bone Jesv, qui quotidie dignaris descendere ad me, ut ego accensus amore tui particeps esse queam regni tui quod sic præparasti mihi, & corporis & sanguinis quem sic mihi propinasti.

O Domine, quasi ebrius esse videri posses amore, qui Dalilam istam ita prosequeris: nescis, quia ille jam te prodidit Philistæis hostibus tuis? scis, Domine; sed patiens es & longanimis super malitiâ hominum, & postquam insultavimus tibi, & fornicata est anima nostra cum amatoribus multis si revertatur ad te, suscipis illam. & poteritné fieri, ut ultrà obliviscar tui, & adhæream creaturæ fallaci? dignus est sanè morte, qui tibi, tibi Domine Jesv, recusat vivere. Qui enim manducat te, nonne vivet propter te? vivam tibi, cui omnia vivunt: qui enim tibi non vivit, jam mortuus est morte secundâ vivam itaque tibi, qui soli mihi vixisti, laborasti, mortuus fuisti, qui mihi hæc omnia, quæ mundus

habet, dedisti; &, si hæc pauca sint. adjicies sine dubio majora. Sed, ô Domine, quis ea de manu tuâ quæsivit? non satiarunt hactenus, neque satiant me, non delectant, sed cruciant: clamant enim mihi in auribus meis de pulcritudine tuâ & bonitate: & cùm longè sis ab oculis carnis, & intra penetrale animæ meæ, anhelans quæro te & non invenio. Ostende mihi faciam tuam, & sufficit mihi, ostende mihi faciem tuam. veni, quia ad te suspiro, cur avertis faciem tuam? si vulnerasti me amore tuo, ô charitas Deus meus, infunde oleum misericordiæ tuæ, & sana me dulcedine ejus. sed tamen, ô Domine, voluntas tua fiat, fiat id quod tibi placet, non quod mihi: si abis, benedictus esto, & laudabilis in sæcula: si venis, benedictus esto, in æternum, in æternum.

Verumtamen ne me deseras, ne despicias me, neque longè abeas à me, ne me derelinquas, Pastor bone, oviculam tuam solã in terrâ horroris & vastæ solitudinis, sed trahe me post te, sitq; semper anima mea plùs ubi amat, quàm ubi animat. Heu mihi quia incolatus meus prolongatus est! heu mihi! sed quoniã ita tibi placet, placet & mihi; velle enim meũ obtuli tibi, tuũ est, & ego tuus, & omnia mea tua, & tua mea immensâ charitate tuâ. Nolo, Domine, nolo ut velle meum mihi unquam restituas, cultrũ in manum pueri. Corpus & animam dicavi tibi, conserva hæc, sicut placet, & impende sicut tibi placet in obsequium tuum. Vnum tecum esse desidero, & nonnisi propter te volo; petitionẽ tamẽ parvulam petam à te, & confido, quia non confundes faciem meã. O Domine ne derelinquas me, ne proijcias me unquam à facie tuâ, ne unquã obliviscaris mei, neq; permitte ut unquam obliviscar tui. Venat mihi millies mors potiùs, quàm vivam sine te, aut in ullo displicã tibi. Sed da mihi ut amem te, & omnes omnino trahere possem ad tui amorẽ. Minaris enim nobis æternas flammas, nisi amoris tui igne accendamur, & mandas ut ego, ego te amẽ. Fateor, indignissimus sum, ut amem & teneam te, ut tamẽ dignissimus es qui ab omnibus ameris, & in primis à me qui sic N. dilexisti me. Sed, Domine mi, quid, quæso, mihi sum ipse, quid tibi, ut amarite habeas à me, & ni faciam, irascaris mihi, & mineris ingentes miserias? parvanẽ ipsa est miseria si non amem te, imò mors amarissima & sempiterna. Vtinam igitur ex hoc nunc in æternum,

August.

ô bo-

ô utinam semper suspirem ad te, suavitas ineffabilis; utinam semper sitiam ad te, fons aqua vivæ; semper anhelem, desiderium collum æternorum; semper suspiciam ad te, amabilissime sponse animæ meæ; semper vivam tibi, ô unica vita mea; semper moriar pro te; insatiabiliter appetam te, satietas vera; confugiam ad te, refugium meum; semper memor sim tui, amor æterne; semper amplectar te ulnis animæ, nec dimittam donec lætitiâ inenarrabili te videam, & satier, & te stringam, & tibi inhæream, & in te liquefiam, & unum tecum sim, & in me esse desinam! Noli unquam, Pater mi, oblivisci prodigi pueri tui; noli, misericors Deus, Creator mi, creaturæ tuæ. nihil est illa quidem, & tu omnia. ita est; sed propter me fecisti omnia, & nihil horum odisti quæ fecisti: sed pro me tanta fecisti & pertulisti. si despicis miseriā meā, respice bonitatem tuam, & amorem tuum erga me indignissimum, dicet ille tibi, me tuum esse, & certè non potes quin illum mihi des, quia promisisti, Veritas æterna. Da mihi illum, & da mihi ut illum omnibus prædicare possim, & te hic & in æternum laudare, & in amore tui vivere & mori, Amen.

Praxis, ad amorem Dei excitandum.

PRima. Eadem hujus exercitij praxis est quæ præsentiæ Dei & puræ intentionis. Exercitia item zeli, & Passionis Christi Domini imprimis meditatio, quemadmodum etiam beneficiorum Dei frequens consideratio; de quibus omnibus suprà variis locis actum est. Methodus verò ad amorē vera est mortificatio, maximè amoris sui, & vanitatis, & ad Deū ex rebus creatis adspiratio. *Mortificatio methodus ad amorem.*

Secunda. Quotidie etiam expedit in meditatione aliquam Dei perfectionē considerare, atq; eâ in se caritatis ignem suscitare ac fovere. Nullum enim exercitium exercitio amoris præstantius, cùm, ut Apostolus declarat 1. Cor. 13. cætera omnia ab hoc nihil prosint; & hoc unum in ictu oculi nos Deo gratissimos efficiat, & ex hostibus amicos, ex miseris felicissimos. *Charitas in momento nos beat.*

Tertia, eaque admodum utilis, in proximo Deum agnoscere, illique præstare quæcumque benevolentiæ ac charitatis opera, perinde ac si Christo Domino fierent. Dulcissimum hoc exercitium est, quod de Deo benè mereri, eique qui nullius indiget, largiri multa possumus. Sed de hoc pluribus, cùm de charitate proximi agetur, dicendum erit. *Proximo præsta quod Deo.*

Quarto erit, Ven. Eucharistiæ non ex consuetudine, & negligens frequentatio, sed devota ac religiosa. in eâ enim spiritualis dulcedo, quasi in fonte ipso, degustatur. Examinate ad proprietates amoris, seu gradus, quos vide in D. Bernard. Bonavent. Richardo, de gradibus caritatis. Primus gradus est, quòd amor sit inseparabilis; ut anima cum Apostolo dicere possit, Quis me separabit à Charitate Christi? Secũdus, quòd sit insatiabilis: ignis enim nunquam dicit, Sufficit: nihilque sibi egisse umquam videntur, & servos se dicunt inutiles qui eo succensi. Tertius, quòd sit invictus. Fortis enim ut mors dilectio & aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem. Quartus quòd sit delectabilis, dicereque anima possit amore isto succensa. Introduxit me Rex in cellaria sua. Memor fui Dei, & delectatus sum. Quintus, quòd vulneret animam ardentibus desideriis & plurimis, quibus optat ut omnes ei serviant, & omnes trahere ad eum conatur. Sextus, quòd semper Deum sitiat, semper eum præsentem habeat, omnis ei creatura memoriam illius revocet. Septimus, quòd desideret conjungi & esse cum Christo, nõ tædio vitæ, sed charitate impulsus, quisquis eâ fuerit inflammatus. Potes singulos expendere devotè & contemplari quòd tam imperfectè ames, & addere: Credo tibi & in te spero, & toto corde te diligo. Poteris etiam has jaculatorias miscere. *Dignatus es,* ut sup. pag. 10.

Gradus amoris & quomodo iis utendum.

JACVLATORIÆ.

Psalm. 112. *QVis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat, & humilia respicit in cælo & in terrâ?*

Psalm. 72. *Quid mihi est in cælo, & à te quid volui super terram?*

Psalm. 102. *Benedic anima mea Domino, & omnia quæ intra me sunt, nomini sancto ejus.*

Psalm. 56. *Exaltare super cælos, Deus, & super omnem terram gloria tua.*

Psalm. 85. *Non est similis tui in dijs, Domine, & non est secundùm opera tua.*

Ibidem. *Quoniam magnus es tu, faciens mirabilia, tu es Deus solus.*

Psalm. 144. *Confiteantur tibi, Domine, opera tua, & sancti tui benedicant tibi.*

Psalm. 146. *Magnus Dominus noster, & magna virtus eius, & sapientiæ ejus non est numerus.*

Aug. lib. 10. Conf. c. 29. *Minùs te amat, Domine, qui tecum aliquid amat, quod propter te non amat.*

CAPVT

CAPVT XIV.

Meditatio de charitate proximi.

COMPOSITIO LOCI, considerare Sanctos, ex omniũ Sanctorum gloriâ, ut sua, gaudium captantes, & Christum Dominum fraternè cum illis agentem. *Oratio* ut suprà.

PVNCTVM I. Considera Primò, & examina an in te verè reperias signa charitatis. Primum est, sua non inordinatè quærere, suumq; commodum non spectare; Secundum, bonis proximi congaudere, & malis tristari; Tertium, bonum illius ex animo promovere cujusvis generis, & avertere mala; Quartum, defectus ejus tolerare potiùs quàm quicquam charitati ac benevolẽtiæ detrahere, & sic adimplere legem Christi JESV: hoc est enim alterius onera portare; Quintum, affabilem omnibus se exhibere; Sextum, sua spiritualia & temporalia ultrò etiam & hilariter communicare. vides cur inter sæculares rarò poterit esse perfecta, nisi animo sint augusto ac liberali? Septimum, neminem judicare temere, nemini obloqui, aut facilè repugnare. Considera Secundò, charitatẽ, amicitiam & concordiam esse unicum vitæ solatium, sine quâ nec animalia esse possint: quodque fuerit omnibus bonis etiam ab Ethnicis prælata, solique comparata. Considera Tertiò, quãta ex charitate & concordiâ commoda promanẽt, nullum verò ex dissensione proveniat, sed incommoda gravissima: ab illâ auxilia mutua adversus hostes, quibus undique cingimur: omnium est communio bonorum, & solatium malorum. denique ubi duo sunt congregati in nomine Domini, ibi est in medio eorum. Quid autem ibi deesse potest, ubi omne bonum Deus ipse singulari benignitate adesse dignatur, omnibusque postulatis annuere? ait enim Dominus JESVS, Si duo

Signa charitatis proximi.

Gal. 6.

Charitas est magnum solatium.

Deus est ubi charitas.

Matth. 18.

ex vobis consenserint super terram, de omni re quamcumque petierint, fiet illis à Patre meo. *Aspira*, ut sup. p.8. *Hæccine firmâ fide, &c.* ibid.

PVNCTVM II. Considera in proximo Deum, & quâ ratione ille Deo & Christo conjunctus sit per naturâ: siquidem primò opus atque imago Dei est, & servus; per gratiam verò filius ejus, Christique frater & miles, & hospes, & templum, atque amicus tantus, ut pro eo sanguinem & vitam dederit suam, paratusque sit millies pro unoquoque dare si opus foret. Adde dona; fidem, spem, & virtutes, & gratias quæ in eo sunt, quas certè negligere, & formam externam attendere, nonne turpissimum est? Indignum tot causas amoris te præterire, & levem nævum qui te alienet, observare. Tuæ agrum optimum despicis, si fortè lolium innascitur? tu nummum, si non ex auro optimo? Tu teipsum si inspexeris, plura comperies, ob quæ meritò despiciaris: atque id omnino futurum est justo Dei judicio, si proximum judices: ut quâ mensurâ mensus fueris, remetiatur tibi. His consideratis, vide quis est à quo alieniorem te esse putes, & rationes allatas appende, amoris scilicet cum causis aversionis. *Hæccine vera*, &c. ut sup. p. 7.

Considera Secundò, hunc ipsum proximum penetrari à Deo intimè, uti & te etsi tot defectibus plenum, & omnia quæ tum in eo, tum in teipso mala sunt, conspici: attamen Deum hominem non fastidire, non deserere, imò rogare, pulsare, & cum eo conversari velle, illumque amare, ut fratrem, militem, filium carissimum, seipsum illi tradere in cibum & potum. O incomprehensibilem charitatem! Imitare & huic affectui insile.

Tertiò, considera proximum, qualis aliquando futurus sit in cælo, id est, perfectum, & virum, & regem tibique; in omnem æternitatem verè amicissimũ, ideoque nunc ut pueri infirmi, ignari, &c. imperfectiones ferendas statue. Quartò, expende veritatẽ hujus sententiæ, Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis, in extremo

Matth. 25.

tremo judicio pronuntiandæ. O Jesv, cùm hæc sciã, & credere me profitear, poteritné fieri, ut ego servus tuus imaginẽ tuã despiciã? irascar ei, & oderim quẽ tu amas, & tã longanimiter apertis ulnis expectas? aut negabo ei propter amorem tui, quod tibi debeo omnino infinitis titulis, & ab aliis mihi præstari opto? O *Iesu*, ut inf. p. 942.

Pvnctvm III. Considera, quantum requirat Deus ut si inter homines conjunctio, ac Primò quidem appẽde Dei præcepto te teneri omnes amare sicut teipsũ, atque hoc qui implet mandatum, legem implere, & nulli magis prodesse quàm sibi, qui eam servat. Omnibus enim charus est, fruiturque perpetuâ pace & gaudio, & omnibus bonis; siquidem de proximi bonis ac prosperitate æquè gaudet ac suis. *Exerce hîc charitatem*, ut sup.

Deus præcipit ut ames, negabis? Matth. 19.

Considera Secundò, quòd non amare tantum, sed ita debeamus, sicut Deus dilexit nos. Mandatum, inquit Dominus Jesvs, novum do vobis, ut diligatis invicem sicut dilexi vos. adeò ut Joannes dicat, Et nos debemus pro fratribus animas ponere: D. Paulus verò, Si quæ, ait, consolatio in Christo, si quod solatium charitatis, si qua societas spiritus, si quæ viscera miserationis: implete gaudium meũ, ut idem sapiatis, eandẽ charitatem habentes, unanimes, id ipsum sentientes, nihil per contentionem, neque per inanem gloriam; sed in humilitate superiores sibi invicem arbitrantes, non quę sua sunt singuli considerantes, sed ea quæ aliorum. *Aspira*, ut supr. pag. 8. *Hæccine firma fide*, ut sup. pag. 8.

Ioan. 15.

1. Ioan. 3. Quomodo sit, amandus proximus. Phil. 2.

Considera Tertiò, sic voluisse Dominum Jesvm conjunctos esse homines inter se, sicut Pater & Filius unum sunt. ita enim oravit abiturus in cælum, Non pro eis autem rogo tantùm, sed & pro eis qui credituri sunt per verbum eorum in me, ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te; ut & ipsi in nobis unum sint, ut credat mundus quia tu me misisti. Vide an hanc unionem imitere, & imitationis affectui insiste.

Quomodo oporteat conjunctos esse inter nos. Ioan. 17.

Considera Quartò, communem hostem esse qui dissidia civilia inter nos molitur, quantaque iniquitas sit, cum illo in æternam perniciem meam & fratris conspirare, concordiâque unitas vires esse invincibiles. O IESV *charitas*, ut infrà pag. 942.

Quintò, perpende mensuram, quâ diligimus proximum, esse eam, quâ Deum diligimus; adeoque necessariam, ut Apostolus dicat, Si linguis hominum loquar & Angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans, & cymbalum tinniens: & si habuero prophetiam, & noverim mysteria omnia, & omnem scientiâ: & si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam; charitatem autem non habuero, nihil sum: & si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum, ita ut ardeam; charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest. O IESV *charitas*, ut in f. pag. 942.

1. Cor. 15. Mensura amoris proximi est Dei.

PVNCTVM IV. Considera, quali vinculo conjunctos nos esse oporteat proximo, ex illo loco, Obsecro vos ut dignè ambuletis vocatione, quâ vocati estis, cum humilitate & mansuetudine, cũ patientiâ, supportãtes invicem, solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis. unum corpus, cujus caput Christus, unus spiritus, scilicet sanctus, & amor. Itaq; vide, ut membra unita se ament, & an tu sic tuum proximum. deinde vide quanta unio esset, si anima una, seu spiritus te & proximum informaret: tanta enim procul dubio inter Christi membra meritò esse debet. Addit verò Apostolus, In unâ spe vocationis vestræ: vocati enim sumus omnes ut Deum amemus, & serviamus ei, ibique præmiũ exspectemus, ubi omnes gaudent de bono alterius æquè ac suo; ubi in æternum erimus concives illius Ierusalem, & domestici Dei. Et quid, quæso ô frater, an verbũ, an offensio, an injuria aliqua à charitate nos poterit separare? Vna nobis fides est, doctrina & lex, & media omnia ad salutem, unum baptisma, per quod ejusdem

Ephes. 4.

Quanta unio requiratur.

dem nationis, immò patris filii ſumus; eodemq; Chriſti ſanguine abluti, cætera quoque omnibus Sacramẽta communia; unus omnium cibus corpus Chriſti, & potus ſanguis ejus; unus Dominus omnium, qui ex uno omnes homines produxit; unus Deus, gubernans & regens omnia; unus mediator, Paſtor, dux, & ſignum militiæ, Magiſter, & Dominus; denique idem Pater omnium. Numquid, inquiebat Propheta, non pater eſt unus omnium noſtrûm, quare ergo deſpicit unuſquiſq; veſtrûm fratrem ſuum? Poſtremò mater omniũ eadem Eccleſia, & (ſi Religioſus es) Religio, ex quo capite omnia bona & mala communia ſunt, omnia ſimilia, veſtis, victus, &c. Eſtné credibile ubi tot ſunt charitatis adminicula, ejuſque tanta præſtantia, fieri poſſe ut ob fruſtum terræ, & res nihili illa contemnatur? *Exerce hîc charitatem*, ut ſuprâ. vel ut infrà O JESV *charitas*, *&c.* pag 942.

Omnia ad unum referuntur & charitatem.

Malach. 2.

PVNCTVM V. Conſidera Primò, ſi proximus te lædat, nónne eo ipſo ſatis miſer eſt, cùm tu vindicem habeas Deum, apud quem talis pœnæ reus eſt, quam nemo crudeliſſimo hoſti optaret? & hæc non tibi ſufficit, ſed inſuper ulciſci vis & iraſceris, &c. *Credo tibi*, ut ſup. pag. 7. Imò jam tanto graviùs ille punitus eſt à ſe, quo vulnus & mors animæ graviora ſunt vulnere & morte corporis; atque ita verè magnâ commiſeratione potiùs dignus eſt, eoque majore, quo minus cognoſcit. Secundò, vide quanta incommoda in omni ſocietate, & familiâ, & animâ eiuſque potentiis talis hominis. defectu charitatis oriantur. Tertiò, quantum ſcandalum ſit ſi Chriſtianus, multò magis, ſi Religioſus, alienum ſe ab alio gerat, ab alio diſſentiat & contendat. Quartò, attende Sanctos omnes, & Angelos eſſe ejus quem odiſti ſinceros amicos, maximè Angelum cuſtodem, & Deum opt. max. cur igitur tu non es? Cave, cave, tangere Chriſtum Domini & pupillam oculi ejus. Quintò, vide quàm turpe non amare inimicum propter Dei volun-

Ladens aliũ commiſeratione dignus.

voluntatem, quem amares ob leve beneficium, vel ob levem reparationem injuriæ. Sextò, dic mihi, vellésne Deum odisse tuum inimicum, vel alienum ab eo esse? ergo nec tu oderis, nec alienus esto. Septimò, vis aliquando tandem conciliari? cur non modò? nunquid diligendo faciliùs, quàm odio vinces inimicitias? & quid ex his tibi vis? fratri & proximo malè? & tibi nónne eo ipso pessimè? de bonis ejus vis dolere, & cruciari iis quibus ipse gaudeas, cùm possis congaudere? Eo magis certè si improbus sit gaudebit, quo certiùs noverit se bonis gaudere, quibus frustrà tuum deas. Vide, precor, quanta insania. O charitas infinita, Deus meus, ne permitte, obsecro, ut malitia mea ita crescat, ut post tot rationes, ob verbulum & nummulum, filios tuos offendam, aversor, ac præceptum abs latum violem. Sanguis tuus, quem fudisti, molliat durum cor meum, ut diligam te ex toto corde meo, & proximum meum sicut meipsum, propter te ad gloriam nominis tui. Amen.

Exercitium.

O JESV, *charitas immensa, Deus meus, qui nos sic amas, atque ubique nobis adstas, & sustentas, quis ô Sol justitiæ, quis potest se abscondere à calore tuo? quæ poterit glacies cordis reperiri, quæ non liquefiat hoc amore & sanguine tuo? Mitte, mitte de excelso ignem in ossibus meis, tu, cujus ignis est in Sion, & caminus in Ierusalem. Tu, qui dilexisti me & proximos meos, & lavisti in sanguine tuo, da mihi te diligere ex toto corde, & proximum propter te, ut filium tuum, ut fratrem, amicum, & membrum tuum. talem eum dignatus es efficere, atque adeò asserere, quod mihi, quod ulli etiam inimico tuo fit, tibi fieri, & eum qui nos tangit, tangere pupillam oculi tui. Absit ergo ut unquam ego, ille, vel ille aversionis dederit occasionem, & hoc ipso valdè miserum se fecerit, propterea eum aversor, & me per summam dementiam sponte lædam, cum communi hoste conspirem, contra illum & me, imò contra te & præcepta tua, quæ pro nobis amantissime*

Isaiæ 31.

tissimè condidisti. Scio, scio, si diligentes tantùm diligam, cùm etiã Matth. 5.
Ethnici & Publicani hoc faciant, mercedem non habiturum me, neque te patrem, qui sinis solem tuum oriri super bonos & malos; & pluis super justos & injustos. Absit igitur ut ulli malè velim, de ullo loquar malè, aut charitatis signa negem, quin potiùs ultrò offeram, ut te sequar, qui cùm adhuc inimici essemus pro nobis mortuus es. O Pater cælestis, cupio filius tuus esse per gratiam tuam, & cupio in æternum. Signum hoc tuum, bone Iesv, *hoc gerere volo, ut sciant omnes quia discipulus tuus sum, qui non tantùm pro injustis etiam mortuus es, sed & ingratos nos tuos filios & fratres pascis tuo corpore & sanguine, qui cùm maledicereris non maledicebas; tradebas autem judicanti te injustè. Si tu posuisti animam tuam pro me, ego gratia tua pro te & pro proximo ponam, nullas unquam alam inimicitias; sed dimittam debitoribus meis, & dimitto coram curiâ tuâ, ut tu mihi, cui millia talentorum debeo, dimittas: & dimitto de corde meo, obsequium atque amorem, eiusque singularia signa præstare volo maximè adversarijs meis* N. *quia non ille me, sed te bone* Jesv, *& pupillam oculi tui, & ego me sponte meâ ego me læsi; illi ostenderunt me mihi, qualis essem, amator scilicet mei, qui ne quidem verbum unum pro te pati æquanimiter possim, pro omnibus doloribus & beneficiis tuis, pro tot peccatis meis. Quis id credat de me Christiano? Vbi est ergo amor meus? ubi fortis ut mors dilectio? dura sicut infernus æmulatio? amor certè ubi est, operatur & patitur: si operari & pati recusat, amor non est. Ecce video quanta sustineantur pro amore pecuniæ & formæ vanissima! dies pauci videntur, & labores parvi præ amore, & mihi quidquam durum erit agere aut pati pro te & charitate, quæ est vinculum perfectionis, finis legis, & major omnibus holocaustomatibus & sacrificiis? O charitas immensa, Deus meus, concede mihi ut maneam in te, & tu in me: qui enim manet in charitate, in te manet, & tu in eo. Et qui manducat tuam carnem & bibit tuum sanguinem, in te vivit & tu in eo. Iam non miror, ô* Jesv *benignissime, dicere Psaltem tuum. Ego dixi dij estis, & filij excelsi omnes; panis enim quem nobis das, caro tua est pro sæculi vitâ. O Rex regum, ô Majestas infinita* Marc. 12.

Applicatio ad Communionẽ.

dignare

dignare me præsentiâ tuâ, & vilissimum illud domicilium cordis mei non despicias; est enim contritum & humiliatum, & anhelat ad te, & requiescere non potest nisi in te. Concede, obsecro mihi, ut numquam verbo, neque linguâ offendam proximum meum, omnis enim qui detrahit, vacuũ seipsum prodit charitate, & ferit eam in omnibus qui se audiunt lingua maleſica, & quantum in se est, necat funditus & extinguit. Fodit etiam hic corpus tuum, & membrum de membro, nec jam exanime fodit, sed facit exanime fodiendo. ipsis quoque nocentior est spinis, quas illi tam sublimi capiti furor militaris imposuit: seu etiam clavis ferreis, quos sanctissimis illis manibus tuis & pedibus consummatio Iudaicæ iniquitatis inflixit. Averte igitur hoc à me, benignissimè JESV, *& laudet te lingua mea, sitq; ipsa lignum vitæ, pilis mortuis, & solatium afflictis, & benedicat tibi anima mea omnibus diebus vitæ meæ, Amen.*

Bern. serm. 24 in Cant.

Detractor quid agat & quam nocens.

Bern. serm. de Tripl. custodi.

Praxis ad charitatem erga proximos fovendam.

Suspiciones vitandæ.

PRimò, cavere diligenter admodum oportet ne radix aliqua amaritudinis aut fibra suspicionis in animâ nostrâ serpere incipiat. Vix credi potest quanta ex levi suspicione nascatur sæpè animorum alienatio, crescit in odia magnamque flammam, eò quòd scintilla dissensionis extincta non fuerit. Hæc autem dæmonis astutia est, quâ conatur inter se conjunctissimos deparare. Præsentissimum hujus mali remedium charitas est, & magnitudo animi. Si enim suspicione natâ in te adires proximum, & jam non malum in bono vinceres, sed etiam malam suspicionem; multa mala in semine opprimeres: quæ ubi adoleverunt, ægrè eradicantur. Ex charitatis igitur lege omnia in bonum interpretare: charitas enim non cogitat malum. Sane stultissimum est fingere sibi hostem, & solâ suspicione talem efficere.

Omnia in bonum interpretari oportet.

Ne contradic facilè.

Secundò, nulli facilè contradicere. Nihil enim ut B. Ignatius dicere solitus est, tanti est, vt detrimentum charitatis possit compensare. Ideoque hortatur Sapiens, Fili in mansuetudine opera tua, & super gloriam hominis diligeris.

Civilis conversatio laudabilis.

Tertiò, beneficiis prævenire atque honore, sed vel maximè amore, nulla est major ad amorem invitatio, quàm amore prævenire: alio quàm se, amor non emitur. ideoque civilis & amabilis cõversatio & charitatẽ gignit & fovet; rustica atq; aspera etiam quos natura, aliaq; multa nomina conjungunt, deparat.

Quatò,

Quartò, examina te, an signa charitatis, quæ Apostolus ad Corinthios commemorat, in te reperias. Charitas, inquit, patiens est, benigna est: charitas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati: omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet. 1. Corint. 13.

Examē Charitatis.

Quintò, Opera misericordiæ exerce. Sed observa obsecro ut corporalia quantum potes sic conferas, ut simul etiam aliquid spirituale ingeras, ijsque velut esca utaris. Nunquid enim quem pavisti pane terreno hortari potes ut utatur cælesti? Cur quem vestisti terrenis, commonere omittis ut induat Iesvm & pietatem? quia autem captivi ut infirmi maximè idonei ad semen bonum verbi Dei suscipiendum; ideò adverte quæso ut ad ægros maximè periculosè laborantes, omnimodò accurras; eosque soleris & juves, ut infrà in præparatione ad mortem declaratur. De tribus verò cum iis age; Primò, de assecuranda anima per confessionem, pœnitentiam & communionem, idque exemplis allatis. Secundò, de temporis mercatus habendâ ratione per devotionem & indulgentias. Tertiò, de bonorum dispositione. Nulla huic officio functio est præponenda. Concio etiam plurima, studium & quidquid est, lucro huic cedit. Quoties concionator toto anno laborat, & quam sæpè paucos convertit! Et nec dum tamen in portu eos statuit ut in morte fit: seminat non metit, uti hoc casu, oppugnat hostem non vincit uti hic: hortatur ad bonum, sed hic impellit, ibi curat ad tempus ægrum, hic æternùm: ibi operam ludit sæpè, hic rarò.

Nota benè. Corporalia quomodo præstanda.

Ægris & moribundis juvandis insiste.

Sextò, Carcer etiam pietati idonea palæstra; Fac intelligat captivus Primò, non se solum, scriptum enim, cum ipso sum in tribulatione: & verè omnes sumus in magno mundi carcere & parvo corporis. Deinde sciat à quo illi hoc malum, & discat à Deo esse & apud eum Primò caussam agat. Dominus, ajebat Job, dedit, Dominus abstulit, & David ait: Dominus dixit Semei ut malediceret David. Quo fine captus sit videat; fortè quo fera, ne cui noceat, vel aliàs ut laceranda canibus aut lupis Regiæ mensæ apponatur. Custodia illi est ergò non carcer, & ad omnem virtutem stadium, ut daret in religiosis spontè carcerem ineuntibus, & eremitis. Hic prælusêre omnes ferè martyres à Ioanne Baptistâ inchoando. Fortè etiam ut furiosus detinetur ut sibi restituatur, & parcat. Si caussam ignorat, exploret cum B. Ephrem, cujus est illustre exemplum. Porrò curandum ut in omni carcere sint libri pii, & historiæ, quos legat quispiam etiam conductus. Secundò, Imagines piæ. Tertiò, Sacellum

Incarceratis quomodo juvandi.

Nota. Vide Raderum.

cellum. Quartò contra otium opus sit, & occupatio. Quintò, contritio in communi loco, manè & vesperi recitari posset, & examen institui. Sextò; si cætera adsint, etiam exercitia in eo fieri possunt S. Ignatij, ut factum scio. His excultus in Hispania quidam, & supplicium morte maturâ evasit, & sanctus habitus. Ita illis exercitatus suspiriis, lacrymis, ciliciis Deum placarat, non enim punit Dominus bis in idipsum. Septimò, animas in purgatorio ex charitate sedulò cura, his enim semper prodest oratio, & tibi gratissimæ erunt. Itaque indulgentias in applica, & fac ut in promptu habeas faciles modos applicandi illis indulgentias, ut mox auditâ morte eas suffragiis tuis adjuves.

Nota benè.

Exercitium breve pro incarceratis.

O Iesu, verè tu mihi ades, dixisti enim: Cum ipso sum in tribulatione: tu, Dominus, mihi es Adjutor, non timebo, quid faciat mihi homo, quid dico? quid inquam tu facias mihi. Tu enim mihi in hoc mundi carcere, & corporis constituisti me, & in eum descendisti pro me. & in hoc me esse vis tecum, & tot millibus Sanctorum quibus hæc palæstra virtutis fuit, & quorsum? ut redeam ad te, ut adhæream tibi, vel compulsus. Gratias itaque tibi ago, & fateor, merentur hæc peccata mea, ob quæ ex amore tui doleo, & condono iis qui nocere mihi volunt, ut à te mihi cupio condonari, & resigno me sanctissimæ voluntati tuæ, certò enim scio non patieris me tentari aut vexari suprà id quod possum, & nosti quâ viâ me ad te perducere velis ad regnum tuum. Tu per crucem, bone Iesu, Rex meus, invisti & tormenta, & ego quid querar? multis carcer custodia, asylum, via secura ad vitam, & te cui credo, in quem spero, quem toto corde diligo, Amen.

JACVLATORIÆ.

Ioan. 15. *HOc est præceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos.*

1. Cor. 13. *Si linguis hominum loquar & Angelorum, charitatem autem non habeam factus sum sicut æs sonans.*

Matth. 24. *Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.*

CAPVT XV.

Meditatio de Inimicis, & iis, qui nobis adversantur, diligendis.

PRÆLVDIVM I. Statue te coram Deo instar reiæ diffinæ majestatis, unà cum proximo.

PRÆLVDIVM II. Ora ut, sicut illi dimittis, ita tibi dimittat juxta legem suam & promissum. *Matt.6.13.*

HOMO, Quamvis stem coram te, Deus meus, & sciã plurima me talenta debere tibi, tamẽ urit me, & stimulat ira, & cogitationes meæ conturbant me gratìs, & frustra: benedictio enim tua Domine, super caput justi, os autem impiorum operit iniquitas. O quoties mihi occurrunt beneficia collata à me, & retribui ab illo N. mala pro bonis! siquidem ille injuriam intulit, aut etiamnum infert; estque alienus à me: Quid faciam? amore, an odio cum illo certabo? reconciliabor, an alienum fovebo animum erga eum, pro quo tu Christe Iesv mortuus es, pro quo me oportet animam ponere? *Prov.10.*

IESVS. Si hoc consideres, sol non occidet super iracundiam tuam; vide, fili, quis sit ille, quid sit quod fecerit, cur, quomodo, ubi, quando, deinde quid reconciliari; & ex singulis collige quo lenire malum ac dolorem possis Homo certè est qui nocuit, tecum ejusdem conditionis & naturæ; sed improbus, inquis. Ita est, morbos suos habet perpetuos: eorum aliquando, id est passionum, paroxysmos & accessus graves, variis oblatis occasionibus. Vt enim elephas aspectu purpuræ furore, leo etiam galli solius cantu pavore concutitur: ita homo levi aliquando occasione suæ affectionis pravæ frangitur impetu. Sed nónne etiam similibus laboras? inspice te coram me, & vide an tu ita velis à me judicari, uti tu proximum. *Vide quid proximo debeas.*

HOMO, Fateri debeo, ô IESV, sine vitiis nemo vivit, optimus ille est, qui minimis per gratiam tuam obnoxius est.

IESVS. Imò si humilis sis, Majoribus, dices, ego urgeor. cur igitur non tibi indignaris? an fortè te vincis, te coërces? Tuáne hæc virtus est? & an à te? nónne à me omnis est sufficientia? quis est qui te discernit? si par ergo illi es, patere: si impar, comparere illi, qui quòd illis

armis quæ tibi dedi careret, læsus primò fuit ab hoste, & tibi obtulit quo te lædere posses. Non verò læsit: siquidem nemo nisi à se ipso læditur omniũ prudentum judicio. Nónne enim tu contemnere injurias potes, & vanos conatus hostium mea gratiâ ridere, uti etiam in tormentis Sancti fecêre? Si aliter judices, ulcisci velis, imprudens es & insipiens. Si te læsisti, cur de alio quereris, & non de teipso? cur alium judicas frustrà, & non teipsum cum tuo fructu magno, simul & te ulciscens? sanè imprudens es & insipiens.

Tu te ipsum lædis & quereris?

HOMO. Doces me Domine verbo tuo, sed magis exemplo quod est verè penetrabilius omni gladio accipiti, verùm & alius me monet dicens: Apud sapientem locus nullus odio relinquitur. nam bonos quis nisi stultissimus oderit; malos autem odisse ratione caret: sicut enim corporis languor, ita vitiositas quasi quidam morbus est animarum.

Boëtius.

Cùm ergò ægros corpore minimè dignos odio, sed potiùs miseratione judicem; multò magis tales miserandi, ut video, sunt, non persequendi, quorum mentis improbitas est omni languore atrocior. *Exerce te in patientiâ*, ut suprà. vel *Aspira*, ut suprà. *Hæccine firmâ fide, &c.* vel O JESV *charitas*.

JESVS. Dicito mihi quid agis? fortè illum vis sanum reddere, qui teipsum ægro animo vides, & curare nequis? imò ab illius morbo malè afficeris contagione malâ, & sic in te transfers malum cùm avertere ab illo, & à te ipso deberes: cumque habeat proximus bona plurima, si rectè attendas, in nullo cum eo communicas præterquam in malo. O infelicitatem tuam, vel malitiam, qui omne bonum in agro & anima proximi odisti, quia spina una tibi displicet: illud autem negligis, & hac te vulneras? corpus ejus odisti totum, quia nævus in eo unus est? quin potiùs proximum ama ob bona & nomina plurima, quã oderis eum ob vitiũ aliquod ipsũ & simul bona in eo plurima? Si hæc autè ratio valet,

Inspice bona proximi.

let, Defectus habet, ergo eũ aversari volo, omnes omnino homines odisse debes; quia omnes habẽt vitiũ suũ, & tu ipse si hoc ignoras, longè gravissimum. Et quid si homines omnes insaniâ laborârent, vellésne tu ideò eàdem laborare? cur igitur, si unus aliquis illo vitio laboret, tu perturbaris, sævis, indignaris! iniquè facit, inquis. Nunquid, & tu in me iniquus, qui legem de charitate meam tam levi de caussa contemnis, & infirmum fratrem affligere vis? nónne medicinam ei deberes potiùs præstare, quàm exulcerationem? Vides ergo illum læsisse se & obtulisse tibi quo te simul læderes, teque arripuisse spinam, & cultrum illum tibi projecisse, quo sponte manum pedemq; indueres. tibi ergo imputa. Ille cœpit errare in viâ salutis, & hoc vides & dicis: Vis eũ sequi, quod tu vocas persequi? idque quia cæcus impegit in te, quod quidem non poterat, nisi tu qui videbas, in eum sponte incurrisses; cùm verò eum cæcum videres & phreneticum, nunquid potiùs miseratione tangi debebas? Si non illius, saltem mei. Vulnerabat ille me, tu vis addere vulnus vulneri? exclusit ille me perturbatione suâ, cùm in pace factus sit locus meus, & tu, fili, etiam me repellis?

Nemo lædi-tur nisi à seipso.

HOMO. *Hæccine vera, &c.* ut sup. pag. 7. Contrit. excita.

JESVS, Age verò, quid si frater, filius aut pater phreneticus te percutiat, conspuat, irrideat, nónne condolebis, morboque tribues? atqui ira brevis furor est, cur ita insanis ut longiorem tu efficere velis nolendo reconciliari, & graviorem, ut & ipse qui se prior læsit, respuat medicinam? Age verò quid fecit ille? enarra mihi coram curiâ meâ universâ coram quâ patent hæ cogitationes tuæ N.

HOMO. Verbo injurioso sic læsit me, contempsit, aversatur, vel vulneravit corpus, famam denigravit, rem abstulit, &c.

JESVS, Et ego factus sum opprobrium hominum, & abjectio plebis amore tui, & non velles illud

vicissim pati pro me? an ampliùs præstares mihi quàm debeas? An tibi putas noceres, si condonares hoc mihi verbum unum, qui innumera talenta dimisi tibi, & dimitti à me petis? Porrò contemnit te. esto; quot sunt qui me contemnunt? tu verò inter eos es despiciens legem meam, quà dimittere te jussi proximo tuo. An si contemnat quis me, ideò minor sum? si quis neget aurum esse aurum, splendere margaritas, & precio dignas, quid eis nocuit? si tu bonus eras & te contempsit, stultum omnino & indignum est ideo te malùm esse velle, & meritò contemni ab illo, & me, & omni curâ meâ. Si læsit te, non pudet quod tu injuriæ tuæ ultor & tortor fratris esse optes? tu qui Christianum te profiteris, & fortè Religiosum? Quòd si ita est, vide an apud te, apud quem asylum reperire facinorosi possunt, & quietem, non sit æquum ut eam inveniat frater? Certè si bonus eras, si humilis, an putas te conturbasses? si malus, nónne dignus eras qui sic acciperêre, ut vel saltem te cognosceres, & bonus esse posses? si vis ut ille innocentiam erga te servet, non noceat tibi, nónne vicissim ei patientiam debes? corpus ille, id est vestem tuæ animæ si læsit, infelix est; etenim ipse priùs vulneravit animam suam, scriptum est enim: Gladius eorum intret in corda ipsorum, scilicet ut tunicam alterius si ipse omnino permittat scindant. Sicciné tibi placet ista amétia? an simili etiam tibi corripi libet delirio, ut ulcisci velis, & ad corporis læsionem, vel famæ aut bonorum, animæ tuæ adjicere periculum, aut perditionem? At fortè partem substantiæ temporalis, terræ frustum, tua deniqúe perdidisti: vis igitur & cælum, & æternam projicere hæreditatem? vis virtutes omnes, patiétiam, humilitatem, charitatem? si enim harum vel unam haberes, animo certè quieto & benevolo esses. Adverte verò, fili mi, ubi is nocuerit tibi, nónne coràm me & Angelis meis in contemptum mandati mei? hoc autem toleravi, utpote quia misericors sum super malitiâ hominum,

Res non mutantur hominum dictis.

Dilemma expendendum.

Anacharsis.

Deus parcit fratri tuo, tu recusas.

minum. Aut justè fieri video, quod tu secus tibi factum arbitraris, & tu certè injustè irasceris; aut injustè fit, & si patienter ego sustineo, uti & peccata tua plurima, tu audes indignari? optas eum puniri? ex ore tuo te judico: si puniri oportet, nónne est quia legem non servavit? at neque tu servas. ego etenim Rex summus mihi vindictam volui servari, tu verò quo ausu temerario eã arripis? Age tandem, quando nocuit? certè illâ horâ & momento quo permisi, nec potuit diutiùs. An forsan arguis me quòd permiserim? Exerce te ad patientiam, & humilitatem, & contritionem vel dic, *Credo tibi*, ut sup. p. 7.

HOMO. Ex his & aliis circumstantiis elicere me præclaras, ut video, virtutis occasiones oportuit, & virtutis armis indui, & ad gloriam tuam ex spinis rosas colligere, ex alterius injuriis apud te fortitudinis laudem: melior enim est patiens viro forti, & qui dominatur animo suo, expugnatore urbium. Adjuva me Deus salutaris noster. De profundis clamavi ad te Domine, Domine exaudi vocem meam: fiant aures tuæ intendentes in vocem deprecationis meæ. nisi enim tu, Domine, adjuveris me, cadam in conspectu inimicorum meorum: neque enim est in me ista fortitudo, ut resistere possim, & nunc, Domine, memor esto mei, & ne vindictam sumas de peccatis meis, neque reminiscaris delicta mea, vel parentum meorum. *Credo tibi*, ut sup. p. 7.

Prov. 16.

Psalm 129.

IESVS. Spera in me, & confitere mihi, & requiem dabo tibi ab omnibus inimicis tuis, & facies cum tentatione proventum: sol non occidat super iracundiam tuam, sed inimicum animæ tuæ citò expelle, diligenterque sæpè considera, quis sit vindictæ odiique effectus, quis fructus patientiæ & pacis. Finge te hominem videre aversione atque odio vulneratum: aspice, quibus illudatur phantasijs, suspicionibus æmulationibusque: non quiescit memoria illius, sed furoris plena est & tristibus votis, intellectus verò excæcatur: neque quid

Ephes. 4.

æquum justumque sit, etiamsi millies ei repræsentetur, videt: si occasio est iræ, rixæ, contentiones ex radice amaritudinis germinantur, & in eas, imò etiam gladios itur. Contrà verò suavissima patientia, & charitas ac mansuetudo, inter adversa læta, adversariis benigna, inter medias acies secura est: in Dei enim protectione commoratur, & in pace in idipsum dormit & requiescit. Nunc verò omnia tibi ad æternam vitam ordinanda sint, quid eligis?

Patientia bona.

HOMO. Conturbata est in me anima mea, quid eligam ignoro.

JESVS. Verumtamen, si quis ex te percontaretur amicus, suaderésne proposito sine salutis in animo odium alienationemque fovere.

HOMO. Pax, dicerem, etiam justo bello præponenda, & seriùs ociùs quærenda est.

JESVS. Si ergo aliquando vis pacem, quorsum sinis odium inveterascere & exulcerari? cur crucias te centies, quo fructu? nempè ut semel adversario offeras, unde, si velit, sumere possit, quo se lædat! nónne ista mera malitia & dementia est, de aliena plaga quærere medelam? & pro medicamento alienum velle adhibere tormentum? Insania est teipsum occidere velle, ut jumentum, quod est corpus hostis tui, lædas: facem accendere, ut domum proximi exuras, quò simul peccas tuam priùs accendendo, & sic incidas in foveam quam fecisti, in laqueum quem parasti.

Insania impatientis.

HOMO. Video, ô sapientia æterna malitiam esse quasi ignem. si incendere quis aliquid velit, illud quod admovetur ut succendat aliud, accensum sit oportet, & faculam priùs ardere, quàm aliud possit accendere.

Malicia nocet Autori.

JESVS. Ita ergo impossibile est, ut malitia quæ procedit ex te, non priùs te vastet, lædat, antequam per te alteri noceat. Cùm autem mori communi omnibus lege debeas, (nemo enim evasit spiculum mortis, nemo stimu-

ſimulum) ſcis quâ horâ venturus ſim? veniam certè in die quâ nõ ſperas, & horâ cùm fortè minimè ignoſcere poteris, & fruſtra à me tibi ignoſci poſtulabis, & aliâ menſura remetiri tibi quàm quâ menſus es. Quid tum factum optabis? Patientiæ affectum exerce.

HOMO. Plurimum certè, patientiſſime IESV, omnem amaritudinem evomuiſſe, & pacificum fuiſſe, ut inter filios tuos poſſem numerari.

IESVS. Quid verò in iudicio reſponderes, quando à te leges, & conſilia mea deprehenderem eſſe contempta ego juſtiſſimus Judex? quam gratiam ibi ſperares, ubi ſoli miſericordes miſericordiam conſequentur? ubi ſola charitas & ejus opera mercedem & veniam impetrabunt? *Matth. 5.*

HOMO. Quanta confuſio eſſet, ſi ob vilem voluptatem, munus, favorem, dilexiſſem plurimos, & fortè ardenter, & quod nulla tua in me merita, nulla tua, ô JESV, mandata id potuiſſent efficere, ut ex corde dimitterem fratri meo.

JESVS. Si diligitis eos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? ſi conſervo tuo qui aliquot tibi debet denarios ignoſcere noluêris, quomodo remittam tibi debitum multorum talentorum, quod eâ conditione tibi me remiſſurum promiſi? dimittite dixi & dimittemini, miſericordiam volo & non ſacrificium; mihi vindictam, & ego retribuam? tu verò contrà dixiſti: Ipſe retribuam; & in eum fortè qui jam ſecundùm animam mortuus eſt, ultrò ſævire deſideraſti. Si enim in tempore gratiæ & veniæ, fueris recordatus ad altare, quòd frater habet aliquid adverſum te, ſacrificium offerre non potes; quomodo igitur veniam impetrabis, ſi in die furoris, iræ & calamitatis argui poſſis de odio erga fratrem tuum? Denique adverte, aut in æternum tecum iſte N. beatus erit, aut certè damnatus. ſi damnatus, nulla bellua eſt, quæ tali non commiſereatur. ſi æter-

Deus petit ſibi vindictam: Quid ais?

Oſea 6.

Matth. 5.

Dilemma pulcrum.

nùm beatus erit, & tu saltem speras, & æternùm futuri estis conjunctissimi, cur jam odia & aversiones fovere pergis? Non ita Sancti charitate pleni præiverunt, sed in bono vicerunt malum, & pro persequentibus cum S. Stephano orârunt, & nemo inventus est, qui non retribueret bona pro malis. Sciebant enim, quod Gregorius ait, Ianuam omnium vitiorum esse iracundiam. Erant filii Dei, pacifici & misericordes; Dei inquam, qui pacis & non dissensionis est Deus. Quòd si, inquit Apostolus, zelum amarum habetis, & contentiones sint in cordibus vestris, nolite gloriari, & mendaces estis adversus veritatem. non est enim ista sapientia de sursum descendens; sed terrena, animalis, diabolica. ubi enim zelus & contentio, ibi inconstantia, & omne opus pravum. Imò verò quot inter Ethnicos fuerunt duces & victores, quos efferre victoria solet, hostibus non tantùm clementes, sed & benefici, & victoriâ de hostibus partâ verè de se animoque suo triumphârunt, pacemque majorem in animo, quàm in Republ. peperunt. Tu verò vis possidere animam tuam? itaque patientiam amplectere, scriptum est enim: in patientia vestra possidebitis animas vestras. cor autem fatui ebullit stultitiam, & derelinquit illum, ac velut arreptitius aut olla fervens agitur & non agit.

Actor. 7.
Gregor.
Iracundia janua peccati.
Iacob. 3.

HOMO. At turpe non nemo putat vincere in bono malum.

IESVS. Exue igitur Christiani nomen, quorum est mala pati & fortiter agere: noli sub me crucifixo militare, ille qui tibi injuriam facit, eo ipso graviorem mihi infert, tangitque pupillam oculi mei. Et tamen parco illi Dominus; & non vult servus? Iudex, & non vult reus? differo vindicare, & non est mihi dedecus, tibi verò illud ex patientia venturum existimabis? Quid verò dices si aspexeris in me Salvatorem tuum, qui etiam pro inimicis mori dignatus sum? & antè omnia quasi mei & amicorum oblitus pro ijs cum lacrymis Deum

Exemplum Christi sequendum.

patrem

patrem rogavi. *Exerce imitationis affectum*, vel dic. O IESV *charitas, &c.* pag. 942.

HOMO. Apparuit charitas & benignitas tua, ô pastor bone, qui pro ovibus tuis animam ponere dignatus es.

JESVS. Et vos, dixi per Apostolum, debetis pro fratribus animas ponere. 1. *Ioan.* 3.

HOMO. Ecquis ergo, Domine JESV, Christianus exoptabit vindicari sese, humiliari adversarium, membrum tuum affligi? & cùm tu ipse, Domine IESV, ob injuriam tibi, dum mihi ut pupillæ oculi tui illatam vulneratus fueris; egóne atrociori vulnere iterum percutere nitar? quasi non sit satis te semel quasi vulneratum & despectum? Doces me, & clamant tua vulnera, Domine JESV: Discite à me quia mitis sum & humilis corde: quomodo ergo injuriam fieri mihi existimabo, si mitis, si humilis esse jubear? *Matth.* 11.

IESVS. Attende ad Patrem tuum qui in cælis est, qui pluit super justos & injustos, solem oriri facit super bonos & malos, ut tu diligas etiam inimicos tuos, benefacias his qui oderunt te, & ores pro persequentibus te. *Matth.* 5. *Dei & Christi exemplũ imitandum.* Si salutaveris amaveris amicos tuos tantùm, de iis benè senseris, locutus fueris; mercedem non habebis. Imò verò quis credat te amicum verè diligere ob leve beneficium, cognationem aut quid hujusmodi, quando ego Dominus tuus, qui te dilexi ab æterno, sanguine meo redemi, quotidie paratus eodem te alere, & æterna regna promittens, hoc tamen impetrare à te non possum, ut me diligas? Siquidem manifestè convinceris, si à proximo alienus es, à me Deo tuo aversus esse. Qui enim se dicit diligere Deum, fratrem autem suum odio habet, mendax est, & veritas in eo non est. *Aspira*, ut sup. pag. 8. *Hæccine firmâ, &c.* ibid. 1. *Ioan.* 4.

HOMO. At diligo, spero, gratiâ tuâ, nullusque est cui malè velim, imò, omnibus optimè cupio, condono, si quid in me peccârint, ut me etiam inter tuos agnoscas.

JESVS. Vide ergo, ne vites ullius alloquium, aspectum, familiaritatem, minùs benignè agas, honorificè loquaris, corrigi eum velis, &c. An etenim fili, cupires tali mensurâ à me amari? Certum enim est & æternâ lege fixum, Quâ mensurâ mensi fueritis, etiam remetietur vobis. Quid verò, precor, ex ultione, alienatione, obtrectatione petis? an gaudere de eo, quòd non impunè alter te læserit! at quàm fœdum, quàm turpe te pasci alieno malo, livere bono, in ulcere, in sanguine fratris coheredis tui, pro quo animam ponere debuèras, gloriari! in sordibus alienis volutari: Sed ag quantum istud gaudium? nónne mixtum timore, perturbatione, periculo, ne alter vicem reddat? quantumvis enim minimus sit, & tu inter maximos fores, te acerrimè pungere potest, & vel linguæ gladio gravius, quàm quovis mucrone vulnerare. Et ecce si vis condonare, & amicus esse meus poteris, & gaudere, & carior esse mihi & hominibus. *Credo tibi*, ut sup. pag. 7.

Matth. 7.

Ibidem. Vide quâ mensurâ metaris.

Denique quis, precor, te ad vindictam impellit? nónne ego Dominus, ego, coram quo tremit totus orbis terrarum, prohibeo, & nullum cupio inter servos meos, qui charitate plenus non sit? In hoc enim cognosci eos volui ab omnibus, si dilectionem haberent ad invicem. Ad vindictam verò invitat dæmon, ut per te primo adigat perditionis gladium, deinde in cor fratris tui. Promisi quòd ubi duo consentirent super terram, annuerem petitioni eorum, quamcumque postularent. Si igitur dissides à fratre tuo, vana erit oratio tua, imò in peccatum & vindictam provocans. Sicut enim qui gladio ferit, gladio perit: ita qui odio fratrem lædit, ipse se interimit: qui in gratiam cum altero redire negat, sibi gratiæ meæ fontem obstruit.

Ioan. 13.

Dæmon illudit impatienti.

HOMO. Iustus es, Domine, & rectum judicium tuum, fac cum servo tuo secundùm misericordiam tuam. en gratiâ tuâ propono in conspectu tuo proximum diligere: non verbo, neque linguâ, sed opere & verita-

veritate, ut meipsum; nec meminisse offensæ, quemadmodum rogo, ut non memineris iniquitatis meæ, ut projicias post tergum tuum omnia peccata mea, Amen.

ORATIO, *quæ supra*. O JESV, *charitas*, *pag.* 942.

Præxis ad inimicos diligendos.

PRimò, considerare beneficia ab homine illo accepta, cui offensus es.

Secundò, præteritæ injuriæ, etsi importunè sese offerentis, memoriam oblitterare, & quoties ea recurrit, Deo injuriam donare, actumque charitatis elicere.

Tertiò, alloqui illum, & ejus consortium nullo pacto vitare: verbum enim dulce multiplicat amicos, & mitigat inimicos. *Eccli. 6.* *Prov. 25.*

Quartò, beneficium illi aliquod conferre, tum pro illo orando, tum aliud corporale præstando. Si esurierit inimicus tuus, ciba illum; si sitit, da illi aquam bibere prunas enim congregabis super caput ejus, & Dominus reddet tibi. Si id à te fieri nequeat, clam per alios facito, & fac intelligat benevolo te in eum esse animo. *Dignatus es*, ut sup. pag. 10. *Nota.*

IACVLATORIÆ,

HOmo homini reservat iram, & à Domino quærit medelam? Eccli. 28.

Relinque proximo tuo nocenti te, & tunc deprecanti tibi peccata solventur. Ibidem.

In hominem similem sibi non habet misericordiam, & de peccatis suis deprecatur. Ibidem.

Qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis. Marc. 4.

In hoc cognovimus charitatem Dei, quoniam ille pro nobis animam suam posuit, & nos debemus pro fratribus animas ponere. 1. Ioan. 3.

Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi. Gal. 6.

Si quis dixerit, quoniam diligo Deum, & fratrem suum odit, mendax est. 1. Ioan. 4.

CAPVT

CAPVT XVI.

Dialogus de Contemplatione.

DESIDERIVS. Complura de meditatione jam pertractata sunt, nunquid etiam liceret de contemplatione paulùm disserere?

ASCETA. Quod ex variorum lectione didici, sine invidiâ communicabo, ac perstringam: quid enim opus pluribus? habes fontes, D. Bonaventuram, utrumque Dionysium, Gersonem, & eximios viros, P. Paz, P. de Puente, P. Ariam, & alios; habes heroinam illam B. Teresam. Itaque breviter accipe quod flagitas. Observa autem Primò, vitæ spiritualis, & omnium præceptorum ac consiliorum finem esse, voluntatis ac intellectus, & potentiarum animæ nostræ cum Deo unionem (ad hoc mortificatio instituitur, per orationem & meditationem anima elevatur, & contemplatione suspenditur) id est, ut diligatur Deus ex toto corde, ex tota anima, ex totis viribus nostris. Vt autem id fiat, suprà terrena, suprà se elevari mens debet, quod fit per meditationem; sed perfectiùs per contemplationem, quâ uti clariùs Deus & divina videntur, ita ardentiùs amantur.

Finis vitæ spiritualis charitas.

Oratione mens elevatur.

DESIDERIVS. Quomodo verò differt à meditatione contemplatio?

ASCETA. Meditatio, ut Augustinus, est occultæ veritatis investigatio. Etenim illa per varios discursus intellectus, & ratiocinationis quærit æternam Veritatem, quam amplectatur & amet. Contemplatio verò est, ut idem Augustin. perspicuæ veritatis jucunda admiratio; vel, ut Richardus, perspicax & liber animi contuitus, usque quaque diffusus; quando scilicet jam discursu veritas per meditationem inventa, & oculis quasi subjecta est: sicut si vinum in uva consideratum, deinde ex uva expres-

Aug. lib. de Spiritu & anima.

Lib. de contemplat.

Quid contemplatio.

expressum in vitro degustaretur, ut eleganter P. de Puente.

DESIDERIVS. Audivi aliquando eam simili hoc declarari, & perinde esse, ac si sit imago aliqua, ut eam cõsiderem, mihi proposita: duobus enim id posse fieri modis. Prior est, si singulas ejus partes intentis oculis considerem, & examinem umbrarum & colorum dispositionem, vivacitatem, proportionem, &c. Posterior est, si perspectâ imaginis hujus excellentiâ & pulcritudine, oculos in eam defixos teneam, propter voluptatem, quam ex illa percipio; & magno amore in illam ferar; eoque majore, quo clarius eam intueor, quo minùs affectu rei alterius distrahor. unde sequatur sollicitudo eam conservandi, & zelus quidvis potiùs, quàm eam perdendi. Prior modus similis esse dicitur meditationi, posterior contemplationi. *Earum diversitas simili explicatur.*

ASCETA. Aptum est simile: nam in contemplatione, anima in tranquillâ ac simplici operatione intellectus, gaudet de veritate laboriosè per meditationẽ inventâ, vel per fidei lumen nobis manifestata. Nónne verò multò suaviùs & faciliùs is qui videt, res easdem contemplatur, & earum præsentiâ afficitur, quàm cæcus quispiam, etiamsi Philosophicis & Theologicis disciplinis instructus, de iisdem optimè disserere, atque naturas explicare possit: sic etiam longè faciliùs & fructuosiùs circa eandem rẽ versatur contemplatio, quàm meditatio; quia unico intuitu contemplans, postquã multa audivit & intellexit, ut Regina Saba considerat nostri Salomonis in gubernatione universi, v. g. prudẽtiam: vel cum D. Bernardo, facit sibi fasciculum myrrhæ ex omnibus doloribus Domini sui. ac postquam singula consideravit & quæsivit, vulneratus amore, dicit, Inveni quem diligit anima mea: & absque labore defixus hæret, velut avis post varios gyros, & sursum ac deorsum volatus, se in aëre librat, humanaque omnia despicit. Perspicuè hæc descripsisse R. P. Paz videtur, dicens: *Simile cæci.* *Simile avis.*

Quid est contemplatio.

dicens: Contemplatio est liber, perspicax & certus intuitus Dei, ac rerum cælestium admirationem inferens, in amore desinens, atque ex amore procedens. Ille enim est principium, & finis, ut diligamus omne & solum bonum nostrum Deum, & Dominum IESVM Christum Filium ejus: Finis enim legis & omnis contemplationis est dilectio. Neque enim, ut ait Dionysius Carthusianus, contemplatio induit nomen contemplativæ vitæ, nisi in quantum est actus à voluntate per charitatem formatus, & per dilectionem ultimo finis meritoriè delectabiliterque unitus: machina quippe mentis est, vis amoris; quæ dum hanc à mundo extrahit, ut Gregorius, in alta sustollit.

Amor est mentis machina. Gregor.

DESIDERIVS. Estne contemplatio ergo actus intellectus, cùm dicatur esse intuitus, & spiritualis quædam visio, seu aspectus veritati fidei innixus?

Intellectus est oculus.

ASCETA. Omnino: sicut enim oculo corporeo corporea homo speculatur; sic intellectu mentis oculo cælestia, & super omnia, Deum contemplatur; estque contemplatio vitalis actio, & voluntaria, ac proinde nostra, divinâ gratiâ cooperante. nisi enim esset actio nostra, quomodo esset meritoria? Qui enim, ait rectè August. fecit te sine te, non salvabit te sine te.

Cooperatio est necessaria

DESIDERIVS. Vnde ergo contemplatio aliquando vocatur passio? & Dionysius dicit de sancto Hierotheo, eum divina pati solitum?

Dionys. cap. 2. de divin. nomin.

ASCETA. Dicitur passio, cùm est perfecta, humano loquendi more. Primò, quia absque labore animatum videt & amat dum contemplatur; Secundò, quia supra vires naturæ est perfecta illi contemplatio, & gratuita sapientiæ Dei donum, atque supernaturale. Trahit enim Dominus animam post se; sed tamen voluntate ac intellectu; sequitur illa, & currit in odorem unguentorum ejus. Contemplatio enim, ut ait Bernard, fit ex condescensione Dei ad humanam naturam per gratiam, & exaltationem humanæ naturæ ad ipsum Verbum

Vnde vocetur contemplatio passio.

Contemplatio quomodo fiat.

bum per amorem. Nemo autem diligere potest, nemo sequi aliquem, nisi eum noverit, & videat. ignoti enim nulla cupido. Si ergo contemplatur quis; elevatur mens ejus in Deum, & eundem unum libero intuitu videt; & amore suo, ut pondere, fertur in eum, atque ut in centro & termino conquiescit. Primò itaque elevatur mens in Deum, & ascendit cum Moyse in montem. Secundò, quasi suspensa est secundùm voluntatem & intellectum, ita ut nihil aliud cogitet & velit, quàm Deum; & duobus his brachiis eum complectatur, ut dicat, Inveni eum, nec dimittam. Sed necesse est, Tertiò, imaginationem etiam suspēdit, ut distractio vitetur. Quartò, aliquando sensus externi ita alligātur, ut præsentia non advertantur, & mentem nequeant perturbare. Denique etiam corpus in Sanctis attollitur. Post suspensionem, & attentam illam consideratione, admiratio sequitur, & denique dulcedo. Nota autem ordinariam nostram contemplationem, ut Gregor. esse brevem, & instar saltus locustarum, quæ evolant, & mox in terram relabuntur, aut piscium qui exsiliunt, sed mox in aquam demerguntur: sic nos si Dei gratiâ mentem paulùm attollimus, mox ad meditationes redire cogimur.

Gradus ad contemplationem.

Greg. lib. 31. Moralium.

DESIDERIVS. Jam video, cur contemplatio dicatur requies.

ASCETA. Est verè, & complementum desideriorum, perfectio virtutum, præmium abnegationis, finis orationis, & ad assequendam mentis puritatem instrumētum efficacissimū: est beatitudo hujus vitæ, atq; ita appellatur: & quemadmodum ea quæ æterna est, in visione Dei, & amore; ita etiam hæc in utroque suo modo consistit. Viatorum tamen imperfecta est, quâ invisibilis Deus præsentiam suam sentire facit, mirâ ac suavi in animâ operatione; colligitque omnes ejus affectus in se unum, & ad jucundam quietem perducit.

Contemplationis bonæ.

DESIDERIVS. Quem conatū ad hanc adhibere debeo?

beo? audio enim tam multa de contemplatione, tam magnificè quosdam se jactare.

ASCETA. Non ita solent Sancti, sed quicquid erat hujusmodi occultabant. Dispone te ad eam, sed te indignum eâ arbitrare: humilitatem, obedientiam ac resignationem perfectam assiduè exerce, & roga instanter, ut si sit pro majori Dei gloriâ, eam ipse tibi concedat, adhibito tamen conatu aliquo, exemplo Sanctorum, reliquum verò divinæ providentiæ committe. Non enim omnes, ut Gregor ait, ad eam vocati, neq; ad eam idonei, ut sunt naturaliter inquieti, etsi Deus naturam corrigere possit & perficere. Præstans enim, nec omnibus commune Dei donum est; atque, ut August. una & sola est contemplatio, cui meritò omnia justificationũ merita, universa virtutum studia postponuntur: comparatque eam auro & gemmis; quia ad charitatem in qua perfectio est, maximè accommodata.

August. ser. de temp. 43.

DESIDERIVS. Non igitur suades, ut aspirem?

ASCETA. Suadeo: sed eâ, quâ te Dominus, per obedientiam, ducet viâ, & virtutum quas suprà dixi, sedulo exercitio. Neque unam solùm esse viam ad illam noveris; nemo enim ab eâ excluditur: imò simplices aptiores, ut cum illis sermocinetur Dominus. Prima via est, quâ quis abnegat amorem sui, & superbiam, & terrenorum affectum. In malevolam enim animâ, non introibit sapientia. utque corpus quod corrumpitur aggravat animam, & terrena cogitatio deprimit sensũ multa cogitantem: ita nihil magis contemplationis flammam impedit, ac fumus terrenorum affectuum velut exhalationũ nebula, vel pondus amoris rei creatæ, quo deorsum anima trahitur. Non invenitur sapientia in terra suaviter viventium absque mortificatione; abyssus dicit, Non est in me; & mare, id est occupati hominis cor, loquitur, Non est mecum: abscondita est ab oculis viventium carnaliter, & volucres cæli, id est arrogantes, latet.

Abnegatio via ad perfectionem. Rom. 12.

Affectus erga terrena impedit.

Iob. 28.

DESI-

DESIDERIVS. O quis dabit mihi pennas, quas optabat David, sicut columbæ, & volabo & requiescã! quomodo perveniam ad quietem quam ita deprædicas.

ASCETA. Per studium, ut Richardus, operis, per studium meditationis, per studium orationis, seu petitionis. Pete frequenter, non autem coneris, ut quidam, indiscretè & arroganter, sed dispone te humiliter per alia virtutum & meditationum ac orationum pia exercitia. Per studium ergo operis, maximè mortificationis, & exercitationis virtutum, observationis tui instituti, ad contemplationem perge. Priùs enim mens ab appetitu gloriæ temporalis, atque ab omni carnalis concupiscẽtiæ delectatione tergenda est, ut D. Gregorius, & tunc ad contemplationis aciem dirigenda. Hinc est, quòd in vitis SS. Patrum & monitis, creberrima mentio, monita ac præcepta de virtutibus reperiuntur; rara omnino, etiam à summis contemplativis, de contemplatione profecta sunt; sed humilitatem, obedientiam, resignationem, munditiem cordis, commendabant. Beati enim mundo corde, quoniam ipsi Deum, hîc, suo modo, per speculum in ænigmate; & in æternum facie ad faciem, videbunt. Maximè dixi superbiam mortificandam; sola enim oratio humiliantis se penetrat cælos. Et pro signo contemplativi habe à D. Bonaventura, obedientiam, humilitatem, alios non judicare, non se præferre; qui verè enim contemplativi, sunt humillimi, norunt sæpè eos qui Martham agunt, Deo gratiores esse, quàm qui Mariam, etsi hæc per se optimam partem elegerit. Si humilis ergo fueris, & mortificatus, si non impediat sensus egens (ut in ægro) cura pungens, vel culpa mordens, vel irruentium phantasmata cogitationum animam tuam non avocent, introducet te Rex in cubiculum suum.

Richard. in Benjamin p. 1. c. 79.

6. Moral. Cur rarus in SS. Patribus de contemplatione sermo.

Matth. 5.

Superbia maximè fugienda.

Signa contemplativi.

Bern. serm. 23. in Cant.

DESIDERIVS. Sed quæ exercitia ad contemplationem juvant ac disponunt, post mortificationem ac devotam orationem.

Sedere ad pedes Iesu quid prosit.

ASCETA. Sedere quietè ad pedes Christi, cum Mariâ, illum intueri, meditari, & crucifixum contemplari. Recordaris quem librum S. Bonaventura D. Thomæ ostenderit? Crucifixus is erat, quem contemplabatur ac lacrymis rigabat. Sanè Christus JESVS, & vita ejus, ostium est; ipse via, veritas & vita.

Luca 14. Cantic. 2.

DESIDERIVS. Sed videntur mihi plerique studiosi contemplationis, mox aliis omissis ad perfectionum divinarum considerationem provolare.

ASCETA. Planè ita accidit, maximè ferè in imperitis & arrogantibus. Sedere eos expediret primò in novissimo, donec audirent, Amice, ascende superiùs: donec illud, Surge, propera, amica mea, columba mea, & veni. Jam enim hiems transijt, vitiorum scilicet; & imber abiit, irruentium phantasmatum; flores virtutum apparuerunt in terrâ nostrâ. Valdè tamẽ utile imprimis Dei præsentiam (cùm præcipuus contemplationis actus sit Dei visio, prout ubiq; præsens est) & divinas perfectiones meditari; imò in singulis meditationibus ad eas digredi, & ascendere: item, beneficia Dei sæpè grato animo revolvere, & ex creatarum rerum contemplatione ascendere ad Creatorem; maximè tamen, ut dixi, ex meditatione humanitatis Christi, B. Virginis, & Sanctorum. Attende autem de perfectionibus divinis, duobus modis posse institui meditationem.

Perfectiones divinæ etiã sunt meditandæ.

Item Dei beneficia.

Meditandi de perfectionibus divinis duplex modus.

Primus per affirmationes.

Primus est, per affirmationes, affirmãdo de Deo perfectiones. Est enim Omnipotens, Sapiens, Justus, Bonus, Creator, Gubernator, Protector, Pater, Magister, Medicus, Salvator; & quidquid præstantissimo patri & protectori tribui potest, huic meritò, & infinities amplius tribuendum. Et hic modus pingendi arti similis, quà semper aliquid additur, neque satis addi potest. Sic dicitur æternus Deus, cujus æternitas, etiamsi assiduè addat cogitatione centenis sæculis millena; adhuc longè omne spatium cogitabile superabit.

Secundus modus est, per negationes, quo visis perfectioni-

ctionibus creaturarum, easdem negamus de Deo, quia in creatis omnibus limitatæ sunt, & imperfectionibus permixtæ v.g. dicimus non esse lucē, candorē, pulcritudinem, jucunditatem; sed quid his infinities excellentius in se omninò eminenter continere, & infinitū, immensum, incomprehensibilem, ineffabilem esse. Sic ait S. Bonavent. l. de parvo bono p. 3. Dicitur, Deus non est quid sensibile, sed super sensibile; nec imaginabile, sed super imaginabile; nec intelligibile, sed super intelligibile; nec existens hoc vel illud, sed super omne ens. Hic modus eminentior est, & sculpendi arti assimilatur, quâ rejicitur aliquid, non additur. Hæc verò quæ dicta sunt, ferè ad intellectum pertinent, & considerationē. Sed voluntatis longè potiores sunt partes. Illa enim cū in Deo omnia infinita sint, nihilque in rebus humanis quod ei valeat comparari; optat infinitè eum amare, & humana omnia nihil æstimat, & ut stercora arbitratur. Et ad hoc contemplatio dirigitur, ut anima Deo charitate uniatur, & ab omni inordinato creaturæ affectu abstrahatur. Varij autem sunt actus illius. Primus est: quo Deo suas perfectiones illas quas habet, gratularis, ex amore ardenti, & gaudes; adeò ut si quà illi deesset, & in tuâ foret manu, ei liberalissimè illā tribueres. Secundus, quo eas supra omnia æstimas, præ Deo omnia despicis, omnibusque, & tibi ipsi renuntias, ut uno illo fruaris, ut uni illi placeas, qui infinities pluris est omnibus quæ sunt, & in infinitis mundis esse possunt. Tertius actus est, quo desideras illum amare summo affectu, ob ejus perfectiones, quæ singulæ & infinitæ sunt, & dignæ amore infinito, & optas omnium creaturarum affectus, quos in Deum effundere toto corde possis, eumque totis viribus amare. Quartus, quo gaudes de omnibus quæ Deus fecit, & facit, eo maximè nomine, quòd ab illius manu & operà illius procedant, qui potentissimus, sapientissimus & optimus est. Quintus, gaudere de ho-

Secundus per negationes.

Voluntatis partes sunt præcipuæ.

Voluntatis actus varij.

nore & gloriâ, quâ eũ afficiunt Angeli in cælo, & optare ut homines & creaturæ eum laudent & honorent. Sextus, desiderate Deo uniri per cognitionem, & amorem, & frui, & conquiescere in illâ unione, quâ est creaturæ omni conjunctus, per essentiam, præsentiam & potentiam.

Materia cõtemplationum varia.

Verùm perfectiones divinæ non sunt solâ contemplationis materiâ, sed etiam beneficia Dei, vitæ Christi mysteria, & verba illius in quibus verè spiritus & vita est, æternitatis consideratio & cælestis patriæ, magnus hic mundus visibilis, nos ipsi, qui parvus mundus appellamur; denique omnis materia meditationis, esse potest contemplationis, si ad amorem Dei referatur, ejusque præsentis visionem; qui est primus contemplationis actus.

De ascensu à creatis ad Creatorem.

DESIDERIVS. Scire velim, quomodo à creaturis ad Creatorem ascendere oporteat.

ASCETA. Considera eas ut Dei opera, & illius imprimis præsentiam, potentiam, sapientiam, bonitatem in iis elucentem, cæterasque illius perfectiones, idque vel per affirmationes vel negationes, ut suprà dictum: omnia enim quæ in iis bona, à Deo sunt eique tribuenda. applicari etiam pleraque possunt Verbo incarnato, Christo Domino, quia bonis plerisque carere dignatus est propter nos, & malis affligi. Potes etiam cælesti patriæ; ubi mala quæ hîc sunt, non erunt, & bona erunt in immensum majora. Potes etiam ex omnibus gratitudinis arripere occasionem. nam si bona vides tibi data vel aliis, beneficia sunt tibi collata, si ex charitate de bonis proximi, ut tuis gaudeas; si mala conspicis, & iis cares, magnum est etiam beneficium; si affligaris, remedium. In his autem actus fidei, spei, charitatis maximè, facilè, exerceri possunt; quia quæ data sunt bona, certò credere debemus, quia à Deo ultrò data sunt, & sperare debemus à tantâ benignitate majora. Tertiò, cùm ex solo amore ea largiatur, non possumus amantem non redã-

Modus ut Deus in omnibus videatur.

redamare. Intentionem puram, & perfectam resignationem in omnibus ac zelum exercere, ad contemplationem medium est utilissimum. Vnde videmus zelatores animarum etiam per obedientiam à quiete impeditos, nihilominus maximos in contemplatione fuisse. Postremò aspirationibus ad Deum accedere efficax est modus ad perfectionem amoris & contemplationis. Vide D. Bonavent. in Itinerario mentis in Deum.

Media ad contemplationem.

Aspirationes utiles.

DESIDERIVS. Finiam si de his verbo vno aliquas suggesseris ad contemplationem industrias, si quidem molestum non est.

ASCETA. Prima, est in exercitiis constantia; Secunda, corporis quies; unde dicitur Maria sedisse; Tertia solitudo juxta statum vitæ cujusque: nam quæ vocationis suæ sunt, negligere maximum est impedimentum. Sedebit (ait Propheta) solitarius, & tacebit, & levabit se; Quartò, cura ut omnia decenter & secundùm ordinem fiant, sive in interioribus, sive in exterioribus, sive in necessariis corporis; Quinta, defectuum, maximè superbiæ, mortificatio; Sexta, instituti vigilans observatio; Septima est, libenter aliquid pati. Afflixit, ait Moyses, te penuria, & dedit tibi cibum manna. Jacob, cùm eum persequeretur Esau, vidit Deum, Joannes in exilio, Stephanus in lapidatione. Octava, gratiarum actio: sacrificium laudis honorificabit me; illic iter, quò ostendam tibi salutare Dei. Nona, præsentia omnia, ac si quis mortem ab oculos haberet, despicere, quod est quasi cum Abrahamo in ostio tabernaculi sedere, cùm visione Angelorum à Domino honoratus est. Decima, instantia petitionis, & imploratio auxilii à Sanctis atque imprimis à Virgine matre; Vndecima, zelus animarum; Duodecima, puritas intentionis; Decimatertia, frequens meditatio & oratio; Decimaquarta, præsentiæ Dei assidua exercitatio; Decimaquinta, zelus & charitas erga proximum.

Industria 15. pro contemplatione.

Thren. 3.

Deuter. 8.

DESIDERIVS. Ne quid in hoc genere præmittatur,

tur, quod ad contemplationem pertinet: rogo, ut aliquid de affectiva oratione exponas, quid illa, & quomodo instituenda.

Quid sit affectiva oratio.

ASCETA. Oratio affectiva, vocatur ab affectu, qui hic magis exercetur, est enim, ut P. Paz ait, conversatio, & cum Deo communicatio, quâ anima rejectis discursibus intellectus, & multò magis avocatis sensibus ab externis rebus, & imaginatione à corporeis figuris distrahentibus; statuit se in Dei præsentia, & recordatione ejus contenta, in affectus, maximè amoris, incumbit non tamen eos tantùm, sed fidei, spei, charitatis, gratiarum actionis, laudis, resignationis; & modò pro se, modò pro alijs postulat. Sed quid? Ad hanc si vocet Deus, unctione suâ præveniet, & erudiet. P. de Puente tamen suadet, ut se in præsentia Dei colligat anima, & intueatur Deum, ut erat antè mundi creationem, omnia replens, & in se solus sibi sufficiens, & se quasi solam cum eo, & in eo, uti punctum, qui solus omnia est, & solus sufficit; & totum in eum suum transfundat amorem. Vel etiam, inquit, attendat, ut Deus seipsum diligat, & comprehendat, & de perfectionibus suis gaudeat; & in abysso sapientiæ, bonitatisque posita velut guttula in eum, toto affectu, convertatur. Tertiò, contemplari potest, quomodo Deus Pater seipsum cognoscens, Filium generet; & uterque sese amantes, producant Spiritum sanctum: item considerare Patris ac Filij & Spiritus sancti proprietates ut eas infinitâ perfectione in se divinæ personæ habeant; & amoris affectus exercere erga tres personas, ut unum sit anima cum illis: quandoquidem, ô infinita benignitas! id sanctissima Trinitas non dedignatur.

Tract. 3. c. 5. §. 2.

Quomodo se contemplans statuat coram Deo.

Contemplatio utilior meditatione Bonavent.

Hoc exercitium utilius est, ait P. Paz, si nimirum ad hoc vocetur anima meditatione: quia amor à terrenis fortiùs animum attrahit, virtutes inserit; meliusq; purgatur, ut D. Bonavent. igne amoris, quàm aqua lacrymarum, & faciliùs. Est enim meditatio, studiosa mentis in-

investigatio, quâ aliquid occultum evolvimus, ut affectum excitemus, & ad aliquod bonum sectandum, vel malũ vitandum provocemur: investigatio autem laborem habet. Verumtamen iste modus præsupponit ferè exercitationem meditationis, insignem mortificationẽ, puritatem cordis, fugam minimorum peccatorũ, & virtutis usum; quò etiam dirigi debet, non ad consolationem, gulam & vanitatem. Secundò, requirit, ut de contemplatione dictum, naturam quietam ac tranquillam, & Dei vocationem; de qua Magister spiritus judicare potest, & quivis videre, quos impulsus ad hunc modum orandi sentiat, & ex directoris arbitrio eos sequi.

Præsupponit meditationem.

Vocatio ad eam requiritur.

Neq; solùm requirit meditationis usum, sed ferè cũ ea jungitur, &, uti Propheta ad psaltem prophetabat, ita meditatio præmittitur, aut vitæ, aut mortis Christi, aut perfectionum divinarum: & sic anima sublevatur ad affectivam orationem: & initio quidem variis affectibus insistit; postea, uni soli Deo, & eo diutiùs, quo provectior est Illusio, ut in omni oratione, cavenda est. Si quis enim se gulâ spirituali trahi, efferri superbiâ, aliosque se despicere sentit; aut avocari à zelo, obedientia, resignatione, mortificatione assidua, ac denique ab iis quæ instituti sui sunt, manifestè illuditur à dæmonio meridiano.

4. Reg. 3.

Meditatio jungitur contemplationi.

Illusio cavenda.

Desiderius. Velim, exemplo me doceas.

Asceta. Pluribus P. Paz hæc tractantem consule; intereà hæc accipe velut paradigma.

Exercitium Fidei.

Aspice Dominum præsentem, ut primum ens, & causam omnium, & primam veritatem: & crede his, quæ de se, de Filio, &c. revelavit; ac mentalibus verbis coram curia ejus confitere; pete, ut tecum sit Christus; & opta, ut omnes eum cognoscant & ament.

Exercitium Spei.

Aspice Deum præsentem, ut remuneratorem opti-

mum,& auxiliatorem,& fontem omnis boni; & spera in eo ob merita Filii,te obtenturum gratiã necessariam, & media ad vitam æternam;eaque pete fiducialiter.

Exercitium Amoris.

Aspice Deum præsentem, ut abyssum bonorum omnium,ex quo omnia;& adora eum, qui à te amari desiderat: & pete charitatem latissimam, ut omnia præcepta impleas, ut omnes eum ament; longissimam, optando æternùm eum amare;altissimam,quâ omnia terrena despicias; profundissimam, quâ te infrà omnes statuas.illi gratulare, & gaude de ejus bono; & plenè resigna voluntatem tuam,ut in omnibus illius sanctissimæ voluntati conformis sit: unias omnes potentias tuas illi,ut eum unum cogites & ames.

DESIDERIVS. Quæ mihi explicuisti, vix videor assequi posse, quia imaginatio in varia distracta quietem diuturnam non patitur.

Iob.38. ASCETA. Non ideò tamen te affligas: variæ ad perfectionem viæ sunt. Quis scit enim,ait Iob, per quam viam spargitur lux? Hocque certò tibi persuade: optimum genus unionis esse, quam spectat contemplatio, suam voluntatem in omnibus divinæ conformare,zelo sincero animarum ardere,communicationem cum Deo habere perpetuã:nulla ferè hîc illusio,nulla propè fallacia.& sæpè longè acceptior Deo hujusmodi anima, quàm quæ contemplationi dedita, in obedientia tarda, in mortificatione segnis, in zelo remissa. Hanc unionem præ omnibus,& suprà omnes,S. Teresa commendabat; & illusionem, ut in quiete & contemplatione frequentem,caverent,monebat suas; quâ aliqui in zelo & obedientiâ deficiunt, ut se in quiete orationis.ex amore sui, & non Dei deliciis spiritualibus oblectent. Neque enim Deus propter se laborantes defraudat demenso; neque etiam eos, qui quietem volunt, cùm ab eo ad labores mittuntur, visitare dedignatur.

Qualis unio Deo gratissima.

Cap.3.

Obedientia via ad perfectionem.

gnatur. Quod experientiâ se comperisse S. Teresa testatur: & putare se, tot obedientiæ ideò à dæmone strui insidias, quòd illa una sit ad perfectionem, ac plenam unionem voluntatis nostræ cum divinâ compendium. *Lib. de fundatione c. 5.*

Oratio complectens omnes amoris affectus.

DOmine Dominus noster, quàm admirabile est nomen tuum in universâ terrâ! Quis sicut Dominus Deus noster? non est similis tui in fortibus, Domine, non est secundùm opera tua. Magnus es, Domine, & magnitudinis tuæ non est finis. Potens es, & non est qui resistere possit voluntati tuæ. Bonus es, & misericordiæ tuæ non est numerus. Tu Solus Dominus: tu solus bonus & optimus: tu solus Altissimus. Gaudeo de omnibus bonis tuis, ô gaudium meum, ô fons omnium bonorum. Magnificate Dominum omnes mecum, omnes pusilli & magni, & exaltemus nomen ejus in idipsum. Quid est verò magnificare te, Domine, Deus meus, te cujus magnitudini accedere nulla potest quantitas? etenim cælum & terram imples: cujus pulcritudini, nulla venustas; bonitati, nulla pietas; potentiæ, nulla facultas? & si esset ulla, & in mea manu toto corde, totâ animâ & viribus meis amantissime in te transfunderem; quidquid esset; etiamsi creaturæ singulæ cœlũ essent purissimis plenum spiritibus; etiamsi omnes arenæ mundi pulcerrimi, darem eos tibi, quia dignus es, quia amor meus es, & verò quid sunt hæc, nihil antè te. Si haberem omnium mortalium, & Angelorum, & Sanctorum affectum, te eo complecterer, in te viverem, moverer & essem. Vtinam omnes miserorum pœnas gratiâ tuâ ferre possem, ut exaltaretur nomen tuum, ut te omnes cognoscerent & amarent; fortis enim ut mors dilectio, & brevis dolor, & levis illi, quem tuus, ô IESV, amor inebriat, & in te transformat. O vita mea, ô suavitas summa, ô omne bonum, quàm coarctor donec perficias desiderium, quo desidero vehementer diligere te ex toto corde, & amplecti ex totâ animâ, ex totâ mente meâ, ex totis viribus meis! utinam unus essem tecum, & tu mecum, idem pro omni velle meum & tuum! Ecce, Domine, tu qui scrutaris corda & renes, tu, spero, nosti, quia verè diligo te, & nihil volo extra te: &, si jam omnia voluntati atque ele-

Psalm. 8. Psalm. 112. Psalm. 85. Psalm. 144. Psalm. 33.

electioni meæ tribueres, redderem tibi, quam tibi millies consecro voluntatem meam; tu enim Dominus benignissimus, & ego servus: tu sapientia es, & ego infantia: tu bonitas infinita, & ego malitia: tu abyssus bonorum, & ego malorum & miseriarum. Tu es Deus cordis mei, dulcedo mea, fortitudo mea, timor & amor meus. Ah, utinam nihil nossem præter te, nihil cogitassem, nihil amassem præter te unquam, ô Oceane omnium bonorum! millies me rei fames aut sitis tenuisset, præterquam corporis & sanguinis tui: fuissem, quasi non essem de utero translatus ad tumulum; mortuus essem, & vita mea abscondita cum Christo in te Deo meo.

Colos. 3.

Exercitium aspirationum decurrendo per creata secundùm tres vias.

Vsus aspirationum.

IN via purgativa dolor, pudor, & timor de peccatis petitur, & excitatur per aspirationes ex varijs considerationibus. Has verò sic uti poteris. Considera quâ in virtute te exercere velis, quem defectum detestari & corrigere, idque sive in meditatione ad hoc movearis; sive ex instituto id facere velis. Statue te coram Deo, & gratiam postula, ut virtutem talem N. acquiras, vel tale peccatum vites, vel defectum præter legem Dei vel institutum tuum. & deinde sicuti tres pueri in camino omnes creaturas invitarunt ad laudem Dei, sic tu ex ijs disce & remove ad repurgandum cor tuum, & ornandam animam tuam ad honorem Domini nostri, imò nota exercitium bonum & modum meditationem instituendi decurrere v.g. Hymnum trium puerorum, vel Laudate Dominum de cælis; per tres vias proponendo sibi aliquod peccatum N. vel aliquem defectum animæ suæ sive carentiam virtutis N. & primò petere, ut omnes creaturæ laudent Dominum pro te, quia eum sic illo defectu N. inhonorasti. Secundò, per illuminativam invitando eas ad laudem tecum ut suppleant desideria virtutis, quæ jam concepisti. Tertiò, per unitivam, ut suppleant tepiditatem tuam in amore, optando creata converti in ardentissimos Cherubinos, & cælestium spirituum choros.

Modus novus meditandi.

VIA PVRGATIVA.

ASPIRATIONES EX

Nisi quia Dominus adjuvit me, paulò minùs in inferno habitasset anima mea, Vtinam nunquam te sic N. offendissem, Deus meus! Credo

Credo Domine, & in te spero. & toto corde te diligo. Ex te enim & in te & pro te sunt omnia. Sic omnibus aliis adjice. CONSIDERATIONE INFERNI.

Ecce Dominus dedit benignitatem, & terra ista dedit fructum suum, ego autem sicut terra deserta, invia, & inaquosa, protuli, spinas N quibus te eheu! te, amantissime IESV, coronavi, Vtinam, &c. TERRÆ.

Bestiæ & universa pecora, serpentes & volucres pennatæ: & omnia reptilia terræ serviunt tibi; & ego in eo maximè N. sicut equus & mulus vixi, quibus non est intellectus, Domine Deus meus. Vtinam, &c. BESTIARVM Psalm. 148.

Quanto prudentiores sunt filij sæculi, filijs lucis! quid non adinvenit eorum industria, ut falsò beati sint? & ego adinveni plurima, ut infelix & tibi ingratus esse possem. HOMINVM. Luc. 16.

Preciosa fuisti in conspectu Dei mei, quia redempta es sanguine filij ejus, & ego te vendidi gratis. Heu mihi, quia multùm incola facta es anima mea! ANIMÆ. Ps. 119.

Elevaverunt flumina vocem suam, elevaverunt flumina fluctus suos, sed aquæ multæ non poterunt extinguere charitatem tuam, ô IESV, quem, eheu! ego ingratus sic N. deserui, & in me extinxi. AQVÆ. Ps. 92. Cant. 8.

Spiritus ubi vult, spirat; adspira, Domine, ut respirem in magnis miserationibus tuis: & miserere mei, secundùm multitudinem misericordiæ tuæ. AERIS. Ioan. 3.

Tu, Deus meus, ignis consumens es: & quomodo ego liquescere non potui, heu! Deus meus? sed in medio jaculorum ignitorum; id est, beneficiorum tuorum, frigere? IGNIS.

O magna domus Dei, quàm vilis mihi fuisti! quàm caro stetit Domino meo, ut ego te, secum fruerer! & eheu! sic contempsi. CÆLI.

Gaudium sit vobis, o beati spiritus super me pœnitentiam agente, & suspirante ad Dominum Deum nostrum. ANGELORVM.

ILLVMINATIVA.

Proficientium Aspirationes serviunt adeptioni virtutum & vitiorum extirpationi; quod assiduè fieri expedit ut præteritorum peccatorum vanas imagines iis cogitationibus extinguamus. ASPIRATIONES EX CONSIDERATIONE INFERNI.

Salvasti me ex ore leonis, & à cornibus unicornium humilitatem meam, à rugientibus præparatis ad escam: de manu canis unicam meam, & cui serviam, nisi tibi? Vtinam te nunquam sic N. offendissem, Deus meus. Credo Domine & in te spero, & toto corde te diligo. Psalm. 22.

Terra super se venientem bibens imbrem, & non referens fructũ, maledicto proxima est; sed tu benedictionem dabis legislator, & sic N. ibo de virtute in virtutem. Vt videam te Deum Deorum in Sion. Vtinam, &c. Eccli. 51. TERRÆ.

Cogno-

BESTIARVM Isaiæ 1. *Cognovit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui, & ego te in eo N. non cognoscam, & nudum nudus sequar?*

HOMINVM. Ps. 147. Ps. 118. *Non fecisti, Domine, taliter omni nationi, ut mihi & judicia tua non manifestasti eis. Idcirco juravi, & statui custodire sic N. judicia justitiæ tuæ.*

ANIMÆ. Ps. 102. *Benedic anima mea Domino, & omnia quæ intra me sunt, nomini sancto ejus: ut omnes dicant videntes me talem N. Ecce semen, cui benedixit Dominus.*

AQVÆ. Daniel. 3. *Benedicite aquæ quæ super cælos sunt Domino: & utinam augeant vos lacrymæ meæ, ut possim super nivem dealbari!*

AERIS. Psalm. 118. *Os meum aperui, & attraxi spiritum; quia jam sic N. cum sancto proposito in misericordia tua speravi.*

IGNIS. Psalm. 103. *Suades mihi Domine IESV, ut emam à te aurum ignitum: accende me Deus meus: & qui facis Angelos tuos spiritus; fac me in hoc N. ministrum tuum ignem urentem.*

CAELI. Ps. 101. *Opera manuum tuarum sunt cæli: ipsi peribunt, tu autem permanes: da mihi, Domine Iesu, constantiam, ut jam hæc N. vitia mea, sicut vestimentum veterascant.*

ANGELORVM. Ps. 90. *Angelis tuis, ô Iesu, mandasti de me, ut custodiant me in omnibus viis meis: fac, quæso, ut in manibus portent me, ne rursus offendam ad lapides offensionis pedem meum.*

VNITIVA.

Perfecti, aspirationibus ferè iis utuntur, quibus anima accenditur, & Deo unitur amore.

ASPIRATIONES EX CONSIDERATIONE INFERNI. *Ardent hîc inimici tui, & ardebunt, usque ad inferni novissima, et ex nunc sic N. utinam te sic N. nunquam offendissem Deus meus! credo Domine, & in te spero, & toto corde te diligo: fortis erit ut mors dilectio mea, & dura sicut infernus æmulatio mea.*

TERRÆ. *Benedic terra mea Dominum, & laudet & superexaltet eum in sæcula, & proferat fructum jam in tempore suo.* Vtinam, &c.

HOMINVM. Ps. 65. *Venite, & audite omnes qui timetis Deum, & narrabo vobis, quanta fecerit Dominus animæ meæ. O quanta fecit! & ego quid feci tibi? ô solatium meum, dulcis hospes animæ, dulce refrigerium!*

BESTIARVM Matth. 6 *Volatilia cæli non serunt, neque nent; sed tu, Pater cælestis, pascis illa: ita, spero, pasces me, & sic enutries me, ô unica fiducia mea.*

ANIMÆ. *Anima mea templum tuum est. Veni, Domine, & mansionem apud me fac. Tu mane in me, & ego in te, ut unus tecum sim, ô quando id erit & ardentissimè te diligam!*

AQVÆ. Ps. 142. Ps. 41. *Anima mea sicut terra sine aqua tibi. Sitit illa ad te Deum fontem vivum quando veniam, & apparebo ante faciem tuam; quando inebriabis me amore tuo?*

AERIS. *O æterna veritas & vera charitas, & cara æternitas! tu es Deus meus,*

meus, tibi suspiro die ac nocte, inspira mihi spiraculum vitæ: tu enim es vita mea.

Ignem venisti mittere in terram, & nihil vis, nisi ut accendatur: ure me igne illo, ut liquescam amore tuo. IGNIS. LUC. 12.

Cæli, enarrate gloriam Dei, cæli cælorum laudate Deum. O quando aperiemini mihi, & inveniam eum, quem diligit anima mea? quando eum diligam ex toto corde meo? CÆLI.

O Angeli, qui semper videtis faciem Patris mei, quando veniam, & satiabor, cùm apparuerit gloria ejus? attollite portas, principes vestras, & elevamini portæ æternales, ut gustem, & videam quàm suavis sit Dominus. ANGELORUM. Ps. 23.

Aspirationes ex Ludovico Blosio pro ardenti amore excitando.

O Dulcissime, secretissime, & præsentissime sanctarum animarum sponse, IESU, accende, quæso, cor meum vehementer in amorem tui, ut diligam te ex penitissimis medullis animæ meæ, visita me misericorditer, & mentem meam reple gratiâ tuâ, quia te fontem suavitatis valdè expetunt intimæ meæ.

O Domine, mi IESU, ô ignis qui dulciter ardes, & secretè luces, suaviterque odoras, occupa totam regionem mentis meæ, ô Rex regiũ, Rex æternæ gloriæ, ut te solum esuriam & sitiam, ad te suspirem, tuámque mellifluam faciem videre æstuanter concupiscam,

Transfige, amabilis IESU, medullas animæ meæ suavissimo dilectionis telo, perfode cor meum igneâ charitate, ut prorsus langueat anima mea tui desiderio & amore, tota amore resolvatur, tota liquefiat, tota in te transeat.

Separa, Domine, mentem meam ab omnibus, quæ sub cœlo sunt, ut ipsa tibi soli liberè intendat, tu solus illam, ut proprius possessor, inhabites. Descendat in me suavissimus odor tuus, veniat mihi divinæ charitatis tuæ inenarrabilis fragrantia, quæ puras & sempiternas in me suscitet concupiscentias.

Da, Domine mi, ut ego totus dulcedine amoris tui plenus, totus flammâ charitatis succensus, diligam te ex toto corde meo, & ex intimis medullis præcordiorum meorum: diligam te, o suavis amator, diligam te, ô unica salus animæ meæ, diligam te quia prior dilexisti me.

Præsta, ô pulcerrime & deliciosissime sponse, IESU, ut magis magisque te amem, & valida vis amoris tui funditus à me excutiat pondus omnium terrenorum desideriorum, & indesinenter currere me faciat in odorem unguentorum tuorum. Cant. 1.

Scribe, dilectissime mi, in tabula cordis mei dulcem memoriam tui,

nulla

nullâ unquam memoriâ delendam, ut tui desiderio semper æstuem, igne amoris tui totus ardeam, & diluvio charitatis tuæ penitus absorbear.

O pelagus sanctæ dilectionis atque dulcedinis, Deus meus, veni & tribue te animæ meæ. Da ut integro corde, pleno desiderio flammantiq; affectu jugiter aspirem ad te, & suavissimè respirem in te, te omni creaturæ præferam; propter te omni transitoriæ delectationi renunciem, ô vera & summa exultatio mea.

Pasce me, Domine, esurientem mendicum tuum iugi influxu divinitatis tuæ. hoc peto, hoc desidero, ut vehemens amor me totum penetret, repleat, atque in se transmutet.

Da, benignissime Redemptor, ut dilectione tui totus ignoscã; totum à me ipso deficiam, in te solo delecter, te solum sciam & sentiam. O superefluens abyssus divinitatis, trahe & immerge me in te, totam affectionem cordis mei ita abripe, & tibi applica, ut ipsa ad cuiusvis omnia fit prorsus exanimis.

Te invoco in animam meam, dulcis Deus, te inclamo, te grandi affectu requiro, suavis amœnitas intimorum amplexuum. Veni dilecte mi, veni millies exoptate, ut te intus possideam, & ulnis animæ meæ castissimè complectar.

O lux, quæ semper luces & nunquam offuscaris illumina me; & ignis, qui semper ardes, & nunquam extingueris, accende me; ô amor, qui semper ferves, & nunquam tepescis, absorbe me, & transmuta me in te.

O charum lumen oculorum meorum, IESV, *expelle tenebras omnes à domicilio mentis meæ, meq; totum illustra splendore gratiæ tuæ. Intra in animam meam, o dulcedo summa, ut dulcia sapias, & in te solo gaudeat atque quiescat.*

O dilecte mi, dilecte votorum meorum, concede, ut te inveniam, inventumq; teneam, & brachijs spiritualibus arctissimè constringam. Te desidero & ad te anhelo, o beatitudo æterna. utinam te mihi dones, & me tibi intimè unias, atque mero divinæ charitatis totum inebries!

Saucia, Domine, interioris hominis arcana jaculo tui amoris, & in medullas frigidæ torpentisq; animæ flammam salutarem immitte, ut ego inextinguibili charitatis ardore succensus, indicibiliq; suavitate spiritus tui penetratus prorsus à me transferar in te.

Recipe me, ô floride sponse, IESV, *inter amoris tui suavissimos amplexus, quibus cõstrictus spiritus meus gelidus, totus incalescat. Aperi, Domine, aperi pulsanti, & orphanam animam in dilectionis tua conclave admitte, tibiq; misericorditer eam copula.*

Haurium ex te aquam vivam, o fons mellitissime, quâ gustata à

nihil jam præter te sitiam, descendat in me cælestis ros suavissimæ charitatis tuæ quo intimè imbutus, purus à terrenis cupiditatibus & adulterinis amoribus conserver.

O charorum omnium charissime, præsta, ut ego totus tuus sim, & tu meus in æternùm permaneas. Sic me tibi conjunge, sic tibi agglutina, ut nunquam à te separari possim; sic te mihi præbe, sic communica, ut pacis tuæ dulcedine repletus jugiter in te castè delitiet.

O tranquilla & serena lux, Deus meus, animam meam tuis illustrationibus irradia. Iunge me tibi viciniùs, ô sol rutilantissime, ut ad calorem virtutis tuæ flores & fructus sanctæ dilectionis progerminet terra cordis mei.

Eia, honor meus, gaudium meum, & sincera voluptas mea. Iesu, tantam, quæso, amoris tui flammam in penetralibus cordis mei excita, ut deinceps nihil sub sole eligam, nihil concupiscam præter te.

O Domine mi, cælum, terra, & omnia quæ his continentur, sine te sint mihi, velut hibernum gelicidium. Tu solus me afficias, solus lætifices, tui solius amor in intimis vivat & ardeat, ac vivus atque ardens permaneat.

Illucesce mihi, ô lux fulgida & gratiosa, ut in meridiem clarissimũ vertantur tenebræ cæcitatis meæ. Exorna, ô bonæ IESV, animam meã illo charitatis decore, quem diligis; impingua eam illo amoris adipe, quo delectaris: aufer ab ea quidquid oculis tuis minùs placet, & eam redde tibi per omnia placentem.

O ardor suavissime, vora, & feliciter consume pulvisculum substantiæ meæ. Transfer me in te, ut ego indissolubili amoris glutino tibi adhærens, vivam ex te, & tamquam lilium efflorcam coram te.

O venustissime atque vernantissime flos IESV, *ô vita perennis, vita per quam vivo, sine qua morior; vita, per quam gaudeo, sine qua mœreo, vita dulcis & amabilis, concede ut tibi jungar, te amplectar, & suavi charitate, soporatus in te, qui es pax gratissima, sanctè obdormiam.*

Da Domine mi, ut anima mea virtute ardentis amoris conflata, & dulcedine penetrantis charitatis liquefacta, tota effluat in te. Possideam, ô summum atque incommutabile bonum, possideam, ut ipsa possideat te.

Confige, dilecte mi, & transverbera cor meum acutissimo dilectionis telo, ut ego amore tui salubriter langueam, omnia transitoria mihi vilescant, tu solus placeas, solus incomparabili pulcritudine tuã me lætifices.

Dirue, dulcis IESV, *odiosam materiam tepidæ conversationis meæ,*

& præsta

& præsta, ut paratus ac liber inextinguibili fervore sequar te. Prædat astrum ardentissimæ dilectionis, quod me tam valido impetu impellat in te, ut spiritum non habeam extra te.

O unice cordis mei consolator IESV; demitte, quæso, in me jugiter gratiarum tuarum stillicidia. Attrahe me potenti virtute amoris tui, mihiq; tuæ propitiationis osculum imprime; quo consignatus nihil posthac diligam præter te; quia tu es tota possessio, totaq; beatitudo animæ meæ.

CAPVT XVII.

Meditatio de pace animi, & conformitate voluntatis nostræ cum divina.

NOTA, quod ad hanc pacem omnis spiritualis exercitatio dirigatur, & ea cælestis vitæ dulcedo delibetur. Continet puncta 38 quorum singula meditationis materiam dare convenit Dei gratiâ.

PRÆLVDIVM I. Erit statuere se magnâ quiete corporis atque animi, quantum fieri potest in conspectu Dei.

PRÆLVDIVM II. Erit, petere à Domino hunc preciosum animæ thesaurum, & veram in hac vita beatitudinem pro majori Domini gloria.

Quid sit amare Deũ. Coloss. 3. 1. Reg. 13.

I. Considera perfectionem consistere in amore, ut sæpè jam dictum: hic verò quid est? idem cum Deo velle ac nolle, & quisquis hoc consecutus est, uti David vir secundùm cor Dei: quid eo felicius & beatius, dic obsecro, etiam in hac vita? siquidem talis habet passiones mortificatas, & in altissima pace conquiescit; factus est in pace locus ejus, & habitatio ejus in Sion.

Psalm. 75.

Hæccine vera, ut sup. p. 7.

Methodus ad perfectionem. Blos. in app. c. 5. l. 10. Dial. c. 6.

Adverte deinde, quòd conformitas ista voluntatis cum voluntate Dei nostri simul optima sit methodus & compendium ad perfectionem, id est beatitudinem etiam in hac vita, qua se ad illam pertigisse Thauleri instructor respondit. Cæsarius verò narrat de quodam miraculis claro, qui nulla alia exercitatione quam ista perfe-

perfectionem fuerat consecutus. Túne credis & negligis? ex illa autem oritur pax, quæ est status animæ quo neque adversis, neque secundis inordinatè movetur, sed in Deo fixa quasi in rerum vertice, unum undique Deum videt, & eum esse suprà omnia, subtus se appetitum suum, omniaque cætera humana intuetur, & in divinâ voluntate conquiescit. Hoc tibi imaginare, & ad hanc felicitatem adspira, cùm possis, & Dei amicitiam. Nam sicut pax est inter eos, & amicitia qui unũ volunt, & nolunt; ita nobis cum Deo, si id quod ipse vult, hoc unum velimus, & in ejus voluntate sanctissimâ conquiescamus. Qui hoc modo stat ut ita dicam, nònne quasi ad perpendiculum in Deo firmiter stare videtur? & beatus esse & tu esse nolis? Ex dictis clariùs disce quid sit pax, quam alij dicunt esse cùm sensus & voluntas, & omnia rationi parent, & ipsa Deo. Pax certè, ô JESV, verè multa est diligentibus legem tuam, Domine. E contrario, dicit impius: pax, pax; & non est pax impiis. *Pater æterne*, ut infrà pag. 1003. vel *Agnosco*, ibid. vel ut infrà pag. 1005. *O omne bonum*. vel ut suprà *Amorem excita. Hoc post singula puncta facere licet alijsque affectus pro arbitrio excitare*, vel *Iaculatoriis 5. cap. de contemplat. positis mentem elevare?*

Quid sit pax.

Pax est beatitudo.

Psalm. 118.

Ierem. 8.

Nota benè.

II. Considera I. Antè creationem nihil fuisse præter Deum opt. max. in se beatissimum, & ipsum in se habuisse omnium ideam, & habere; ita autem perfectam ut neque jota, neque apex desideretur, secundùm voluntatem suam: secundùm hanc etiam perfectè omnia fecisse, & quidem valdè bona; & gubernare conservare, ac perpetuô & ordinatissimè etiam in singula momenta. De quo ergò tu queri potes? deinde omnia illa referri ad Deum, ut prototypon optimâ proportione, pondere, numero & mensurâ velut finem ultimum; omnia enim propter semetipsum creavit altissimus, & gubernat, & nónne jure meritoque? cùm ipse solus sit & creator Dominus, & omne bonum?

Deus ideam suam sequitur semper.

Prov. 16.

idque non tantùm observa in creatione, sed etiam in gubernatione & conservatione quæ est quasi continua creatio. Cùm autem tu Domine solus noveris quo pacto omnia ad finem dirigenda etiam minutissima, in omnibus me resigno divinæ voluntati tuæ: nam quemadmodum primus orbis cælestis omnes rapit inferiores, & sequuntur illi, aut si non sequerentur ut sic dicam obtererentur; ita omnem voluntatem tuæ divinæ esse subditam oportet. Liberam tamen scio, sed si qua repugnet, eam aut rapi tuâ voluntate, aut trahi, aut obteri. Quis enim nisi frustrà resistere tibi potest? quis verò aliquando restitit tibi & pacem habuit? Aspende illud, & vide quid sit in præsentibus de quo queraris factum, dictum, vel optares sive in publicis sive privatis, & an Deo possis vel expediat tibi repugnare, & cùm nequeas cui id stolidè velis, vel præsumpruosè optes ut stultus & insipiens? *Pater æterne*, vel *Agnosco*, ut inf. p. 1003.

Rerum præsentium consideratio.

III. Aspice præteritam vitam, & ex iis quæ optares aliter evenisse, nnum vel plura delige, & observa in hoc accuratissimè à Deo id ipsum relatum ad ideam suam, ita ut jota vel apex non præterierit, aut mutatus sit præter ejus sanctissimam voluntatem, & quid de te turbando tunc lucratus fueris, aut jam si doleas lucreris? Nil nisi ut malum malo adderem, Deus meus, requies mea, infecta enim esse nequeunt; & certè quanta pace fruerer, si in iis N. me resignassem tum tuæ voluntati. Numquid jam video quòd oporteat & oportuerit semper ad resignationem velut morbi curationem etiam sero venire? Itaque jam si quid te torquet, ne demens iterum ad idem impingas vide. *Hæccine vera*, ut sup. p. 7. *Affectui resignationis & amoris insiste saltem dic*, ut inf. *Pater æterne*, vel *Agnosco*, pag. 1003.

Consideratio vitæ præteritæ.

Serius ocyus ad resignationem eundum.

IV. Considera futura, & quid eorum sicut & præteritorum sit in potestate & voluntate tuâ nihil fere; quid in præsentibus? minimum omninò & vix quic-

Necessitas resignationis & pacis.

quicquam : Omnis enim homo liber est, & præter hoc quòd ceteraque extra potestatem nostram, addo quòd neque futura providere vel ad momentum possimus. Numquid enim ignoramus ferè omnia? numquid futura ita ferè à præteritis pendent, ut solâ Dei gratiâ mutari queant, ex malâ v.g. æstate inopia, pestis, &c. Quid ergò tuum providere juvat? Si ita habet, nónne, ô Deus meus, mihi præsentissime impos mentis sum, si non sincero corde me in omnibus voluntati tuæ accommodem? certè enim novi neque bona impetrare nisi à te, neque mala præcavere nisi per te possum, id tibi humillimè supplicando: Quomodò ergo meliùs mihi consulam quàm me tibi committendo? præterita enim infecta esse nequeunt, quibus futura connectuntur incerto prorsus eventu. sufficiat ergò diei malitia sua, & quietem ama. *Pater æterne*, vel *Agnosco*, ut inf. pag. 1003.

V. Considera in cælo, in aëre, in terrâ, & aquâ seriem rerum & ordinem perpetuum, & operationem perpetuam juxta ideam illam primam divinæ bonitatis, interim tamen etiam mille revolutiones & mutationes in singula momenta, ortus & occasus: expende præterea omnes homines esse liberos, & nunquam in eodem statu permanere. Deinde dæmonum vide mille machinationes, & adverte innumeris casibus esse obnoxia omnia, tum publica, tum privata. Quid ergò, ô Jesv amantissime, providere aut mutare possum? aut præcavere? & quo fructu, cùm innumera præcavenda forent? & millenæ ut sic loquar portæ custodiendæ ne intret ad me malum, quarum ne vel unam sine te custodire possem; nisi enim tu custodieris civitatem, frustrà vigilat qui custodit eam.

Igitur quemadmodum in plurimis non me torqueo, quæ aliter fieri non posse video, sic in omnibus quæ me tangunt totum me resigno sanctissimæ

voluntati tuæ, & ab eâ solum moveri opto, & in te vivere, esse, & moveri, ideoque necesse scio ut undique sit libera voluntas mea, nulli affixa, nulli obnoxia. Dico ergo cum Apostolo tuo toto corde ex nunc in omnem vitam, in omni actione & millies & millies: Domine quid me vis facere? Fiat voluntas tua sicut in cælo & in terrâ. *Pater æterne*, vel *Agnosco, Domine Iesu*, ut infrà pag. 1003.

Resignatio nobis Deum obstringit.

VI. Considera, quanta sit ejus qui resignatus est, & ex voluntate Dei suam facit felicitas: etenim resignatione homo sibi Deum obligat, ut quia in eius manus se suaque ponit, fiat vas ex luto illo quod ei placuerit in gloriam vel honorem: vel quia ejus ductum sequi toto animo desiderat, ut dirigatur ab eo in viâ pacis & prosperitatis, vel ut dum se projicit in paternas ejus manus ut eum labi non permittat. Nihil ergo solliciti simus, ô anima mea, sed sollicitudinem nostram projiciamus in eum, id tantummodo agamus oportet, ut hoc momento uni Deo nostro placeamus, securi de omni successu, de omni quod futurum est. Nonne enim quisquis hunc vel illum successum optat, anxiè se turbationi frustrâ exponit? nonne ut dixi incertum exitum omnia habent? ac proindè quid est ferè quod speremus? quid est quod timeamus? quàm sæpè quod timendum homini videtur, sperandum est, & contrà? perieramus sæpè nisi periissemus, infelices eramus nisi miseri fuissemus. Aspice ut filios Israël Deus per tot ambages deserti in terram sanctam duxerit. Cur ita? sic ei visum expedire. Vide ut perduxerit per adversa plurima & extrema Josephum & Davidem. Hic *in resignatione te exerce*, ut suprà. vel *Agnosco, Domine Iesu*, ut infrà pag. 1003.

Phil. 4.

1. Petr. 5.

Rerum omnium incertus eventus.

VII. Considera, præterea Deum semper in omnibus habere propositum sibi finem suum, quodque hunc semper spectet & consequatur, nos verò & eum consequemur si omninò ejus voluntati nostram accommodè-

modemus, aliàs non, aliàs quiescere mens, aut id quod expedit consequi non potest. Quemadmodum igitur in tribulatione positi nos resignare debemus, ita antè omnem eventum nihil velle, nisi Dei voluntatem. Nota tamen ex parte nostrâ faciendum quod possumus, cætera Deo committenda esse, ut nautæ omnia ad navigandum comparant, ventum deinde à Deo præstolantur; is novit quando & quis spirare debeat. post eam diligentiam de eventu nihil anxiè curandum: frustrà enim foret, cum in nostra ille potestate non sit. Attende verò Deum cupere, ut unam ipsius optemus fieri voluntatem & omnem anxietatem deponamus, tum ejus providentiam magis fore de nobis solicitam. Quem ergo putas feliciorem successum habiturum? certo certius eum qui voluntatem suam divinæ accommodaverit. Quid ergo me facere convenit, ô Deus meus? & nónne æquius ut tu, qui Dominus es, tuam voluntatem & providentiam sequaris potius quàm meum vilissimi mancipii tui? illa enim, sancta, & optima, & mihi utilissima, mea autem cœca prorsus, & imprudens, & misera. Impius Achab consulere velle videbatur te Dominum, sed simul ut responderet per Micheam Prophetam placentia, iniquè ferens quod prophetaret sibi malum. Ego verò, Domine, supplico Majestati tuæ, fac de me secundùm beneplacitum tuum, tu enim veritas, tu bonitas, tu Sapientia æterna. *Pater æterne*, ut inf. pag. 1003. vel *Agnosco*, ibid. vel ut sup. *In amore te exerce.*

Deum habet suum finem ob oculos.

Diligentiam ex parte nostrâ necessariâ.

Successus unde pendeat.

VIII. Considera decursus sæculorum varioſque eventus rerum non rarò nubilos ac tristes fuisse post serena principia, felices post tristia, ut in Samsone, Saüle, Davide, Salomone, cuivis notum. Secundò decursum vitæ tuæ, & eadem observa. Ergo posthac nihil unquam certi designa nisi unam Dei fieri voluntatem. Tertiò, præsentem statum, & vide numquid in eo felicitatis vel adversitatis, quamque variis modis infau-

Omnia nobis incerta.

ſtum illa exitum, hæc fauſtum habere poſſit; & contrà. *His ad indifferentiam te excita, & Deo te reſigna.* Conſidera præterea Deum initio creaſſe & ordinaſſe ad finem omnia in pondere, numero & menſurâ, atque ita Sapientiam æternam in minimis & maximis facere, ut ne arena quidem abſque ejus nutu moveatur. Cùm ergo neque curſum mundi, neque ejus ordinem mutare poſſis, imò juſtum illum & certum arbitreris, cur diffidis Deo tamen gubernationem? illud optas N. de hoc quereris? O altitudo divitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei, quàm incomprehenſibilia ſunt judicia ejus, & inveſtigabiles viæ ejus! *Pater æterne*, ut inf. p.1003. *Agnoſco*, ibid.

Nec arena abſque Deo moveatur.

IX. Conſidera an noveris finem Dei, aut noſſe queas in ullis rebus. Deindè adverte eum minima æque, ut dixi, ac maxima ad finem ſuum ordinare, quem ipſe ſolus noverit. Attingit enim à fine ad finem uſque fortiter, ſuauiterque omnia diſponit, quodque decrevit aut facere aut permittere, certum id neminem poſſe impedire, quo minus uti & quo voluit modo aſſequatur, & ad ſuum illum finem omnia etiam minima ſubordinata habere. Cur ergo omnia ita ſunt ſubordinata, vide ut minima etiam ejus providentiæ ſubjaceant ab æterno, ut paſſeres non ſint in oblivione coram eo, folium arboris temerè non moveatur, capilli omnes tui numerati ſint, ſortes nullæ mittantur in urnam niſi à Domino temperentur. An tuæ, an illius providentiæ omnia aſſignanda putas? certè ut pacem habeas, in omnibus reſignare tuam voluntatem debes. Quis enim reſtitit ei & pacem habuit? hinc eremitæ ad pacem ſic ſuos inſtituebant, ut cogitarent Deum, & ſe ſolos in mundo eſſe, ita ſe gubernari ab eo, ita illum ſibi providere. Hoc magnum exercitium vocabunt Sancti: tu ergo eorum exemplo omnia à Dei manu accipe, tuaque bona & mala recenſe, & reſigna te Deo tuo, ita ut in neutram

Sap.8.

Minima etiam curat Deus & ordinat.

Luc.12.

Matth.10.

Prov.16.

Iob.9.

Doroth. doctr.7.

partem

partem propendeas. Nos, ait ille, ut canes lapidem mordemus, jacientem non advertimus; nos calamo, penicillo artem, non artifici tribuimus. Aliter certè Scriptura loquitur: Si erit malum, inquit, in civitate quod Dominus non fecerit; Spiritus, inquit, Dei malus arripiebat Saul. Dominus dedit, Dominus abstulit. Vis ergo cum David esse secundùm cor Dei tui, faciendo omnes voluntates ejus? nihil opta, de nullo querere, quòd hoc vel illo instrumento Deus utatur ad opus suum faciendum: scis, credo, quòd ipse artifex novit, quæ qualiaque operi suo conveniant, & bona & mala, vita & mors, paupertas & honestas à Deo sunt. *Pater æterne*, ut inf. p. 1003. vel *Agnosco*, ibidem.

Amos 1.

1. *Reg.* 16. *Iob.* 1.

Act. 13.

Eccli. 11.

X. Considera Deum esse velut optimum architectum scire proinde primò, quo fine singula à se providentissimè & summâ sapientiâ sint aptata & creata, imò certum eum tibi & singulis pro fine suo indidisse vires & robur animæ & corporis, virtutes & dona largiri. Sicut enim in mundi machinâ partibus ejus, & in corpore humano singulis membris suam mensuram, situm & vires tribuit; ita hominibus in Ecclesiâ, Repub. Religione, ut corporis alicujus membris dona ac talenta dispertitus est, suntque ijsdem tributa situs, forma, mensura, vires, juxta proportionem operis, cui inseri & inservire debent. Quocirca si sapis ne æmuleris in aliis dona Dei, sed charismata sola meliora fidem, spem, charitatem, idque animo tranquillo: omnia enim operatur unus atque idem spiritus, dividens singulis prout vult. at fortè optes plura; quo fine? an alium à Deo habes? ecce fortè si plura talenta haberes, plus superbires; si enim neque jam satis humilis sis, & altiora æmuleris, queraris de contemptu, de munere, loco, collegis quibuscum te voluit esse Deus, quid fieret si plura talenta haberes?

Deus optimus Architectus.

Æmulanda charismata meliora.

XI. Considera, Quid maxima Dei dona &

talenta prosperaque sors profuerint Salomoni, & siste, & obstupesce nónne meritò dicebat David; Ab altitudine diei timebo, etenim cadent à latere sinistro mille, & à dextris, id est, in prosperitate, decem millia; & tu optes tibi ex voto fluere universa? Deinde attende quid honor & talenta infelicissimo Sauli profuerint, & sacrificia perperam facta. Optare igitur sæculi bona quis potest, aut invidere alicui dignitatem, honorem & opes? nihil enim est hoc aliud quàm invidere salutis ac bonæ mentis impedimenta, cupiditatis incurabilis morbi plura fomenta, emplastra & medicamina, quæ si variare possint homines, multisque uti frustrà, beati putantur. Nónne autem melius morbo simul carere & pharmacis? non sitire quàm vario potu debere sitim levare? non famere, non indigere plerisque, ac proinde non appetere? ut adnascuntur regio patrimonio, onera ferè majora, ita talenta & bona mundi dolor & afflictio comitantur. Quorsum verò tu majora te quæris, & plura optas corporis aut animi bona quæ verè indifferentia ad Dei gloriam sunt? an ut Deo acceptior sis? cur igitur à te resignatio & vera virtus & charitas quâ unâ millies amplius Deus honoratur, quàm omnibus aliis bonis scientiis & talentis, minùs studiosè quæritur? Accedit quod haberi hæc & licitè expeti potest, illa ambitiosè sæpè expetuntur & curiose, & nónne ea ferè studiosius quæruntur, quibus ut plurimùm Deus inhonoratur, ut sunt ingenium & scientia inflans, robur, officium? Certè si res inspiciatur & fateri velimus, sæpè non tam quæritur ut apud Deum, sed homines magni simus.

Psalm. 55. Sors prospera quàm sæpè sit adversa.

XII. Considera autem omnia membra & partes universi non eundem actum, locum, formam, speciémve habere, neque nisi omnia perturbentur, æquè præstantia esse posse. Vides in picturâ non omnia æquè magna, propinqua, illuminata? ita etiam in aliis & vita scito varietatem magnam omnino ne-

Deus ordinat partes universi.

no necessariam etiam ad proportionem, quam solus ipse Deus optimus architectus novit, uti etiam solus finem ad quem singula à se ordinata sint ab æterno. ita voluit conditor orbis, tu verò in vitâ tuâ omnia privata seu publica prospera optes, & unius coloris universa? Túne igitur arguere audeas opera Dei, qui omnia in summo benefacit, magni inquam architecti, pictoris, Regis, Ducis, Medici, tu qui nec ideam nosti, nec finem operum ejus nec consiliorum? ergo quoties egrederis, & cogitatione mundum oberras, variosque successus appendis, cogita tibi maximi artificis inspiciendam imaginem, summâ arte variis locis inumbratam, & omnino laudatissimam neque certè temerè judicandum abs te ignaro & puero, & insipiente & cœco. *Pater æterne*, ut inf. pag. 1003. vel *Agnosco*, ibidem.

XIII. Considera, an non contentus esses, si omnia ex voto & voluntate tuâ fierent, & tamen nónne illa est improvida? sæpè etiam mala? Cur ergo non potius gaudes, & in eo conquiescis quod Dei voluntas fiat sancta, & bona & tibi utilissima? nónne coram orbe toto & curiâ cælesti me & te puderet dicere, volo aut velim potius meam in hac re N. publicâ aut privatâ quàm tuam fieri voluntatem, Deus meus, quia mihi utiliorem esse judico? nolo tibi, sapientia æterna, in ancipiti hâc viâ electionem tribuere, nolo ductum tuum, quem mihi offers, sequi, etsi solùm te esse noverim viæ & termini peritum, & mei amantissimum patrem & pastorem animæ meæ? *Pater æterne, coram &c.* ut infrà pag. 1003. vel *Agnosco Domine* JESV, ut infrà pag. 1003. vel *O omne bonum, &c.* ut infrà pag. 1005.

Malles ex voluntate tuâ omnia fieri quàm Dei.

XIV. Considera quàm gratum sit videre cælum & omnia tranquilla, ordinem cælorum, & cursum perpetuum & animo tranquillo applica, & similiter quantum ex pace respub: gaudium, quantam ex pace

Pacis bona.

Psalm.4. suâ anima hauriat jucunditatem, & dic cum Prophetâ: In pace in idipsum dormiam & requiescam. Itaque neque publicis neque privatis patiare eam minui. Quid enim tibi prodest foris esse pacem, si domi bellum? publicam esse tranquillitatem, & in animo tempestatem? Extra te florere omnia, intra te bello ardere, idest passionibus agitari? *Agnosco, Domine Iesu, &c.* ut infrà pag. 1003.

Vide nunc ut pacem omnia quærant. Quid enim servus propriæ voluntatis ex ipsâ sibi sperat, volendo hoc agere, hoc omittere, hîc esse, inde abesse, hoc munere, loco, favore frui, nisi quietem? atqui nónne verè hoc est inquietudinem quærere, & fontem ejus augere? & cor aquis fluentibus, aut ventis furentibus, aut hostibus rapientibus dare, & pacem petere, ac sperare? Tu igitur primò vide quid utile ad salutem tuam judices, deinde, cùm liber sis, velis eam, omnemque adhibe diligentiam, Deoque imprimis pro gratia supplica; nullum verò successum aut exitum pete nisi unum & certum, hoc est fieri divinam voluntatem, alioquin inquietus eris, & ut morbidus versabis te assiduè frustrà. Proprium, inquit quidam, infirmorum talium est nihil diu pati, mutationibus ut remediis uti, indè peregrinationes suscipiuntur vagæ, & littora peragrantur, & modò mari se, modò terrâ experitur: semper præsentibus infesta levitas, semper se fugit homo, non effugit. Si te ad studium revocaveris, omne vitæ fastidium effugeris, nec noctem fieri optabis tædio lucis, nec tibi gravis eris, nec aliis supervacuus, multos in amicitiam attrahes, affluet ad te optimus quisque. Nunquam enim quamvis obscura virtus latet, sed mittit sua signa, quisquis dignus fuerit, vestigiis eam colliget. *Pater æterne, coram, &c.* ut inf. pag. 1003. vel *Agnosco Domine Iesu*, ibid.

Seneca de tranquillitate animi.

XV. Considera etiam ipsum amorem pacis, si an-

xius sit homo, pacem ipsam turbare, & idem est in aliis virtutibus: quanto magis si terrena appetas? Itaque si non ut optas in virtute proficias, si aliis non satisfacias, si publica mala gloriæ Dei officere videntur, etiam te resigna, & in gradu virtutis & gloriæ, & in omnibus opta tantùm Dei fieri voluntatem, ne querare hoc vel illud non succedere, sed ora humiliter Dominum, & te ei resigna. Nónne faciliùs impetrat filius sedulus, contentus iis quæ Patri placent, quàm querulus? Nónne is gratior mendicus, qui ubi scit clamorem suum exauditum, in silentio patienter exspectat, quàm ille qui impatiens & indignabundus illud vel istud flagitat? faciendum tamen id quod possumus, & præmissæ, ut ita loquar, à nobis sunt ponendæ, Conclusio Deo relinquenda, terra colenda, & semen jaciendum, Deo incrementum relinquendum qui solus id dare potest. *Pater æterne, &c.* ut infrà pag.1003. & *Agnosca* ibidem.

Virtutes ipsa non anxiè quærendæ.

XVI. Considera num aliquid sit publicè aut privatim, quòd à pace & proposito ac instituto tuo te impediat, & simul vide an repelli possit vel à te debeat; quòd si non possis aut non debeas, licèt videantur bona opera impediri, omnino tranquillo animo te esse oportet & dicere cum Prophetâ: Conserva me, Domine, quoniam speravi in te. Dixi Domino, Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges. Hæc verba expende. Nec est quod te angat offensa Dei, aut pacem turbet, ipse novit & curare potest, & tranquillus intuetur, & fortè parva sunt quę te in proximo turbant, & vide quantò plura & graviora committantur. Accedit, si illum emendare velis, aut Remp. juvare, nónne par est ut te alieno, non inquines malo, perturbationi animæ succumbendo? Quid enim vult hujusmodi zelus? nonne pacem esse in animo proximi secum & cum Deo? turpe igitur te pacẽ alteri optare, & tuã negligere; nónne

Psalm.15.

Ferendum quod mutari non potest.

Alienis defectibus cave turbari.

nónne hoc esset cadentem alium sustentare, aut alium è luto extrahere velle, & se ei immergere? Pacem animi tui si alieni defectus turbent. Considera defectus esse morbos animæ, & in illâ oculum intellectus sæpè cœcum esse, & voluntatem pravam verè phrenesin & magnam esse stultitiam, habitus verò malos quasi furorem. Nota tamen optimum in aliena facta dictare, nisi muneris ratio id exigat, non inquirere. si ultro in oculos incurrant, excusare, & in optimam partem accipere, saltem cogita sic illi visum esse, ut Epicteto. Nec mirare, si aliter ac tu sentiat, nunquid habet ille judicium suum, oculos suos quibus se dirigere debet? tuis certè non potest uti neque oculis, neque pedibus, neque judicio: & si humiliter de te sentires illius fortè etiam judicio tuum postponeres. Quæcunque porro vides à te corrigi non posse, aut non debere, sine animo pacato cum illo patrefamilias crescere usque ad messem. Nónne Sancti, etsi videant innumeros perire, nihil tamen commoventur. sed in Domino gaudent? horum felicitatem anima peccata quam proximè assequitur. An & eam gemmam, & thesaurum emere optas? *Pater æterne*, ut inf. pag. 1003. vel *Agnosce*, ibidem.

Aliena non curiosè observanda.

Turpe mirari alium à nobis dissentire.

Matth. 13.

Philip. 4.

XVII. Considera eum qui Dei voluntatem semper fieri optat, posse in omnibus facere voluntatem suam, & sic semper lætum esse de nullo queri, nullum incusare; nihil enim illi potest resistere: quicumque autem suam fieri desiderat, cùm quot sunt capita, totidem sint sententiæ, plurima illi adversari: qui verò propriam non habet voluntatem, suam ipsius semper aget, voluntatem divinam adimplendo. Manè igitur, vel ad horas singulas, vel quoties foras eundũ cogita te quid opus curasse fieri per architectum præstantissimum, & ire ut videas id quod certò scis esse omni ex parte perfectissimum, quod omnes sapientes laudent: neque enim tunc qui te omnino ignarum nosti, aliquid in eo, idem

Qui facit voluntatem Dei, semper facit suam.

Doroth. doct. 8.

id est in mundo, arguere audebis, hæc duriora, illa molliora quàm par est, sed in Dei voluntate conquiesces. *Pater æterne*, ut inf. p. 1003. vel *Agnosco*, ibid.

XVIII. Considera, eum, qui pacem in re ulla humana quærit, non magis eam habere posse, quàm eâ re animus queat satiari: non satiatur autem oculus visu, nec auris auditu, nec anima cùm sit spiritualis, ullâ re temporali; neque tamen refert an hæc res spiritualis, an temporalis sit, ut si desolatus & aridus petas anxiè consolationem: nam & in hac opus est ad pacem magnâ resignatione. Imò sæpè per desolationem, id quod per consolationem quæri debet, meliùs obtinetur, nempe cognitio sui, & humilitas, unde Propheta, Bonum mihi quia humiliasti me: adeò ut & D. Paulo stimulus carnis datus fuerit, ne revelationum magnitudo illum extolleret. quocirca in omni eventu sic ratiocinare. Illud à Deo est, ergo optimum mihi, si voluntatem meam ejus voluntati adjunxero. *Pater æterne*, ut inf. p. 1003. vel *Agnosco*, ibid.

Eccles. 1.

Nihil satiat hominem præter Deũ.

Psalm. 178.

2. Cor. 12.

Adversitas utilis.

XIX. Considera, dominos fidelibus servis ita omnia committere, ut ignorare velint quid in domo suâ habeant, ut in Genesi de Josephi domino Scriptura testatur. si sapis tu qui servus es, tibi omnino illud imitandũ propone, & Deo opt. max. te committe, neque quid de te, quid de publicis, quid de aliis futurum, unquam anxiè quæras, sed tibi etiam audi Dominum dicentem ut olim Petro: Quid ad te? tu me sequere. hoc unum sufficiat, quòd in manibus Domini benignissimi sint sortes nostræ, ô quanta felicitas eorum, qui sic vitam suam instituũt! Hujusmodi eodem vultu semper in pace summâ vitam agunt; qui verò propriam voluntatem amant, de se suisque aut publicis soliciti, nunquid stultorum instar, sicut luna mutantur, & mille subeunt vicissitudines atque affectus? è contrario resignatus unum formale in omnibus intuetur, divinam scilicet voluntatem, cetera materialia eum non afficiunt;

Gen. 39.

Psalm. 30.

non

non queritur de ullo, non miratur hoc vel illud accidisse præter suam voluntatem, cùm diversam à Deo non habeat: non optat hunc vel illum eventum, sed solam Dei voluntatem, & in eâ conquiescit. Ad quod August. hortatur dicens: Ama unum bonũ, in quo omnia sunt, & sufficit; scilicet Dei voluntatem, ama & quidquid eveniat ei tribue: atque adeò deprecare, ne id quod tibi vis obveniat præter ejus voluntatem, ut filiis Israël carnes poscentibus. *Pater æterne*, vel *Agnosco*, ut inf. p. 1003.

Psalm. 77.

Deus se tibi dat, tu te Deo.

XX. Considera, Dominum se tibi quotidie offerre in ven. Eucharistia, & te crebrò omnia illi tua obtulisse, quocirca & gratitudinis nomine, & spontaneâ oblatione omnem tui curam esse tibi deponendam. si enim id non feceris, furtum & sacrilegium committis, & quidem verbo Domino te fidere, re verò te magis tibi declaras. Dic igitur in omnibus; Fac, Domine, quod bonum est in oculis tuis: tua enim sunt omnia, & non est qui possit resistere voluntati tuæ. Quod cùm ita sit, certo certiùs nunquam voluntatem tuam exequi poteris, si illius voluntati optimæ & sanctissimæ repugnes: ac proinde frustrà voles, si tamen tecum misericorditer agat; aut certè miserè rues, si te permittat abire vagum, quocumque libuerit, quasi equum effrænum inter mille præcipitia. *Pater æterne*, vel *Agnosco*, ut inf. pag. 1003.

XXI. Considera, hanc pacem & animi tranquillitatem semper & antè omnia opera habendam: perturbato enim animo nihil rectè fit, ut nec dissonis instrumentis musica, nec distortis mensuris opus laudabile, nec oculo perturbato, qui est intellectus, videri res in se potest: & cùm tantum bonum animi pax sit, quidquid tolerandum esse pro eâ omnino scias & pretium ejus esse & verè parvum, & potiùs parvum incommodum tolerandum, imò & magnum undecunque nascatur, quàm pacem quæ exuperat omnem (ut Apostolus) sensum, amittendam. Numquam igitur margarita

Phil. 4.

Pax margarita preciosa

tam istam, quæ omnia bona superat, in alterius potestate esse permitte. Sed cum Apostolo dicito, Omnia mihi licent, sed ego sub nullius redigar potestate: atque ita stabilis esto, ut, quamvis fractus illabatur orbis, impavidum feriant ruinæ: neque hujus vel illius offensâ, etiamsi justâ, moveare. Sed conare quod æquum est illi præstare, hoc peracto Deo committe, neque de cetero ulla tibi res pacem & tranquillitatem eripiat, nihil dignum tanto impendio repositura. *Aspira*, ut sup. *Hæc cine firmâ fide, &c.* ibid.

1. Cor. 6. Libertas servanda.

Nullius offensione turbari te sine.

XXII. Considera pacem illam haberi non posse ex rebus humanis, si vel vna desit: ut patet in Aman, qui sic ajebat, Et cùm hæc omnia habeam; nihil me habere puto quamdiu videro Mardochæum sedentem ante fores regias. Expende & scito quietum te esse non posse, etiamsi omnem omnino creaturam etiam angelicam haberes. O quàm verum, Qui non renuntiat omnibus quæ possidet non potest meus esse discipulus! Attende nobilitatem animæ tuæ, & infinitam capacitatem intellectus & voluntatis ejus, adeò ut nec infinitos mundos cognoscendo, vel habendo vel amando satiari, vel ex minimâ arte queat, & quieta reddi, sed magis inquieta fit, magis irritatur, ut Tantalus in mediis aquis sitiens. Quid ergo frustra laboras hoc vel illud ab homine impetrare, seu favorem, honorem, opes, & unâ aliquâ te re exsatiare, si nec omnibus id potes? Ad quod pulchrè D. August. Creasti nos, Domine, ad te, & inquietum est cor nostrum donec requiescat in te. & in primis Sapientia æterna, Quid prodest homini si mundum universum lucretur, & animæ suæ detrimentum patiatur? Ratio autem prima est, quòd omnis creatura mille modis varietur, & maximè cor hominis, qui nunquam in eodem statu permanet itaque anima, quæ creaturæ adhæret, perpetuò moveri & instabilis esse debet. Secunda, quòd creatura omnis, utpote transitoria & terrena, spiritualem animam satiare ne-

Esther. 5.

Creatura non satiat.

Matth. 16.

nequeat, non magis quàm sonus oculum, aut res visa auditum, aut lapides stomachum, aut ventus famem, ut consideratione 18. attigimus. *Hæccine vera, &c* ut suprà pag. 7. vel *Pater æterne*, ut infrà pag. 1003. *Agnosco*, ibidem.

Vnde solatium petendum.

XXIII. Considera, quanto, & quàm longo labore parvum illud è creaturâ solatium hauriendum & quærendum sit, idque quàm vile & caducum: vix enim acquisitum sæpè perditur, aut si non, timore ne aliquando perdatur magis cruciat, quàm præsentia ejus animus recreetur. id enim hodie & omni horâ fieri potest ut perdas, cum morbi & mors, & cætera nos circumstent innumera mala. Accedit quòd sæpè irrito conatu illud solatium creaturæ assequi coneris, sive de honore, opibus, sanitate, amicitiâ agatur. Et certè videut idem solatium, & solidius, & verius ex pio aliquo exercitio, seu resignatione, seu studio longè minore labore haurire posses. trahit quidem sua quemque voluptas, sive ea ex honore, sive favore, sive sensibus quæratur, sive ex publicis bonis, sive privatis, sed sincerâ ex pietatis studio habetur. Quid dico? illa ipsa parvo labore ex Deo fonte & mari bonorum omnium, & ubique præsenti hauriri verissimè potest, ac certò, & quidem ita ut non possit ab invito tolli. Certè si vel decimam partem temporis devotioni dares, ejus quod tribuis huic vel illi rei, aut solatio vano acquirendo, tristitiam facilè pelleres, & liquidiorem ex Deo voluptatem, æterno deinde præmio & gaudio cumulandam caperes: nunquid enim ille ubique præsens, & ultrò se offert fons omnis boni, & solâ cogitatione ferè haberi potest? Id egregiè Spiritus Sanctus confirmat. Quasi is qui arat & seminat, accede ad sapientiam, & sustine bonos fructus illius: in opere enim ipsius eruguum laborabis, & citò edes de generationibus illius. Et cap. 15. Videte oculis vestris, quia modicum laboravi, & inveni mihi multam requiem. Comparate vobis

Delectare in Deo præsenti.

Eccli. 6.

vobis sine argento, & collum vestrum subjicite jugo, & suscipiat anima vestra disciplinam: in proximo est enim invenire eam, scilicet sapientiam; cum qua illi omnia bona pariter venerant, quam Regius Propheta tam dulcem senserat etiam in adversis, ut diligeret eam super aurum & topazium, & gauderet sicut qui invenit spolia multa: pax enim Dei exsuperat omnem sensum, & secura mens quasi juge convivium. Credis hæc & adhuc suspiras ad aliâ solatia? *Pater æterne*, ut inf. p. 1003. vel *Agnosco*, ibid. *Psal. 118.*

XXIV. Considera, neminem ex ullâ creaturâ solatium verum capere posse, nisi anima ejus in Dei voluntate quiescat; alioquin enim ægra est & inquieta. Quemadmodum autem ægram animam nihil juvat, nec cantus, nec epulæ, nec honor, uti nec ægrum oculum lux, aut aurem quamvis suavis sonus, aut stomachum cibus: ita nec inquietam animam oblectat verè ullum creaturæ solatium, seu publicum seu privatum, neque enim illud aliud, quàm alterius cupiditatem excitat: quæ si desit, ceteræ nihil prosunt. Sic Aman, ut dixi, ait omnibus enumeratis bonis. Et cùm hæc omnia habeam, nihil me habere puto, quamdiu videro Mardochæum sedentem ante fores regias. O quàm oportet publicis & privatis in malis nos abnegare, & ut egregiè ille suo exemplo docet, quòd tribulatio & angustia sit in omnem animam operantis malum; gloria autem, honor & pax in omnem animam operantis bonum. Semper enim læta est talis anima etiam in tormentis, ut patet in Martyribus, cùm Dei & suam in omnibus videat compleri voluntatem. Colligo igitur ex his antè omnia tibi necesse esse, in Deo quærere quietem, etiam ut creatis benè uti & frui possis. idque statue primò curare, & Deum roga, cùm labor omnis aliàs sit inanis. *Pater æterne, coram &c.* ut infrà pag. 1003. vel *Agnosco*, ibidem. *Aegro animi nihil sapit.* *Esther. 5.*

XXV. Considera, quàm stultum foret per ambages

multas easque laboriosissimas hominem sitientem ire, & viam brevem ad fontem relinquere, maximè si tandem ut ad fontem perveniat sit illâ redeundum, & ambages illæ non tantùm viam longiorem faciant, sed etiam viam ad quam tandem necessariò veniendum, obstruant. Applica illud creaturæ, & ejus amori, quo quis in illâ sibi quærit quietem: neque enim anima in ullâ re quietem nisi in Deo capere potest; ad illum redeundum est ipsi, ut columbæ ex arca demissæ, quia non invenit ubi quiescat pes ejus, nihilque aliud agit hoc vel illud optando bonum; vel carere volendo hoc vel illo malo præter Dei voluntatem, quàm frustrà quærere pacem idque per ambages multas & remoras cogitationum, verborum & actionum. Resignatus verò in malis tranquillus in voluntate Dei quiescit, neque anxius est, quid agat vel quid agatur; hoc an illud: unam enim cogitat, & optat fieri Dei voluntatem, & respuit quia novit inanem voluptatem, quæ non sit ex illo, eò quod in Deo fonte omnis boni verum habeat semper & ubique paratum illud quod ex creato quærit bonum. *Pater æterne*, ut inf. pag. 1003. vel *Agnosco*, ibid.

Cur brevi viâ ad pacem non tendis?

Gen. 8.

XXVI. Considera, creata omnia, quæ cùm absunt & desiderantur, sui nos desiderio cruciant, id magis facura cùm præsentia aderunt. Quot enim secundo vento pereunt, qui adverso steterunt? certè bona etiam publica, præsentia cùm sunt, spinæ sunt (quod enim de opibus ipsa veritas, id de deliciis & honoribus dicere licet) & majora mala adferunt, unde Propheta: Ecce in pace amaritudo mea amarissima. Sæpe tum magis spinæ illæ pungent, concupiscentiam accendent admissa in animum, & ut hostes nocebunt, cùm solo adspectu & affectu, & cogitatione nudâ percepta id fecerint. Nec mirum cùm & cor hominis per hoc quòd creaturam inordinatè amat, ut sic loquar, collocetur extra centrum suum, quemadmodum etiam

Quæ bona noxia sint.

jam illa creatura, quam petimus ut nobis jungatur vel afficiatur, similiter extra centrum suum trahitur aut locatur, atque ita ad illud violentè tendit illa, & cor humanum. Omnia enim, gloria, honor, amor, ad solum Deum referenda sunt, propter quem omnia creata sunt. *Pater æternæ*, ut inf. p. 1003. vel *Agnosco*, ibid.

Luc. 14. Abnegatio necessaria.

XXVII. Considera, illa Christi verba; Nisi quis renuntiet omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus. Si ergo renuntiandum omnibus, saltem affectu; quid quæris jam? quid optas? quomodo ea quæris, & quorum absentium affectum abnegare nequis, quomodo præsentium poteris? *Pater æterne*, ut infrà p. 1003. vel *Agnosco*, ibid. vel *O omne bonum*, ut inf. p. 1005.

Externa bona nihil animæ prosũt

XXVIII. Considera animam externis bonis uti nec meliorem posse esse, ita nec quietiorem, ut nec parietē album albedine longè positā, nec corpus sanum multis sanis corporibus circumstantibus: malum enim & bonum illius ex ipsâ & in ipsâ est: cætera non junguntur animæ, nisi per tenuem sensuum delibationem, & extra nos sunt etsi contigua. Attēdē ut visus, gustus, tactus, superficiem aliquam quasi tangant solùm: itaque anima iis nō satiatur magis quàm famelicus cibis longè positis, aut nesciens eos deglutire. *Pater æterne*, ut inf. pag. 1003. vel *O omne bonum*, ut inf. p. 1005.

Externa bona non possidentur.

XXIX. Considera, nihil posse quietam animam reddere nisi id ab eâ teneatur, & quocunque modo possidere illud se sciat aut videat, atqui potissima bona mundi, ut favor, amicitia, honor, laus, nunquam haberi certò possunt, nunquam diu. Hæc enim nunquam homo scire potest certò se possidere. Vera autē possessio animę est perfecta rei cognitio & certa, ut in sciētiis, quæ proindè auferri nequeūt. Perge modò & vide quid homo ferè ex rebus possideat, an vix quicquā noverit præter accidētia aliqua, & ea quæ possidet verè imaginatione possideat, ut insanus Thrasyllas Athenis, qui omnia sua ajebat. Quid ergo possidet homo de bonis

mundi præcipuis favore, gloriâ, cum scire nunquam possit an habeat, atque ita neque possidere nisi imaginariè; & ut uno momento id sciret, tamen incertum quàm diu, quia inscrutabile cor hominis, & in momẽto mutatur. Et verò quid amicitia, favor, honor, &c. sunt, nisi ferè nuda alterius de nobis cogitatio, eaq; ut plurimùm falsa? quia verè judicare de homine solus Deus potest: sed quidquid sit, judicium certè hominũ de virtute meâ & ejus æstimatione, non me meliorem reddit, uti nec aliam rem ullam; sed si tantum fecero ut sincerè Deo placeam quantum homini verè bonus ero, & huic & Deo placebo, & quietem possidebo & felicitatem certam. tantus enim quisque est, quantus in oculis Dei. *Pater æterne*, ut inf. pag. 1003. vel *Agnosco, Domine* JESV, ut infr. pag. 1003.

Opinio & res sæpè idem valent.

XXX. Considera, quanta vanitas rerum sit. cùm ferè idem sit in creatis (observa tamen agi de non necessariis) habere & putare sese habere; & habuisse omnino idem, ac putare sese habuisse. Quod cùm ita sit, vide quanto melius, vera & certa gaudia & quietem ex Deo haurire. *O omne bonum, &c.* ut infrà pag 1005. *Excitare hic affectum gaudij potes*, ut sup.

Omnia propter Deum velle oportet.

XXXI. Considera, Deum omnia creasse propter se, ac proinde nihil optandum, quàm ut ad illius maximam gloriam omnia fiant & impendantur ac consumantur, velut in sacrificio, nullâ habitâ nostri ratione; nisi quantum gloria ejus postulat cùm infinita ejus dignitas, præstantia ac bonitas id planè exigat, ut omnia ad illius obsequium, honorem, gloriam, voluntatem referantur. cetera enim omnia nihil sunt, nullius precii. ita que roga Dominum, ut nunquam aliquid secundùm tuam voluntatem faciat, aut fieri permittat, nullam tui habeat rationem, sed sui. Quomodo enim, quando, ô Deus meus, Majestas tua omnia fecit verbo virtutis suæ, & sustentat, idque propter gloriam suam, & ut faciant voluntatem suam, & omnia tibi serviant; vilis-

Intentio pura.

vilissimus vermiculus cupiet non propter quod creata sunt, hæc & illa impendi; sed propter se, & secundùm voluntatem suam, atque ita se tibi æquare volet & comparare? optabit (inquam) hoc vel illud fieri, illa habere bona, his malis carere seu publica sint seu privata, hoc vel illo in loco & officio esse, quasi tu Deus, non noveris eligere eos qui ad obsequium tuum, in hoc vel illo loco, pulpito, officio, conversatione magis sunt idonei, *Pater æternæ*, ut inf. pag. 1003. vel *O omne bonum*, ut inf. p. 1005.

XXXII. Considera, quid optes, quid metuas; & pacem illam vel oblectationem, quam creatum aliquod retinendo, vel acquirendo habere vis, scito abnegando illud ex Dei amore & propter regnum cælorum, idque unum quærendo, faciliùs longè comparari: Nonne enim dixisti ô JESV, spes mea, & æterna Veritas, Quærite primùm regnum Dei, & hæc omnia adjicientur vobis? Si hoc verum est, quid stultius, quàm aliquid quærere ingenti labore frustrà, quandoquidem sciam unum regnum tuum, id est voluntatem, quærendo (quod facile) hæc ultrò omnia adiicienda: Vnde alio loco mones: Nolite solliciti esse, dicentes, Quid manducabimus, aut quid bibemus? hæc enim omnia gentes inquirunt. considerate volucres cæli, & lilia agri, &c. Cùm ergo prohibeamur etiam de necessàriis solliciti esse. & nos, Religiosos maximè, sine omni curâ esse oporteat, ut cæli volucres, quas Pater cælestis pascit; certè non curabit ille nos, si contra ejus mandatum curiosi ac solliciti fuerimus de ullâ re etiam necessariâ: hoc enim meritò illi displicet, quasi aut nolit, aut non possit absque nobis sufficienter providere privatim & publicè, postquam omnem curam nostri sibi sumpserit, & nos ei toties commiserimus. *Pater æterne*, ut inf. p. 1003. vel *Agnosco*, ibid.

Abnegando bona ipsa acquirunt.

Ibid.

XXXIII. Considera; quid sit facilius, contemnere omnia an acquirere, ut pacem invenias. certè fateri

debes quòd contemnere omnia. utrum tu eligis? quid ultrà optas? Ecce vide quid te doceant Eremitarum & monasteriorum millia; nònne ideò repleta sunt, ut pax inveniretur, quam nec in regnis & deliciis quisquam invenire potuit, & tu in hac re N. eam speras? Adeoque id notum ratione etiam naturali, ut eam ob rem Philosophi in paupertate veram animi beatitudinem constituerint; immò idcirco deos nudos, nihil habentes, & omnia largientes fingebant & pingebat. Sed quod certius est, accipe, nónne Veritas ipsa in paupertate primam beatitudinem posuit, & abneganti aliquid, centuplum pro eo promisit? An verè putas, an falsò? si verum, quomodo non ambis? verùm etsi omnes invitârit, ut ad se venirent & reficerentur, & discerent mites esse & humiles corde, ut requiem invenirent animabus suis; addidit tamen: Nisi quis renuntiaverit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus. & rursus. Qui non odit patrem & matrem, &c. insuper & animam suam, non potest meus esse discipulus, nec per consequens quietem animæ suæ invenire quis potest, nisi hoc & illud & omnia sincerè abnegaverit. quo enim quisque minùs terrenis amore adhæret, eaque tangit, & velut tantùm in puncto, eo faciliùs animus ad Deum, ad centrum suum evolat, & omne gaudium adipiscitur. Credis hæc? & adhuc anhelas ad aliud extra omne bonum? *Pater ave-ne*, vel *Agnosco*, ut inf. pag. 1003.

Facilius acquiritur bonum contemnendo quàm quærendo. Matth. 5.

Matth. 11. Luc. 14.

Ibid.

XXXIV. Considera impetrari non tantum quietem animi dum abnegãtur omnia, sed etiam omitto quod nobiliùs longè & eminentiùs in Deo ubique præsentia sint & habeantur) abneganti parata ea ipsa quæ optãtur. nónne enim iis, qui Christi amore pauperes facti centuplum promisit veritas, & quotidie centuplum dari videmus? nónne eos, qui honores sincere fugiunt (quod omnino necessariò etiam facit superbus, etsi fictè & frustra) majores & securiores adipisci? & eos qui respuunt

respuunt delicias amaras sæculi, abstinentiæ & sobrietatis munere quasi perpetua agitare cõvivia, ut Cornarius ille suâ & multorum experientiâ declarat? Immò sanitas, abstinendo à superfluis & noxiis, magis quàm omnibus medicamentis & deliciis acquiritur. Non aliter ergo neque faciliùs quàm abnegando rem hanc N. quam quæris aut optas, habebis & pacẽ invenies summum omnium bonorum, non verò quærendo. Neque dubitandi locus est cùm Veritas ipsa centuplum abneganti propter se aliquid etiam in hoc mundo promiserit: cui diffidere omnino impium foret & sacrilegum. *Excita fidem*, ut sup. *Pater æterne*, vel *Agnosco*, ut inf. p. 1003.

Centuplum verè datur abneganti se.

Matth. 19.

XXXV. Considera, an rem illam N. & simul ex eâ pacem ac voluptatem veram (eo enim omnia diriguntur) cupias à Deo velut optimo parente? ita omnino existimo; scito igitur illam te ab eo non impetraturum, nisi illam abnegaveris, contempseris, absque ullâ anxietate optâris. Quemadmodũ enim bonus pater filio non tantùm nõ porrigit, sed nec proponit pro pane lapidem, pro pisce scorpionem, pro pharmaco venenum, aut id quod morbum foveat, aut cultrum furioso; ita neque Deus optimus maximus dabit nobis id cui videt nos affici immoderatè. illud enim nos ab amore ejus impediret, id est, summo bono, eoque magis, quo magis esset præsens: quod enim vel solâ cogitatione & spe perceptum afficit, certè visum, habitum, usurpatum nónne omnino magis afficiet & nocebit, uti suprà dictum? *Credo tibi*, ut sup. p. 7. vel *Pater æterne*, ut inf. p. 1003.

Luca 11.

Deus non dabit ut Pater id cui afficeris inordinatè.

XXXVI. Considera hæc verba: Sapientia attingit à fine usque ad finem fortiter, & disponit omnia suaviter; & attende, quem finẽ tu noveris, & quomodo nos homines neutrũ finem sciamus, & quàm incertò ideò sint omnes providentiæ nostræ. Præterea adverte, vitã hanc quasi scenam esse; in quâ is laudatur solùm, qui partes suas rectè agit, quales quales illæ sint, ægri an sani, divitis an pauperis; cũ autem ipse choragus dispo-

Sap. 8.

nat omnia, cur obsecro non pares? sed alias tibi partes petis & repugnas?

XXXVII. Considera, omnes creaturas à summo deorsum, omnes parere suo modo divinæ voluntati; & quàm id dignum sit; quamque indignum, coram omnibus te vermiculum sese attollere, ideoque toto cordis affectu te divinæ bonitati resigna, & cum singulis choris Sanctorum idipsum facito, tuamque resignationem cum eorum perfectissimâ uni & conjunge; & voluntatem cum divinâ, ut nihil velis, nisi quod Deus vult, & quia ille vult: imò nihil prorsus velis, necesse, nec vivere, sed unum Dei beneplacitum & voluntatem. Talis conformatio, ait Bernardus, maritat animâ cum Verbo. Talis amor per se sufficit; is per se placet, & propter se: ipse meritum, ipse præmium sibi, est amor: præter se, non requirit caussam, non fructum: fructus ejus, usus ejus. Amo, quia amo, amo, ut amem &c. *Pater eterne*, ut inf. p. 1003.

Omnia parent Deo, & tu non?

Serm. 38.

XXXVIII. Postremò considera, & aspice D. JESVM, primò, in summo cælorum, Deo patri æqualem se offerre, & ut descendat ad ima propter te. Secundò in summo gaudio, & paratũ pro te ad passionem amarissimam. Tertiò, in summo honore, & paratum ad ignominiosissimam mortem. Quartò, IESVM eam elegisse, & in hoc mundo paupertatem, ignominiam, & despectum, & proposito sibi gaudio sustinuisse crucẽ. Nunc ergo dispice, an hæc credas, & quis tu sis. si miles Christi, cur illud optas bonum & fugis crucem, quam ille & Sancti omnes N. N. ut Andreas ultrò quæsierint & inventam amore magno amplexi sint? si servus es, sub tali Domino quid te facere oportet? Si filius es, quomodo talem patrem te oportet honorare? Igitur percurre quid in hâc vitâ tibi sit optabile N. & vide quàm contrarium facias exemplo ejus. Quid item averseris N. aut timeas, attende & quàm longè sis ab eo ut dicas. Baptismo habeo baptisari, & quomodo coarctor donec

Luc. 12.

nec perficiatur? donec scilicet crucem amplectar, omni solatio destituar. Nónne hortatur nos Apostolus: Omne gaudium existimate, fratres, cùm in varias tentationes inciderit is? Tale putas gaudium tuum esse debet? Talène est? & in eo pax tua, & requies, & cibus, & delectatio fieri in te voluntatem amantissimi Regis Domini Patris tui? Iac. 1.

Exercitium brevius.

PAter æterne coram quo sto, da mihi, qui solus potes, gratiam ut requiescam in te, & amem te solum tua sunt omnia, & nosti omnia priusquam fiant, quidve mihi, aut velle expediat solus nosti ab æterno, neque sine te capillus cadit aut folium movetur, neque oculus, neque auris aut cor, seu volũtas, aut intellectus ullo satiatur aut quiescit nisi in te. Credo igitur tibi, & me committo, spero in te & nihil extra te, & diligo te toto corde, & nihil opto, scire, vel amare præter te & voluntatem tuam in his N. & omnibus fieri in tempore, in æternitate, vehementer dolens propter te quòd meam amaverim, & nihilum, & vanitatem frustrà coram te, qui es mihi verè una & sola satietas, requies mea, & pax Deus cordis mei & omnia, Amen.

Alterum.

AGnosco, Domine IESV, *mihi præsentissime, quòd in pace factus sit locus tuus, tu verò scio pax nostra, & centrum & requies, & omne bonum mihi es. Quid ergò opto aut spero jam præter te? N. quid metuo aut doleo extra te, tu amor, tu timor meus. Domine mi, manè obsecro mecum, & sine in te quiescat anima mea, & delectetur in te, quid enim est quod paci illi quæ in te est comparari valeat, cùm exsuperet omnem sensum, & plus quam juge convivium sit securum & quietum cor quod inhabitas? Absit ergo, Domine mi, ut ista N. res me turbet, hanc petam, de illâ doleam; nulla enim adferre mihi ullum bonum potest, si pace tuâ caream, & quid mihi deesse cùm te* Psalm. 75.

omnie bonum habeam ? cur te præ sordibus & spinis his N. & summum hominis bonum perdam, pacem inquam animæ meæ: habeant sibi quæ volunt hujus sæculi filij, ego autē in te gaudebo, & exultabo in Deo JESV meo, & tu dispulsâ nube vanitatis hujus & ostensa luce voluntatis tuæ, seu in publicis seu in privatis N. luçidissimo radio vultus tui facies ita spero & humillimè rogo, ut pax & serenitas & tu solus sis amabilis animæ meæ. Numquid etsi omnia haberem, sine te nihil essem & haberem inter omnia, & renuntiare omnibus deberem ut tuus essem discipulus? & quorsum illa haberem, si omnia abnegare deberem, si bonum meum unicum tollerent aut minuerent, pacem animæ meæ? equidem ideò petuntur, & quæruntur ista ut quiescat in iis cor nostrum; sed inquietum semper est donec in te solo requiescat. Ita scio, ita credo, ita mihi denuntiant sæcula præterita & omnis creatura. Cur verò non respuo illud bonum, vel illud malum admitto, quod dum longè est, & extra muros est, velut hostis aspectu solo & affectu turbat animam meam? Absit Domine, averte hoc à servo tuo, cujus certè pax & omne bonum est conquiescere in voluntate tuâ. Tu nosti quid expediat publicè & privatim gloriæ nominis tui, & meæ saluti: ego verò cùm ignorem, quid spero vel metuo, doleo aut gaudeo nisi de voluntate tuâ? Et verò quidquid eveniat, nihil, scio, fiet, non capillus de capite cadet, non arena movebitur absque providentiâ tuâ: unde nec mirari possum, nec de ullo unquam queri: facta enim est, & fiet voluntas tua, & mea, quia toties eam obtuli, & eam offero iterum tibi, cujus ego totus sum & omnia, & humillimè rogo, ut nunquam, ô Sapientia æterna, quidquam secundùm meam insipientiam & voluntatem facias, aut fieri permittas. Renuntiavi illi & renuntio, quia ita tibi placet, ut fiat mihi secundùm beneplacitum tuum, & sic velut in tranquillo navigans ad te, Domine, ad portum securissimum æternitatis pervenire valeam, Amèn.

Exer-

Exercitium longius.

O Omne bonum, Deus meus, ô fons bonorum, unicũ & dulcißimum solatium, ac quies & centrũ animæ meæ. creasti enim nos ad te, & inquietum est cor nostrum donec requiescat in te, & nihil quærat aut optet extra te; nihil enim satiare aut prodesse homini potest, etiamsi universum mundum lucretur, nec cognoscere unquam alicui datum est quid sibi expediat, quam viam eligat, in multivio hoc vitæ nostræ. quomodo igitur timebo ista aut optabo N. dolebo vel gaudebo, nisi de te, & propter te? Quod timeo, fortè sperandum, in quod spero est timendum. Ecce id de quo doleo crux esse potest, in quo Christe IESV tecum triumphem: id de quo gaudeo, tale unde cum Epulone æternùm gemam. Laborarunt ab orbe condito mortales omnes, ut quietem invenirent extra te, & non potuerunt, & licet ut Salomon, multi nihil negassent oculis & concupiscentiis suis; nihil invenerunt præter laborẽ & dolorẽ, momentaneam & amaram vanitatem. August. Nemo novit quid expediat.

Putabat Nabuchodonosor ad momentum exultare cogitatione solâ, post multos labores, & secum dicebat: Nónne hæc est Babylon magna, quam ædificavi in domum regni, & in robore fortitudinis meæ, & in gloriâ decoris mei? cumq; adhuc sermo esset in ore ejus, ablatum est ab eo cor hominis, & cor feræ datũ est ei. Dicebat ille, Habes multa bona posita in annos plurimos, requiesce, &c. & eâdem nocte repetita est ab ipso anima sua. Et vanitatem istam quis non est expertus in se? ubi unquam quisquam invenit requiem extra te? cur ergo demens ibi eam quæret, ubi nemo invenit, nec invenire potest, & stulto labore consumetur? & licet invenire possem, ecce audio & credo, quòd nisi quis renuntiaverit omnibus quæ possidet, non potest esse tuus, ô IESV Christe, discipulus. Si ergo renuntiare, si relinquere, saltem affectu oportet; si tuus, uti volo, discipulus esse velim, quid quæro, quod mox relinquendũ? quid quæro, quod inveniri nequit? & si posset, saltẽ affectu, & fortè etiam reipsâ morte adveniente relinquendum. Daniel. 4. Lucæ 12.

Et si quietem quæro in publico aut privato bono ac nihil præterea, quomodo prudens illam quæram in eo quod quærendo, & solo desiderio me jam inquietat? Nam si res absens quietum

Amor creati boni turbat.

tum me non sinit, aut quia sperata, aut quia ablata; & præsentiâ crescit affectus & amor, ac proinde simul crescet inquietudo & timor; ecce quomodo in cassum laborant, & viæ ambulant verè difficiles omnes filii hujus sæculi; & nihil cùm dormierunt, inveniunt in manibus suis? Cur ergo eos frustrà imitabor, & requiem quæram in honore, favore aut voluptate, otio, cùm in te solo, etiam si malis carerem & omnia creata haberem, quiescere poßim? Quod cùm ita sit, quæ insania in una creatura illam quærere vel pluribus, imò omnibus, cùm hoc nihil aliud sit, quàm per cogitationum, verborum & actionum ambage sponte me, & quærere frustrà, quod in te fonte omnis boni, qui ubique præsens es, in te, inquam, tantummodò habeo. & certò paratum, nisi illa

Ierem. 2.

impediant? Et quid volo mihi in viâ Aegypti ex hoc mũdo ut libam aquam turbidam & sitiã magis? cùm verè hic te habeam, ô fons aquarum viventium, abyssus inexhausta bonorũ omnium? Benignissime JESV, aspice in me, & miserere mei, nihil neque hoc neque illud N. & ultrà peto & quæro extra te, cùm ex te, & in te, & per te sint omnia: tu verè es pax mea, & gaudium meum & gloriatio mea; nihil cupio aut volo per gratiam tuam præter te, quid enim sensualis voluptas mihi nisi absynthiũ propinat & irritat sitim non satiat? quid est honor nisi momẽtanea & inanis & ferè falsa, aut saltem ignota nobis hominis de homine cogitatio & æstimatio? solus enim tu Deus scrutaris cor; neque quisquam major est quàm sit in oculis tuis; neque verè cuiquã honos & gloria nisi soli tibi tribuẽda: tu enim ut tuus Propheta, omnia in omnibus operatus es Domine, & omnia operaris. unde non est quòd sibi honorem vendicet homo, vanissimum honorem, externum bonum, quo non est quisquam melior futurus, neque magis satur quàm famelicus cibis longè à se positis. externum enim est, & in alterius semper manu, & uti homo in singula momenta fragile & mutabile, difficillimum acquisitu, facillimũ ut

Ierem. 17.

amittatur; quod nemo certò unquam ab orbe condito possedit, vel retinuit vel uno momento: inscrutabile enim est cor hominis,

Quid divitiæ.

& quis cognoscet illud? divitiæ verò quid sunt nisi terra vilis, quibus commoditates quidem multæ parantur, sed spinosæ, adeò ut beatissimus sit qui te imitatur, ô JESV amantissime, & quàm mun-

minimis indiget ut sic dicam pharmacis & subsidiis alienis, quando nullius indigere in hâc miserâ vitâ non potest? O quâm verè miser est, qui omnia adhibet, vel saltem plurima, eaq; consectatur, cum sola beatitudo sit & quies, plurimis & velle & posse carere.

Numquam igitur deinceps optabo, ut hoc vel illud eveniat mihi, hoc vel illo malo liberer, sed ut tua solũ sanctissima voluntas in me fiat, quia sola scio mihi utilis, jucunda & salutaris. Si meã illi conjunxero, tum verò pacem invenire potero. nemo enim ei restitit, & pacẽ habuit: cùm tu sis solus Dominus, & nos inutiles servi tui, & aut libentes aut inviti parere cogamur. Tu solus Rex potens & sapiens, qui ab æterno à fine ad finem, & prudẽtissimè & hæc N. pro tua voluntate optimè omnia disposuisti; tu solus nosti finem, hujus N. & omnium quem rebus omnibus statuisti; quomodo igitur media & viam eligere potero vel audebo, cùm nescio quò vadam? Tu Dux meus, tu optimus architectus solus ideam habes, & omnia in pondere, numero & mensura ad eam ordinasti; quomodo igitur ego designare in animo meo aliquid possum, nisi imprudentissimè?

Ecce quemadmodum in mundo partes ejus ordinasti, & in corpore nostro membra, & utrisque vires, & formã, & situm ad finem propositum tribuisti: ita facis, Deus meus, & fecisti de nobis, ut ædifices Ierusalem cælestem, ad quam lapides vivi coaptamur. Fac, quæso, sicut optimè convenire nosti, & quibus expediat instrumentis, & quadra, & poli, & colloca, ô Sapientia æterna: omnem sollicitudinem meam in te projicio, & hoc unum opto, ut fiat de me sanctissima voluntas tua; successum non hunc vel illum voveo in quavis re, sed sanctissimam fieri voluntatem tuam; imò nec opto scire, quia tibi scio esse curam de me, neque scientiam meam utilem esse, cùm incertæ sint omnes providentiæ nostræ, & tu solus attingas à fine usque ad finem, suaviterq; omnia disponas, nec sit qui possit resistere voluntati tuæ. Sap. 8.

Certò etiam novi eo te majorem mei curam suscepturũ, quo ego minùs de me anxius fuero, & magis paternæ curæ confisus altiora me non quæsiero, sed ea quæ sunt placita coram te. Quòd si tunc gauderem, cùm omnia pro arbitrio facere possem, & viam

quam-

quamlibet cæcus, miser & insipiens deligere, quanto magis gaudere debeo, quòd tu, Sapientia æterna, digneris curam de me suscipere; tanquam si solus essem in universo? Ita me in Ven. Sacramento visitare dignaris. Absit ergo ut unquam aliquid cupiam extra te & præter tuam sanctissimam fieri voluntatem, meam illi consecravi et consecro, ut inveniat in te dulcissimam, suavissimam et securissimam pacem, quæ exsuperat omnẽ sensum, cui nihil comparari potest, nullum ejus precium inveniri: sic enim homo incipit gustare beatitudinem, et videre quàm suavis sis, ô Domine, et quòd voluntas tua super mel et favum, et super aurum et topazium, et tu super omnia, et in te omnia, et extra te nihil, ô Deus meus, qui es benedictus in sæcula, Amen.

Praxis ad acquirendam conformitatem voluntatis nostræ cum divinâ, & pacem.

1. Thren. Minima peccata vitanda quia pacem turbant. Isaiæ 57.

PRIMÒ, peccata, etiam minima, diligenter vita & leges serva. Peccatum enim, ut ait Ierem. peccavit Ierusalem, propterea instabilis facta est. Omne enim peccatum instabilitatem adfert, & turbationem & confusionem; ut patet in Cain, Adamo, atque adeò impius, quasi mare fervens, quod quiescere non potest. Vtinam, ait Dominus, attendisses mandata mea, facta fuisset sicut flumen pax tua, at verò non est pax impiis.

Pax servanda.

Secundò, fortiter supera te, & abstine ab iis quæ pacem turbant. Si enim hosti resistis, & tranquillitatem reipublicæ turbanti; cur non omnibus viribus niteris, pacis animi impedimenta tollere?

Matth. 11. Mansuetudo pacem adfert.

Tertiò, pius esto erga proximum; nec facilè judica, aut durè habeas. Discite enim, inquit Christus Iesvs, à me, quia mitis sum, & humilis corde, & invenietis requiem animabus vestris.

Præceps ne sis.

Quartò, constanter tua age, & nihil nisi consultò, maturè ac temperatè. tum enim, neque urgere conscientia, neque angere nos pœnitudo, neque arguere meritò quisquam potest. Præcipitantia omnis ferè harmoniam animæ perturbat.

Cum Deo sæpè age. Providentiã Dei attẽde.

Quintò, ex omnibus aliquid collige ad pietatẽ & virtutem: hinc enim magna pax, cùm nihil propè in animam ingrediatur, quod eam turbet: quæ enim extra nos, nihil nos movere possunt, quod diligenter expende.

Sextò, divinam providentiam & præsentiam in omnibus considera, Deoque omnia tribue. idque est præcipuũ omnium, & so-

& solidissimum, & à sanctis Patribus laudatissimum, & usitatissimum iisdem exercitium.

Iudicia contemno.

Septimò, aliorum judicia contemne. Nihil enim ita pacem turbat, atque illa vereri, ad ea se fingere, vitamque instituere.

Abnegatio sui necessaria.

Octavò, nihil spera, aut time in transitoriis: sed resignatus esto; & magna cum libertate in voluntate Dei conquiesce, nec cum transitoriis mutabere. Etenim cùm semper Dei voluntas sit effectum suum habitura, quidquid fiat; seu prospera, seu adversa, tibi certò bona erunt, & semper habebis quod optas; tibique diligenti Deum, omnia cooperabuntur in bonum.

Resignationis actus iterandus.

Nonò sæpè te resigna. quod hac jaculatoriâ, vel simili etiam fieri potest: O suavissima pax, & gaudium meum, Deus meus: ex quo, & in quo, & per quem sunt omnia: nihil cupio extra te, quia inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te: fiat in omnibus sanctissima voluntas tua. vel, Fiat voluntas tua sicut in cælo, & in terrâ. Quam petitionem trecēties sexagies quinquies aliquando beata illa Gertrudis pientissimè pronuntiabat, Deoq; gratissimum esse sacrificium intelligebat. Vt autem id utiliùs fiat; repetam, quod tetigi superiùs: non sufficere, si in genere nos resignemus; sed oportere ad particularia descendere; & in singulis, tanquam si jam necesse foret, vel Deus à nobis id peteret, nos resignare; & tamdiu nos exercere, donec iidem simus in prosperis & adversis, & vultus noster non ampliùs in diversa mutetur. Imò, omne gaudium existimemus, cùm in tentationes varias inciderimus.

Blos.

Resignatio est in particulari facienda.

Praxis utilis.

Praxis huius esse poterit: Si fingamus jã hac vel illâ re carẽdũ, consolatione, honore, scientiâ, cõmodis, quibus alii abundent; imò virtutibus & gloriâ in cælo; hanc vel illã tentationẽ, aut injuriam tolerandam, huc vel illuc migrandum; sanitatem auferendam, opes, honores, famam, amicitiã, recreationẽ, vel etiam vitam. & mox, non quasi ab homine auferenda sint, sed quasi à Deo repetenda, illi libentissimè, totoq; animo resignare voluntatem nostram magno amoris affectu. Neque cessandũ donec, ut B. P N. cùm de electione agit, monet, sentiamus indifferentiam, & resignationem perfectam. Quam expressit beata Gertrudis, jussa eligere à Domino sanitatem aut mortẽ; respondit enim: Vehementissimè desidero, ut non facias voluntatem meam. Et hoc pacto in altissima pace ac gaudio permanere cõsueverat. Nam qui in Deo scit se habere omnia, cæteraque nihil æstimat, & attendit voluntatem ejus esse optimam & utilissimã, omnino cõquiescit; unde Thom. à Kempis l. 1. c. 20. cui omnia unum sunt, & omnia ad unũ trahit, & omnia in uno videt, potest stabilis esse corde, & in Deo pacificus permanere.

B. Gertrudis exemplum.

Nota.

Secundò,

Malorum prævisio.

Secundò, percurre aliquando, ut initio anni, mensis, hebdomadæ, semel atque iterum per diē, imò ad singulas horas. breviter quæ accidunt in mundo tristia, atque tibi accidere etiam posse attende, & voluntati Dei te resigna. & quæcumque in mundo fiunt contemplare, ut ab illo facta aut permissa; persæpe hoc modo, maximè dum oras, in hac auri fodina, te exerce. Neque tantùm adversa provideas, verum etiam prospera; & vide an, si tibi obtingerent, ineptâ lætitiâ de statu mentis dejicere. Nam ut Poëta; Si vis lumine claro cernere verum, tramite recto carpere callem; gaudia pelle, pelle timorem, spemque fugato, nec dolor adsit. Nubila mens est, vinctaque frænis, hæc ubi regnant.

Boëtius.

Ordinatio actionum.

Tertiò, considera omnes actiones & tempora (ut fit in omni Ordine, eaque rite distribue, & serva, quemadmodū vides bonos Religiosos factitare, & fabros omnes mensuras ad amussim observare; tempore enim omnia metiri convenit. Neque hoc solùm, cura insuper tua ordine recto & bono posita esse etiam minima, cum numeris, ut facilè reponantur, uti docent Notarii & Procuratores. Statue ergo quid, & quomodo hoc mense, septimanâ, die, horâ agere velis, quoad fieri potest: ita enim in omni disciplina & judiciis fieri cernis: Anxietas tamen abesse debet. Hinc B. Teresia nolebat taxam fieri aut dari suis ut illa tolleretur. Et sanè cùm nescias, quando vocandus sis à Domino, id quod præsens est tantùm te incumbere oportet, & id curare quoad fieri poterit, ut nihil fortuitò facias, non enim decet sapientem dicere, Non cogitabam; non filium patris æterni, qui ab æterno omnia ordinavit & disposuit, à fine usque ad finem. Atque adeò prudentis est, quid dicat, bis ad limam revocare antequam ad linguam. & meritò, cùm & de otioso verbo sit reddenda ratio, & videamus tāto studio phrases & loquendi modos elegantiores ab hominibus conquiri, quanto igitur magis providendum, quomodo Christianè, & ut filii Dei loquamur? Insuper cogitationes ordinare, certasq; admittere, atq; imaginationē figere tantùm in re utili suadēt spirituales magistri, ideoq; communicationem cū Deo, & præsentiam ejus adeò commendant. Et quidem S. Bernard. & Hugo Lincolniensis. eximii hac in re fuere, quippe qui extra oratorii curas manere tam facilè jubebant, atque Abraham famulos & asinos ad pedem montis, dum sacrificium cōplesset, opperiri.

Sapiens non dicit, Non cogitabam.

Lingua custodia.

Cogitationes ordinandæ.

Solitudo & quies.

Quartò, modestum & quietum te serva & extra turbas: siquidem corporis quies & solitudo ad animi quietem plurimùm facit. uti enim vase moto turbatur aqua; ita corpore agitato anima quietem retinere vix potest.

Quintò

Quintò, ad pacem etiam conducit alterius quietem non turbare, ut Albert. c. 13. de pace.

Sextò, alienis te rebus ac muneribus nequaquam immisce; neque de iis percunctare, aut sermones temerè admitte, maximè de novis, quòd spe metuque animum agitare ista solita sint imperfectorum. *Curiositatē vita.*

Septimò, similiter respectus humanos contemne, cogitando tè Deo servire, & ab eo mercedem exspectare & non ab hominibus.

Octavò, mutatio locorum crebra, exercitiorum, librorum, quieti obsunt plurimùm, uti & citò credere: quia is levis est corde, Sapientis testimonio. denique quamdiu irresignatus eris, quietem non invenies. *Dignatus es*, ut sup. pag. 10. *Mutatio crebra perturbat.*

Exercitium pro confidentiâ in Deo excitandâ in scrupulis, & adversis.

CVM pacē animæ scrupulositas vehemēter turbet, ei sedulò resistēdū consilio, exercitatione, &c. animusq; erigēdus in Deū, ideo hæc subnecto. *Sancti tui Domine mirabile cōsecuti sunt iter servientes præceptis tuis. Quid enim mirabilius, quā transire per medios fluctus & effugere gladium Pharaonis? quid mirabilius; quàm te dicere mari, tace & obmutesce, & in tempestate fieri tranquillitatem magnam; in tentationibus plurimis facere proventum? etiamsi exsurgant castra, potestatem tenebrarum harum non timere? mirabilia opera tua & anima mea cognoscet nimis. Sed eheu ecce circumdederunt me inimici mei, veni in altitudinem maris & tempestas demergit me, sed cùm nesciam quid agere debeam, hoc solum habeo residui, ut oculos meos convertam ad te, & poterisne Deus totius consolationis, avertere faciem tuam à me, ut similis sim descendentibus in lacum? quid proderit tibi si perdas me opus manuum tuarum? ô bonitas infinita Deus meus, tu neminem vis perire, nec delectaris in perditione viuorum. O quoties hortatus me es ut confiderem in te; ecce clamat Psaltes tuus & ait mihi; Spera in Domino & fac bonitatem: sed unde hoc mihi ut faciam eam infelix homo, cujus prona sunt sensus ad malum ab adolescentiâ suâ? sed rursum intonat, & erigit me dicens, Spera in eo & ipse faciet; fac igitur Domine, ut omnem fiduciam in te solo ponam; fac tu quæso bonitatem, quia bonus es: fac misericordiam cum misero servulo tuo, quia misericors es, & beatum me facies & misericordias tuas in æternum cantabo. Beati enim omnes qui confidunt in te: & beatus vir cujus est auxilium abs te, beata Anima quæ tales ascensiones in corde suo disposuit, in hâc valle lacrymarum, ascensiones quibus ascendat super altitudinem*

terræ super omnes Angelos, super omnes cælos, & accedat ad te & proiiciat se in te, & complectatur te, quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia tua, & bonitas tua super omnia opera tua. Non enim unquam amas & deseris, non vocas, & repelles; non invitas, & dimittis inanes, non jubes nos inniti tibi, & subtrahis te ut irideant nos inimici nostri dicentes. Speravit in Domino, eripiat eum, salvum faciat eum, quoniam vult eum: vel ne quis ut ille improbus, petat, Quis est qui vos eripiat de manu meâ; tu enim veritas es Deus meus, & bonus es sperantibus in te, nullusq; speravit in te, & confusus est quocirca & ego Deus meus, in te confidam, & non erubescam: in te Domine sperabo, non confundar in æternum, neque irideburit me inimici mei; etenim universi qui te exspectant non confundentur: nónne autē tu qui scrutaris corda & renes nosti Domine quia tu unica es expectatio mea! Expectans enim exspectavit te Deus meus, cum Prophetâ tuo: & dixit ille quòd intenderis ei: intende obsecro & mihi Pater mi, & benedictionem parvulam da filio prodigo tuo. Ego enim in misericordia tua speravi, sperantem autem in te misericordia tua circumdabit, & vivam jam non mihi, sed tibi, & confidam toto corde, cùm mortuus sis pro me, cùm millies te dederis mihi cùm infinities sincerè me plus ames quàm ego me, Deus meus pater misericordiarum, & Deus totius consolationis.

PROTESTATIO MATVTINA,

Adversus scrupulos & tentationes.

PRofiteor coram te & curiâ tuâ Deus meus, coram Angelis & Sanctis tuis, quòd tu eris mihi in Deum, & ego tibi in servum fidelem usque ad extremum vitæ meæ: tu enim Dominus & ego servus; tu Pater meus es, & ego indignus filius tuus: tu merces mea magna nimis: neque oculus vidit, neque auris audivit, nec in cor hominis descendit, quanta præparaveris mihi. Et magna & plurima quidem sunt hæc, sed tu Creator meus, infinities mihi tu plures es quàm dona tua: tu enim pars mea, & hæreditas mea præclara es mihi. Propter te igitur peregrinus & advena, ibo & curram in viam mandatorum tuorum, quia dilatasti cor meum. Si quis insidietur hostis, si quis allatret, pelliciat, incantet, terreat & surrepat, tu eris timor meus, spes mea, & amor meus. Ego te elegi in Dominum, & abrenunciavi Satanæ, & adhæsit tibi anima mea; & quis me separabit à charitate tua; quomodò te derelinquam omne bonū, & præceps sponte ruam in omne malum; quomodo te edero charitas infinita! donec vivam non recedam ab innocentiâ meâ; neque ratum habebo quidquid tibi displicere potest neque haberi volo, nisi testes insum invocavero cœlum & terram, Beatissimam Virginē, & Angelos

& Sanctos tuos, & creaturam omnem, & coram iis abnegavero te Deus meus, & elegero omne malum, pro te omni bono, amaritudinem pro dulcedine, odium tui pro amore, mortem denique & luctum æternum pro sempiternâ vitâ & gaudio in te & de te Deus meus & omnia.

Exercitium pro scrupuloso.

Dixi, confitebor tibi adversum me injustitiam meam Domine, & tu remisisti iniquitatem peccati mei. Dixi, & mox eructasti verbum bonum, dicens remittuntur tibi peccata tua, quoniam rogasti me, quoniam dilexisti me. Et quis non diligat te ô infinita bonitas? aperu enim mihi cataractas miserationum tuarum, & torrente misericordiæ inundasti & mundasti me. Quid enim aliud facere potes Pater misericordiarum, cùm certò sciam quod ab æterno exspectaveris me, & optaveris ut à regione longinquâ reverterer ad te: cùm triginta tribus annis in hoc loco horroris, & vastæ solitudinis, quæsiveris me cum dolore & amore Quid aliud facere potes, quã pœnitentem amplecti prodigum? linumq; fumigans non extinguere, calamum quassatum non contèrere? Quàm apprehendere manum meam & servare me; educere me de conclusione vinctum, & de domo carceris sedentem in tenebris? sed unde hoc mihi, ut sciam quòd misertus sis mei quòd invenerim gratiam coram oculis tuis? Hoc scio quòd procul eram abs te, & alligârat me fortis armatus, & ecce subitò tu (neque enim alius potest) dirupisti vincula mea, ut venirem sponte ad pœnitentiæ lavacrum, ut sacrificarem tibi cor contritum & hostiam laudis, traxisti inquam me in funiculis Adæ, in funiculis charitatis, ut venirem & currerem in odorem unguentorũ tuorum. Quid est enim venire ad te nisi deserere pristinã conversationem, & amare te qui ab æterno amasti me? Quid verò est amare te? nisi optare tibi omne bonum & numquam per peccatum alienum fuisse à te, paratum esse servare omnia mandata tua, & omnes voluntates tuas: vili pedere terrena omnia, paratumq; etiam potiùs perdere omnia, quàm te offendere, libenter tecum loqui, teq; & verbum tuum audire: hæc per gratiam tuam cùm sentiam, in te tuaq; gratiâ & ex te esse me confido. Qui enim ex te est, ô Deus meus verba tuâ audit, eloquia tua dulciora super mel & favum. An iam igitur quid loquaris in me, & noli me confundere ô spes mea, & in te sperans non infirmabor. Nescio quidem amore an odio dignus sim, sed quis id novit, cùm Apostolus tuus etiam timeret ne cùm aliis prædicasset, ipse reprobus efficeretur? & quamvis millies confessus essem, fide tamen certus forem incertum esse me, & nescire an placeam tibi, neque hoc me angere debet, cùm æterna sis Sapientia, & æterna bonitas. & sic incertos nos esse, quia id nobis utilius, volueris, ac de tuâ confidere

Isaiæ 24.

Signa veræ conversionis & gratiæ Dei.

infinitâ charitate. Vtinam illa diffundatur in corde meo; ut foras mittat timorem, quem confessio & examinatio crebra augeat, non minuit, cùm ex eo uno procedat. Iste obtenebrat intellectum, memoriam confundit, voluntatem debilitat, atque ita miser deficio scrutans scrutinio. & cùm cupiam peccata clariùs agnoscere, in memoriamq; ut confitear, revocare, eaq; voluntate detestari, præ anxietate hebescit mens, obscuratur memoria, voluntas infirmatur: cur igitur discrucior animi, & volvor in sordibus vitæ meæ? an ut tibi placeam? at tu prohibes, & obedientiam mandas vicariis tuis dicens de iis; Qui vos audit me audit, & qui vos spernit, me spernit: an ut quietem consequar & pacem? Quis verò restitit tibi & vicariis tuis, & illam habuit? an ut eò perveniam, ut tandem judicio meo multoq; examine quiescam velut justificatus sim in conspectu tuo, sed dixisti quod non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens: & quòd cùm omnia fecerimus, servi inutiles simus. Et certè nonne melius, me ducem & arbitrum sequi eum, quem dedisti mihi? at nō novit ille angustias meas: tu verò novisti bonitas infinita, & futuras ab æterno, & priusquam mandares, ut illi velut tibi parerem: neque illas permittis nisi ut probes me, sicut aurū in fornace tribulationis, & purges me, ut luceam tibi & hominibus. neque enim nefanda aut etiam valde abominanda ab hoste suggesta mea sunt, neque maculant me magis quàm quævis aliena scelera audita, vel visa; si enim zelo zelatus sim pro te, & puritatem dilexerim, mundani me, meritumq; eò magis augent, quo vehementiùs ex amore tui ea mihi displicere sentio. At nescio an munere meo prudenter functus fuerim: verùm audio vetantem te, ne innitaris prudentiæ tuæ: & video certius esse nihil in re incertâ, quàm humiliter potiùs alius acquiescere, quàm superbè sibi sapere, & judicio suo confidere. dictat mihi, timet mens alia, quàm à medico, à ductore, ab Angelo à te misso, (sic enim vocasti Sacerdotem) audiam: quomodo igitur dubius hæreo tibi me an mihi obedire debeam? meo, an alieno in re meâ judicio (uti omnes Sapientes suadent) confidere? obsecro te Domine, non intres in judicio cum servo tuo, neque enim respondere possum unum pro mille, attamen quamvis offenderim te, sperare me jubes de misericordia, nihilq; graviùs ulturus es, quàm si diffidam tibi, qui omnia fecisti propter me, & vixisti, & mortuus es pro me: ut consideremin te nūquid potest mulier oblivisci infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui? & si illa oblita fuerit, tu tamen oblivisci mei non potes; quia non in justificationibus nostris prosternimus preces nostras, sed in miserationibus tuis multis. Adjuva nos Domine Deus noster, & propter gloriam nominis tui libera nos, & propitius esto peccatis nostris. Amen.

Lucæ 10.

Psal. 142.

Prov. 23.

Isaiæ 49.

Dan. 9.

Con-

Consolatio animæ afflictæ.

DEus, Deus meus, qui cælum & terram imples, & præsentissimus hic mihi es: ad te, ad te de luce vigilo, ad te levavi animã meam, Deus meus in te confido non erubescam, ad te levavi oculos meos, respice in me & miserere mei, neque irrideant me unquam inimici mei. Etenim ô spes certissima & unica fiducia mea! universi qui sustinent te non confundentur, Hoc enim pro certo habet omnis qui te colit, quòd vita ejus, si in probatione fuerit, coronabitur, si autem in tribulatione fuerit, liberabitur, & si in correptione fuerit, ad misericordiam tuam venire licebit. non enim delectaris in perditionibus nostris, qui post tempestatem tranquillum facis, & post lacrymationem & fletum exultationem infundis. Set nomen tuum Deus Israel benedictum in sæcula. Quocirca & in tribulatione hâc N. non ero conturbatus, immo scio & credo etiamsi consistunt adversum me castra dæmonum. hominumq; non timebit cor meum, etiamsi pater meus, & mater mea, & omnes amici & noti mei dereliquerint me, non derelinques, non despicies me; scio enim, scio, & firmâ fide credo te semper, & ubique mihi præsentem esse, & fixis oculis me intueri, & omnes gressus, oculorum nutus dinumerare & considerare, neque capillum de capite meo casurum absque tua providentia. Immò firma fide credo, quòd sis in medio cordis mei adjutor in oportunitatibus, in tribulatione, quodq; sis fidelis & verax, neque unquàm uti per Apostolum dixisti patieris me tentari suprà id quòd possum, immò etsi ambulavero in medio umbræ mortis non timebo mala, quoniam tu mecum es; atque adeò dico cum Propheta posuisti me jam juxta te, cuiusvis manus pugnet contra me, scuto enim circumdabit me veritas tua, & non sines me tentari supra id quod possum, *neque eruet me quisquam de manu tua, sed cùm ubique & semper mecum sis tecum ego ero & sum, in te vivam & amore tuo, & mandata tua servabo: dixisti enim, & verè dixisti. Gravia non sunt, neque mandas per te vel vicarios tuos, & vires ad exequendum negas. Neque vocas me ad te, & fugis, vis ut te quærã & abscondis te. Quòd si contingeret me cogitare, dicere aut facere, quod displiceret tibi, id ex nunc corã te & curia tua tota, & Angelo meo hic præsente irritum, & involuntarium declaro; & ut tale in hora mortis, in die judicij haberi cupio & rogo. Hoc enim solùm cupio, credere tibi, sperare in te, & diligere te toto corde, tota anima, totis viribus meis & cum liberũ mihi id sit per gratiam tuam, ita coram te statuo, & cupio, quoties respiravero ex nũc & in æternùm, quoties oculos mentis, vel corporis elevavero, quoties ô dulcissime IESV, te ore vel corde invocavero, toties tot actus fidei, spei, charitatis perfectæ elicere, & humillimè rogo pro talibus haberi, imò toties repetitis quot sunt in mari guttæ, in arboribus folia, in terra arenæ, in aëre atomi quia infinities plus mereris, & plus tibi debeo, &*

Ps. 24.

Tob. 3.

plus tibi volo, & desidero supra omne id quod possum, aut potest ulla creatura, de te propter te amantissimè cogitare, ferventissimè loqui, & te ardentissimè amare, non præsumptuosè, qui minimus sum omnium diligentium te, sed præ amore quem tibi, tibi debeo plus quam possum, & debetur ab omni creaturâ quia tu Deus es, & meus es, & vita mea es, & fiducia & omne bonum meum es, & eris in æternum in æternum & per infinita sæcula eris mihi omnia Deus cordis mei & omnia. Amen.

JACVLATORIÆ.

Joan.18. *CAlicem, quem dedit mihi Pater, non vis,* ô anima mea, *ut bibam illum.*

Non haberes (ô adversitas) *potestatem adversum me ullam, nisi*
Ioan.19. *tibi datum esset desuper.*

Domine, ut scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos.

Psal.5. *Qui tetigerit vos tangit pupillam oculi mei.*

Zach.2. *Domine, quid vis me facere.*

Act.9. *Omnem sollicitudinem vestram proiicite in eum, quoniam ipsi est*
1.Pet.5. *cura de vobis.*

CAPVT XVIII.

De Notis salutis, quibus in tanta incertitudine cognoscere quis potest in vitæ ac viæ termino an rectam tenuerit.

1.Pet.1. HORTATVR nos Apostolus Petrus, ut per bona opera certam faciamus vocationem nostram: nihil enim majori studio faciendum est; nihil majori solatio cognoscitur in tanta salutis incertitudine: idcircò post longam tractationem variorum exercitiorum, post decursas vias tres, vitæq; piæ navigationem, portus securi atque salutis signa juvat considerare.

Greg.l.22. mor.c.21. Nota autem virtutis cujusque juxta D.Gregorium gradus esse tres. Primus est firmum habere virtutis propositum. 2. ita firmum illud esse ut tentationibus ab ea homo non deducatur. 3. ejusdem officia alacriter obire.

Rom.10. Primum salutis signum est fides viva & simplex: quâ corde creditur ad justitiam, ore autem fit confes-

sio

ſio ad ſalutem. Vide, expende ut crediderit Abraham Deo & reputatum ſit ei ad juſtitiam, ut Noë, & ſalvi facti ſunt cum eo quotquot teſtimonio fidei probati inventi ſunt. Indicium hujus eſt zelus eam propagandi, abhorrere hæreſim, in credendo ſimplicitatem ſervare, & eam quam lingua fidem loquitur, conari vitâ ac moribus fateri. An hæc habes? gradus verò ejus collige ex ijs quæ dicta, & eos propone, & contritionem excita de corpore, & fidem vivam.

O IESV, ut infr. pag. 1022.

Secundùm ſignum eſt mandata Dei conſtanter obſervare & graviora peccata devitare, ac ſincerè cum Deo ambulare. Scriptum eſt enim; ſi vis ad vitam ingredi, ſerva mandata, & ſi cor noſtrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum, & quicquid petierimus, accipiemus ab eo. Tu vide quam habeas, an mandata Dei ſerves, illud enim certiſſimum ſignum juxta dictum æternæ veritatis: Qui habet, ait, mandata mea, & ſervat ea, hic eſt qui diligit me. Si diligit, ergo vitam habet in ſe. Dixi ſincere ambulare & ſervare mandata ſignum eſſe: ideò enim David dicitur fuiſſe vir ſecundùm cor Dei etiamſi fragilis & peccator: ideò acceptus illi fuit Ezechias, & exaudita oratio ejus cùm ſic oraret: Obſecro, Domine, memento quæſo, quomodo ambulaverim coram te in veritate. Ideò odibiles Deo Pharizæi, & Publicanis ac meretricibus poſtpoſiti in regno cælorum; ſimulator enim & callidus provocant iram Dei, & contrà, ubi veritas de terrâ orta eſt, juſtitia de cælo proſpicit. Explora te ad hunc lapidem Lydium & gradus obedientiæ, & conterere.

Obedientia ſincera.
Matth. 19.
1. Ioan. 3.
Ioan. 14.
Iſaiæ 38.
Iob 9.
Pſ. 84.

O IESV, ut infr. p 1022.

Tertium ſignum eſt tribulatio, attende ut oportuerit Chriſtum pati, & ita intrare in gloriam ſuam, & quod dictum Tobiæ: Quia acceptus Deo eras, neceſſe erat ut tentatio probaret te: & rurſum, per multas tribulationes oportet nos ſalvos fieri. An credis hoc?

Luc. 24.
Tob. 12.
Act. 13.

ergo beati utique tu & ego erimus cum SS. Martyribus, si compatimur Christo & Sanctis, ut & conglorificemur. Tribulatio enim patientiam operatur, patientia probationem, probatio spem, spes autem non confundit. Id D. Paulus egregio simili exprimit, dicens Deum flagellare omnem filium, quem recipit: immò ipse Dominus: Ego, quos amo, arguo & castigo. Impossibile est, ait Hier. ut præsentibus quis & futuris fruatur bonis, ut hîc ventrem & illic mentem impleat, & de delicijs transeat ad delicias. Hilarius de Trinitate Proprium hoc, ait, Ecclesiæ est, ut tum vincat cùm læditur, tum intelligat, cùm arguitur; tum obtinuit, cùm deseritur. Sanctus autem Ambr. in hanc sententiam sic ait: Vt vinea dum ligatur, erigitur, & recisa non minuitur, sed augetur; ita sancta plebs dum ligatur, erigitur; dum humiliatur, attollitur; dum rescinditur, coronatur. Patientiam exerce & dic:

Rom. 8.
Rom. 5.
Hebr. 12.
Apoc. 3.
Hilarius.

Hæccine vera, ut sup. p. 7. vel O JESV, ut infr. p. 1021.

Quartum est, eleëmosynæ addictum esse. viri enim misericordiarum Dei filij dicuntur, immò Nyssenus: Si, inquit, misericordis appellatio Deum decet, ad quid aliud te sermo Christi hortatur, nisi ut Deus fias, tamquam insignitus propriâ notâ deitatis? Subscribit Nazianz. dicitque, Nihil tam divinum homo habet, quàm de alijs benè mereri. Beati ergo misericordes, quia misericordiam consequentur: hæc verba expende, & invenies thesaurum, illud verò ipsum confirmat Propheta David: Beatus, inquit, qui intelligit super egenum & pauperem, in die malâ liberabit eum Dominus: in die certè judicij liberabit eum. Eleëmosyna enim à morte liberat, & ipsa est quæ purgat peccata, & facit invenire vitam æternam: &, ut Gregorius. Tanto quisque perfectior est, quanto perfectiùs alienos dolores sentit. Exerce vivam fidem, & explora liberalitatem tuam.

Liberalitas in pauperes. Greg. Nyss. lib. de beatitud.
In orat. de pauperum amore.
Ps. 40.
Tob. 12.
Greg. 24. Mor.

O IESV, ut infrà p. 1022.

Quintum est, pauperem esse spiritu, & divitijs cor non

Paupertas.

non apponere. Prima enim beatitudo pauperum est dicente Domino: Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum, idemque ait. Væ vobis, divitibus, quia habetis hic consolationem vestram. usque adeò verò id adstruit, ut faciliùs camelum dicat transire per foramen acus, quàm divitem intrare in regnum cælorum: ideoque pauperes elegit in hoc mundo, aut ejusmodi divites, qui gratia ejus ita comparati erant, ut nuntium opibus statim remitterent: adolescentem autem illum repulit, quia multas habebat possessiones, iisque corde adhærebat. *Exerce humilitatem, & Aspira*, ut sup. pag. 8. *Hæccine firmâ*, & O IESV, &c. ut inf. pag. 1022. *Matth. 19.*

Sextum est, humilitas: hâc enim ostendit se Christianus Christi discipulum dicentis: Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde. Immò id asseruit Dominus dicens: Amen dico vobis, nisi conversi fueritis, & efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cælorum. Hæccine credis, ô Christiane? Stude igitur quisquis es recumbere in novissimo loco: omnis enim qui se humiliat, exaltabitur; & qui se exaltat, humiliabitur; neque super ullum requiescet spiritus Domini, nisi super humilem & quietum. Gregorius ad hoc ait: Evidentissimum signum reproborum, est superbia, electorum verò humilitas. Augustinus verò, Quem superbum videtis, filium esse diaboli non dubites. Detestare superbiam & humilitatem amplectere & dic: O JESV, ut infrà pag. 1022. *Humilitas.* *Matth. 11.* *Luc. 14.* *Isaia 2.*

Septimum est, charitas erga proximum; ad quod expende, In hoc cognoscét omnes, quòd discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem; maximè vero quanti sit inimicis ignoscere, iisque benefacere. Audi enim: Dimittite, ait Dominus, & dimittetur vobis; & Sapiens, Relinque proximo tuo nocenti te, & tunc tibi deprecanti peccata solventur. An vera hæc, ô Deus meus, an vera? O bonitatem Dei mei; & duritiam cor- *Charitas.* *Ioan. 13.* *Luca 6.* *Eccli. 28.*

Luc.16. dis humani? nónne quotidie in oratione Dominica id nobis inculcatur, quòd qua mensura mensi fuerimus eâdem remetietur nobis: nolite judicare, & non judicabimini? Pertinet verò hoc signum ad mansuetudinem; mansuetorum verò & humilium semper Domino placuit deprecatio. Signum autem hujus, mala de proximo gravatè audire & credere, sicut difficilè aliquis suspicatur malum, qui bonus est: sic difficilè aliquis suspicatur bonum, qui malus est, in quo enim quis alium judicat, in eo seipsum condemnat. Bonis ergo proximi congratulare ex animo & malis compatere. Scias, ait recte Seneca, eum multis virtutibus abundare, qui alienas virtutes amat, & quot ille confundet Christianos? O JESV, ut infrà pag.1022.

Iudith.9. *Chrysost.*

Devotio. *Ioan.6.* Octavum, frequentare Sacramenta confessionis & communionis; dixit enim Dominus, Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo. & iterum, Qui manducat hunc panem, vivet in æternum. Id verò accipe, si piè ac devotè fiat; si enim negligenter, verendum ne in judicium manducet & bibat potiùs, quàm salutem. fidem ergo illius promissi æternæ veritatis excita & dic:

O IESV, ut inf.pag.1022.

Auditio verbi Dei. Nonum est, libēter audire ac meditari verbum Dei, maximè de Christi passione: non enim sinit irremuneratum Deus, quidquid suæ passioni fuerit oblatum. Audi, obsecro, audi qui ex Deo est, ait veritas, verba Dei audit & libenter, quò verò tu sensu? Impiis durus est is sermo; &, Quis, inquiunt, potest eum audire? at verò piæ mentes cum Davide exclamant: Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua! super mel ori meo. ovesque Christi gratanti animo vocem ejus audiunt, & cognoscunt eam, ac sequuntur, non verò vocem alienorum. Neque audiunt tantùm, sed pascuntur verbo ejus. non enim in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei. Dole de negligentiâ in

Ioan.8. *Ioan.6.* *Psalm.118.* *Matth.4.*

in verbò Dei, & dic: O IESV, ut infr. pag. 1022.

Decimum est, resignatum esse & paratum, ad Dei sequendam voluntatem: idem enim velle ac nolle, certum amicitiæ cum Deo est argumentum. ideò Dominus: Quicumque fecerit voluntatẽ Patris mei qui in cælis est, ipse meus frater, & soror, & mater est. Ideò David dicitur esse vir secundùm cor Dei, quia faceret omnes voluntates ejus. Ad quod B. August. appositè dixit Domino; Optimus minister tuus est, qui non magis intuetur hoc à te audire, quod ipse voluerit; sed potiùs hoc velle, quod à te audierit. Explora quid in mundo hoc velis vel averseris, & dic O IESV p. 1022. & resignationem exerce?

Resignatio Matth. 12.

Actor. 13. & 1. Reg. 13

Vndecimum est, actum aliquem heroicum ex charitate, vel zelo semel facere: considera quid Abraham fecerit, cui ob præclarum illud facinus, sic Dominus loquitur; Per memetipsum juravi, quia fecisti hãc rem, & non pepercisti filio tuo unigenito propter me, benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum, sicut stellas cæli, &c. Quid verò Phinees? zelatus est pro Deo suo, & occidens fornicarium expiavit scelus filiorum Israel, & reputatum est ei in justitiam in generationem & generationem in sempiternum. Huc pertinet Religionem ex charitate & zelo honoris Dei ingredi, omniaque relinquere, ut Christum sequamur. Hoc enim pacto de mundo, de carne, de cognatione, de libertate, de vitâ victoria obtinetur, ideoque Dominus Apostolis, Apostolicamque vitam sequentibus, dixit, Vos qui reliquistis omnia, & secuti estis me, cẽtuplum accipietis, & vitam æternam possidebitis. Ecce promittit veritas, & tu ambigis? Excita te ad amorem & dic; O IESV, ut infra pag. 1022.

Zelus magnus. Gen. 22.

Psal. 105. & Num. 21.

Matth. 19.

Duodecimum est, cultus beatissimæ Virginis singularis. idque communi consensu Sanctorum: ideò stella maris, civitas refugii, mater misericordiæ appellatur. Memorare, ait Bern. eam compellans, ô pijssima

Cultus B. Virginis.

Virgo

Virgo, à sæculo non esse auditum, ad tua currentem præsidia, tua implorantem auxilia, tua petentem suffragia esse derelictum. Potest verè Domina nostra illud Sapientiæ sibi usurpare: Beatus vir qui vigilat ad fores meas quotidie, & observat ad postes ostii mei; qui me invenerit, inveniet vitam, & hauriet salutem à Domino. Hæc expende & pete à Domino ut matris suæ cultum singularem tibi donare dignetur. O JESV, ut inf. p. 1022.

EXERCITIVM.

O JESV salus mea, Pastor animæ meæ, nescio errabunda ovicula in vastâ hâc solitudine, nescio amore an odio dignus sim, sed tu scis, & amore me dignum facere potes & vis: testis mihi vita & mors tua, plagæ istæ in manibus tuis, corpus & sanguis quem mihi das quotidie. Insuper spero quia dixisti in quacumque die ingemuerit peccator, omnium iniquitatum ejus non recordabor. Ecce igitur magna velut mare contritio mea, respice quæso in me, salva me; diligo enim te toto corde meo. Da obsecro ut hæc quoque nota salutis in me sit, ecce eam factis sic exprimere volo, & gratiâ tuâ spero etiam hac certam per bona opera facere vocationem meam & sic ascendere N. de virtute in virtutem, & ad te donec te videam & in grediar in portum & gaudium Domini mei. Sed quæso per viscera misericordiæ tua, quæso per amorem tuum, pone te sicut signaculum super cor meum, sicut signaculum super brachium meum; unge postes animæ meæ sanguine tuo; signo Tau crucis tuæ, signa me ut à percutiente immunis sim, & tu agnoscas in me imaginem tuam purpuratam sanguine tuo, & ego aliquando sim ibi, ubi tu Domine mi, oris ubi pastor, Discipulus ubi Magister, servus ubi Dominus meus, miles ubi Dux meus, creatura vilissima ubi Creator meus, ego nihilum tecum ubi tu es, qui es & mihi omnia es Deus meus & omnia Amen.

Ezech. 33. 18. & plur.

Cant. 8.

Praxis.

HÆc tã varia est quàm variæ sunt virtutes, ex quibus notæ hæ colliguntur. Verùm breviter eas aliquando percurre & confortate, & spem in Deum erige, & id tibi pro praxi sit.

JACV-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

XXXII

32

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

JACVLATORIA.

INte cantatio mea semper, tanquàm prodigium factus sum multis, & tu Adjutor fortis. In te Domine speravi, non confundar in æternùm. Psal. 70.

TRIGESIMÆSECVNDÆ IMAGINIS

ANNOTATIO.

Sicut, ô beatissima, omnis à te aversus & despectus, necesse est ut intereat; ita omnis ad te conversus, & à te respectus, impossibile est ut pereat.

COnsidera, quantum Beatissima Virgo & mater A *Maria, à Deo, ejusq; curiâ cælesti honoretur: tu imitare, ama ut Matrem, venerare ut Dominam, cole ut Patronam, tum* B *votivâ peregrinatione, tum multâ oratione: suspende illi, & dedica arma vanitatis tuæ, tuaq; pia ac sancta desideria commenda; uti fecit* C *B. Ignatius hæc est enim advocata nostra, consolatio* D *afflictorum, refugium in omni* E *tentatione, portus* F *naufragantium, & auxilium in cunctis malis, omnium in se sperantium. Verùm ut impetres, ait Bernardus, orationis ejus suffragium, non deseras ejus conversationis exemplum; & respiremus (ut Bonaventura loquitur) ad illam in omni actione nostra, & reserabit nobis atria triumphantium.* Bonavent.

CAPVT

CAPVT XIX.

Meditatio de B. Virginis imitatione.

COMPOSITIO LOCI. Contemplare Beatam Virginem in medio paradisi amplissimi, stipatam undique Angelorum & Sanctorum agminibus.

PRÆLVDIVM II. Roga illam, ut tibi dignetur singularem erga se affectum impetrare.

PARS I. Considera, quomodo Beata Virgo erga se affecta fuerit: utque mox creata abyssum erga se divinæ bonitatis intuita, se velut nihilum & abyssum miseriarum contempserit: etsi enim cognosceret pleno intellectu, se tantis donis ornatam; videbat tamen manifestè cujus illa essent, Dei scilicet, ac nihil eorum sibi deberi; sed potuisse in omnes miserias, quemadmodũ ceteri hominum, cadere, ac proinde non esse quòd alicui se præferret, sed Deo pro omnibus plurimum debere: neque quidquam posse persolvere. ita extra se in Deo posita cantabat ex tunc, *Magnificat anima mea Dominum*; eò certè magis, quo se magis annihilabat. Scrutare & tu originem tuam, ac nihilum, ubi fueris ante annos tot N. ubi post centum futurus sis, & divinæ bonitatis abyssum & beneficia erga te contemplare, & dic. *O Maria*, &c. ut infrà pag. 1029.

Cognitio sui & humilitas.

Luc. 1.

Secundò, cùm verò jam nata esset, attende & vide maturitatem, pietatem, nihil quidem nisi infantile præ se ferebat, attamen undique virtus elucebat. Aspice ut anima illa beatissima se erga Deum, erga parentes, aliosque omnes habuerit; quo sensu ex tunc sacra omnia & cælestia corpora intueretur, & sic statue imitari & excita contritionem de offensis tuis.

Tertiò, contemplare quomodo trimula in templum ascenderit, erga Superiores, æquales, ibi se habuerit: ancillaria opera cuique deferebat, in omnibus promptissima cum gestu humili, facie ad omnem modestiam com-

Præsentatio.

Obedientia.

composita, ita ut quotquot illam viderent, humilitatis & castitatis affectum induere cogerentur: hæc in te effinge ad pulcerrimum exemplar & humilitatis exercitio insiste ut sup. Quartò, cùm autem nubilem se sciret, contemplationi altissimæ dedita, si legi parendum foret, valdè optabat salvâ virginitate humilem & abjectum sponsum, eique deservire, & parere uti etjam reipsâ præstitit, & in omnibus obediens fuit: &, ne se fortè honoraret S. Ioseph, ecce quomodo, secretum omne reticuit incarnationis Filii Dei; verùm cùm illud declarasset Deus sanctæ Elisabethæ, omnia Deo festinavit tribuere, eumque magnificare. Ex hac eadem humilitate in congressibus primum aliis ubique locum cedebat, ultrò officiis omnes & honore præveniebat, ut apparuit dum Elizabetham visitavit: leges etiam quæ peccatum supponebat, ut purificationis, libenter servabat. Hîc te examina ad hanc regulam & normam, & contritionem excita, proposita renova. *O Maria*, ut infr. pag. 1029. Quia verò crescebat cum filio ætate & gratiâ coram Deo & hominibus; ipso nato humilitatem majorem & deinde paupertatē in Bethleem, in Nazareth, & Ægypto servabat: Regibus omnibus, & omnibus etiam inferioribus libenter parebat, neque petebat sedere à dextris vel sinistris; sed, cùm potuisset dispensatione filii, Apostoli & Sacerdotis munus consequi, maluit in humilitate servire, quàm privilegio exaltari. Tandem in morte Domini juxta crucem stetit, ut particeps injuriarum fieret, & in corde suo filii dolores altiùs imprimeret. Cùm verò post ascensionem cum Apostolis exspectaret Spiritum sanctum, humiliter postremò se loco collocavit, & de inceps cum pauperibus viduis humillimè vixit. Percurre nunc diem tuum cum illâ, & vide singula opera. v.g. quomodo in oratione, cubiculo, per domum, ambulando, colloquendo, edendo, dormiendo, &c. se habuerit. Ex hâc virtute, purissima sequebatur intentio, cujus defectu

Puritas.

Luc. 1.

Profectus.

vide

vide quàm sæpè tua opera inficiantur. Nullius creaturæ amore inordinatè tenebatur, sed sensualitati ubiq; resistebat. quod unicum impedimentum amoris Dei in te recognosce: *Humilitatem exerce*, ut supr. vel dic: O *Maria* ut infr. pag. 1029.

Charitas proximi.

PARS II. Considera Primò, quomodo B. Virgo erga homines omnes afficiebatur, summo scilicet affectu, tum ex naturæ similitudine, tum quòd essent imago Dei suique filii, hereditas ejus, & proinde etiam suo sanguine redempti. Vide quo affectu bonos intuebatur, nempe ut subditos, amicos & filios sibi in cruce commendatos: inspice cogitationes ejus, & audi suavissima zelo plenissima verba. Nulla mater sic filios, ut ipsa eos, amabat, & amat: uti amantissima mater ijs gratulabatur, & eorum lucra, ut sua bona reputabat, & ad Deum omnium fontem recurrebat, & gratias agebat. Verũ, ut est amor sollicitus, videns posse deficere, vehementi oratione Deum Patrem Filiumque rogabat; dicens. Conserva hoc Deus quod operatus es in nobis, &c. Imitare & dic: O *Maria*, ut inf. pa. 1029.

Quomodo erga bonos afficeretur.

Quomodo erga malos. Patientia.

Secundò, si malos videbat, multâ amaritudine cordis, sed tamen dulcedine amoris plena iis compatiebatur: omnia in melius interpretabatur; patienter tolerabat, cogitans sibi idem accidere potuisse; sanè ut imagines Dei diligebat, & velut ambulantes in crepidine putei infernalis, circumdatos vinculis peccati & dæmonibus videbat, ac retrahere, convertere & animare conabatur: & ad Deum conversa ardentissimo zelo succensa æstuabat. O quoties cum Paulo optabat anathema esse; cum Moyse, deleri de libro vitæ, ut illi viverent, In me, ajebat amantissima mater, sit maledictio; filii mi, parce, parce. Obsecro te, vide ardentissimum & pientissimum pectus, aspice ut lacrymosis oculis & amoris sagittis sursum missis pro peccatorum conversione sit solita orare, & pro tuâ orârit, & ei gratias age, & dic: O *Maria*, ut infr. pag. 1029. Postea ubi poterat peccatores

Zelus animarum.

res serenissimo vultu & suavi eloquio super mel & favum hortare & trahere conabatur. O quomodo, quo amplexu, & gaudio pœnitentem Magdalenam suscepit! quo Petrum lapsum! quo te prodigum & derelictum! &c. Gratias age, & dic: *O Maria*, ut inf. pag. 1029.

Tertiò, si videbat pauperes, nunquid putas eos particulariter amabat, ut filio similiores? uti Reges regum filios majori benevolentiâ prosequuntur? O quàm libenter cum iis versabatur, filium imitata qui pastores, piscatores & pauperes vocabat, euangelizabat. Si divites & potentes videbat, illorum sortem miserabatur, cogitando illa filii sui amantissimi verba: Væ vobis divitibus; & ajebat: O quàm est difficile divites intrare in regnum filii mei! Imitare, & roga ut gratiam tibi impetret. *O Maria*, ut infr. pag. 1029. *Quomodò erga pauperes affecta.*

Erga Superiores admodum erat affecta, ac proinde magnâ reverentiâ eos prosequebatur; eisque cum amore & gaudio parebat ad nutum, ut declaravit primò in parentibus, indè Præfectis templi, tum S. Josepho: nihil quoad poterat, sine eorum faciebat arbitrio, sed per plenam abnegationem in voluntatem Dei se resignabat, eam medullitus amplectebatur cum magnâ in Deum fiduciâ: ut clarissimè docuit in Incarnatione, item dum in Ægyptum eundum, & indè fuit redeundum, &c. Tu obedientiæ affectum exerce & dic: *O Maria*, ut inf. p. 1029. *Quomodò erga Superiores.*

PARS III. Considera quomodo erga omnia creata fuerit affecta, ita certè, ut nihil appeteret, fugeret, optaret, nisi in quantum Deus vellet, & ad ejus purum honorempertineret; unde quocumque eventu quieta & libera erat: nihil enim creaturis, sed Deo immediatè, & Dei providentiæ assignabat, eique se æquo ac imperturbato animo supra vicissitudines rerum humanarum secura committebat; vide ut paupertatem in filii nativitate & reliquâ vitâ, deinde exilium, & persecutiones suas & filij tolerârit. Tu in patientiâ te exerce, & dic; *O Maria*, ut infr. pag. 1029. *Quomodò erga creata affecta.*

Mortificatio

Secundò, considera quantâ in omnibus sensibus mortificatione usa fuerit, quomodo eorum oblectamenta fugerit. Vide hic ambulantem, loquentem, laborantem, orantem, & contemplare oculorũ modestiam, silentium, aut brevem, suavem, & pacificum sermonem. Vnum enim quærebat, & in uno omnia inveniebat. O Domina mea, & verè suavissima Mater, quàm beata anima illa quæ te Reginam cæli in istis imitati conatur! Conor, sed eheu dereliquerunt me vires meæ. *O Maria*, ut infr. pag. 1029.

Charitas Dei.

Postremò considera, quo erga Deum fuerit affectu; verè purissimus amor ejus erat, quo urgente, vanis omnibus phantasiis exclusis libero mentis volatu in omni loco ac tempore mentem levabat, unam Dei voluntatem volebat, & collectis animæ viribus intra se habitabat, & simul in Deo manebat, & eructabat verbũ bonum, & eum ardentissimè amabat & laudabat, Nihil amabat nisi Deum quasi Deus solus & ipsa sola in mundo essent, sive domi, sive foris, ubique Deo erat intenta, & semper videbat faciem Patris habendo cor elevatum in eum & supra omnia humana: hoc perfectionis compendium omnes dicunt. Crede & sequere & dic: *O Maria*, ut infr. pag. 1029.

Considera etiam dulcissimos affectus amoris quos in Christi infãtiâ exercuerit in Bethlehem, in Ægypto, in Nazareth, amplexus, oscula, obsequia dulciora super mel & favum. Tu etiam Christi infantiam mente percurre, & imitare matrem ut à filio diligaris, & dic, *O Maria*, ut inf. pag. 1029. Tertiò considera jam quanta majestas & dignitas B. Mariæ: & finge tibi hominẽ secundùm corpus, pulcerrimum mortalium & absolutissimum; secundùm animam, eiusq; potentias, perfectissimum, quiq; omnes omnium Sanctorum virtutes, v.g. humilitatem S. Francisci, Pauli charitatem longè superaret; & gratiã haberet, quâ in Deum planè transformaretur; & decorẽ, quo omnes Angelos & Sanctos supera-

Dignitas B. Virginis.

superaret; quanti hunc faceres? quid si illum insuper Deus summis honoribus dignaretur, & in eo ornando totus foret, eique omnes subjicere vellet, quantus is foret! Cùm hæc cogitâris, levissimè adumbrasse te noveris abyssum gratiæ, pulcritudinis oceanum, gratiarũ thesaurum; Dei (inquam) matrem, quo titulo nullus esse major potest: ac proinde scias Deo gratius hanc unam coli, quàm omnes Angelos & Sanctos: hancq; unam esse Deo gratiorem & magis charam (est enim mater Dei) quàm omnes simul, ut luna plus omnibus stellis lucet. ac proinde ei te consecra toto corde & totâ mente: si enim quod uni ex minimis ejus fit, illius filius sibi fieri dixit, quanto quanto magis quod suæ fit matri sanctissimæ? O *Maria*, ut hîc infrà.

Quàm gratum sit Deo coli matrem ejus.

Considera quæ beneficia à B. Virgine acceperis: tu & tui in omni ætate, & gratias age; & vide ut nullus prope sit angulus orbis, ubi non clareat miraculis, & singularia conferat beneficia, & fiduciam excita. Considera deinde, quæ non Sancti N. ab illâ impetrarint, & quem affectum erga eam gesserint, ut meritò dicatur, illius peculiari cultui deditum esse, nõ leve signum esse prædestinationis. Tu ergo id stude acquirere omni ardore. Considera denique quomodo S. Spiritus Ecclesiæ inspirârit hunc cultum hyperduliæ, ut apparet primò in *Salve Regina*. Secundò in templis, festis, sodalitatibus, ordinibus ad hoc erectis; in omni officio, Missis, horis, psalteriis, rosariis, in pulsu trino per diem, &c. Et vide quo pacto Ecclesiam audias, quomodo augere cultum ejus queas, & certam hoc pacto facere vocationem tuam.

Oratio ad B. Virginem.

O *Maria Regina cæli & terræ, & quod peccatori dulcius sonat, misericordiæ Mater, tu mea es & spes omnium in te sperantium, & refugium omnium miserorum; ne averseris ergo me miserum, misericordiæ mater, memento quòd miseri-*

cordia tua de miserorum numero in filiorum tuorum sortem cupiam transire, & virtutes tuas N. sic imitari per gratiam filii tui. O quàm doleo propter amorem filii tui Dei mei, de torpore & peccatis meis! sed venio, ô mater, ô civitas refugij ad te, & post Deum omnem spem in te colloco, & me toto corde devoveo tibi obsequioq; tuo. Ad te enim sicut ad medium, sicut ad arcam Dei, sicut ad præsidium, sicut ad negotium sæculorum respiciunt & qui in cælo habitant, & qui in inferno; & qui nos præcesserunt, & nos qui sumus, & qui sequuntur, & nati natorum, & qui nascentur ab illis. Illi qui sunt in cælo, ut resarciantur; & qui in inferno, ut eripiantur; qui præcesserunt, ut Prophetæ fideles inveniantur; & qui sequuntur, ut glorificentur. Eò beatam te dicunt omnes generationes, genitrix Dei, Domina mundi, cæli Regina, quæ omnibus generationibus vitam & gloriam genuisti. In te enim Angeli lætitiam, justi gloriam, peccatores veniam inveniunt in æternum. Meritò in te respiciunt oculi totius creaturæ; quia per te, & in te, & de te, benigna manus Omnipotentis quidquid creaverat recreavit. Ego tali animatus fiduciâ, Mater pientissima, venio sicuti ad unicum asylum & refugium meum, respice, precor, ad servi tui & filij ancillæ tuæ preces: respice ad necessitates has meas, & dirige pedes in semitam mandatorum filii tui.

Prov. 8. *Nunquid ab æterno ordinata es, & antequam terra fieret, ut ad te oculos is attolleret, quem premeret culpa deprimeret afflictio; peccati reus, salutis incertus, & ab omnibus derelictus, ut in te, & per te, inveniret reus veniam, afflictus consolationem, derelictus asylum, insipiens sapientiam, peccator justitiam, justus perseverantiam? Vrbs verè refugij, portus naufragantium, & solatium omnium in te sperantium. Tu stella maris, cujus radius universum orbem illuminat, cujus fulgor & perfulget in supernis, & inferos penetrat, terras etiam perlustrans, & calefaciens magis mentes quàm corpora, fovet virtutes, excoquit vitia. Tu, inquam, es præclara & eximia stella, super hoc mare magnum & spaciosum necessariò sublevata, micans meritis, illustrans exemplis. O anima mea, quæ intelligis te in sæculi hujus profluvio magis inter procellas & tempestates fluctuare, quàm per*

Bern. hom. 2. super Missus.

per terram ambulare; ne avertas oculos à fulgore hujus sideris, si non vis obrui procellis, si insurgant venti tentationem, si incurras scopulos tribulationum, respice stellam, voca Mariam; si jactata superbiæ undis, si ambitionis, si detractionis, si æmulationis, respice stellam, voca Mariam; si acedia iracundia aut avaritia, aut carnis illecebra naviculam concusserit mentis, respice ad Mariam; si criminum immanitate turbata, conscientiæ fœditate confusa, judicis horrore perterrita, barathro incipias absorberi tristitiæ, desperationis abysso, cogita Mariam. In periculis, in angustiis, in rebus dubiis Mariam cogita, Mariam invoca: non recedat ab ore, non recedat à corde, & ut impetres ejus orationis suffragium, ne deseras ejus conversationis exemplum: ipsam sequens, non dævias; ipsam rogans, non desperas, ipsam cogitans, non erras; ipsâ tenente, non corruis; ipsâ protegente, non metuis; ipsâ duce, non fatigaris; ipsâ propitiâ, pervenis; & sic in temetipso experiris, quàm meritò dictum sit, Et nomen Virginis Maria.

Verè stella maris es, ô Domina mea, & pulcerrima aurora consurgens, nuncia solis Domini JESV, *nuncia verè salutis. O felix sidus sedentibus in regione & umbrâ mortis! Tu Domina es; nam & hoc sonat nomen tuum, nos servi tui; tu Regina es, nos clientes tui; tu es spes universæ terræ, tu honorificentia gentis nostræ, tu gloria Ierusalem. multæ filiæ congregaverunt divitias, tu supergressa es universas. Tu velut Esther Assuerum, Deum Patrem placasti, & invenisti gratiam in oculis ejus. Tu Iudith vera Holofernum diabolum superasti. Recordare, Domina, quòd propter nos, & ex nobis exaltata sis: tu soror, tu mater nostra es, tu tota pulcra es, formosa, & macula non est in te, ut cùm inveneris gratiam apud Deum, nos eheu! misericordiam inveniamus per te, Mater nostra, apud Patrem misericordiarum, & Deum totius consolationis filium tuum, redemptorem nostrum.*

Prov. 31.

Ester. 2.

Cant. 4.

Hodie spero oportet eum in domo meâ manere. quid verò apponam ei? pauper & miser, ô benignissima mater? In deserto Angeli ministrabant ei de cibis quos coxeras, sicut tu & illi velle tum noverant. Itaque Domina mea, obsecro te, recordare pau-

pertatis meæ, & impetra mihi ut habeam quod ponam ante illum, & placeat illi cor meum, & frigida hæc desideria mea in terrâ deserta, in viâ & in aquosâ. Vinum non est in nuptiis his, sed memento quæso pristinæ benignitatis tuæ. Et verò quomodo posses oblivisci nos qui sumus de familiâ, & de domo Patris tui? introduxit enim te Rex in cellam vinariam, & ordinavit in te charitatem, ut quantum exaltata es super cælos, tantum misericordiæ radiis splendeas in terris. Tu es enim mater pulcræ dilectionis, & timoris, & agnitionis, & sanctæ spei: in te gratia omnis viæ & veritatis, in te omnis spes vitæ & virtutis. merito igitur ad te levavi oculos meos, quæ habitas in cælis, & omnia gubernas in terris. Tu, si vis, potes me juvare: omnia tibi data sunt à filio tuo; ut dicat jure servus quidam tuus. Ex ore tuo pendet consolatio miserorum, redemptio captivorum, liberatio damnatorum, salus denique universorum. Altiùs ergo intueor quanto devotionis affectu à nobis te voluerit honorari, qui totius mundi pulcritudinem in te posuit, ô Maria: ut si quid spei, si quid gratiæ, si quid salutis in nobis sit, à te noverimus redundare.

Eccli. 24.

Bern. hom. 4. super Missus.

Bern. serm. de nativit. Virg.

Totis ergo medullis cordium, totis præcordiorum affectibus, & votis omnibus Mariam hanc veneremur, anima mea, quia sic est voluntas ejus, qui totum nos habere voluit per Mariam; hæc, inquam, voluntas ejus est, sed pro nobis. In omnibus siquidem benignitas ejus, & per omnia providens miseris, tentationem nostrã solatur, fidem excitat, spem roborat, diffidentiam abigit, erigit pusillanimitatem. Virgo, regia via est, per quam ad nos Salvator venit, procedens ex eius utero, tamquam sponsus de thalamo. Tenentes ergo viam, ô anima mea, studeamus & nos per eam ad ipsum ascendere, qui per ipsam ad nos descendit; per eam venire in gratiam ipsius, qui per eam in nostram miseriam advenit. quæramus gratiam, & per Mariam quæramus, quia qui quærit invenit, & frustrari non potest.

Bern. serm. de Advent.

Advocatum vis habere ad Christum, ô anima mea? ad Mariam recurre: exaudiet certè matrem filius. Cæterùm quidquid illud est, quod efferre paras. Mariæ commendare memento, si non vis sustinere repulsam. Hæc peccatorum scala, hæc mea, ô Domina,

na, maxima fiducia est, hæc tota ratio spei meæ. Sileat, misericordiam tuam, Virgo beata, si quis est qui invocatam te in necessitatibus suis sibi meminerit defuisse. A sæculo non est auditum, quemquam ad tua currentem præsidia, tua implorantem auxilia, tua petentem suffragia, à te esse derelictum. Sit igitur pietatis tuæ, Virgo benedicta, ipsam quam apud Deum inveniſti gratiam, notam facere mundo, reis veniam, medelam ægris, pusillis corde robur, afflictis consolationem, periclitantibus adjutorium, & liberationem sanctis tuis precibus obtinendo. Amen.

De assum. B. Virg. serm. 4.

Praxis colendi B. Virginem.

PRIMA. Habere in numerato beneficia, quæ per eam obtinuimus, atque his ignem charitatis ejus fovere in pectore nostro, & diebus ejus festis solemnem memoriam facere, ac gratitudinem animi declarare.

Beneficia à B Virgine accepta annotanda.

Secunda. Ex gratitudinis & amoris affectu Sodalitati nomen dare, & leges servare, ac conari aliquos inducere ad illius peculiarem cultum, maximè Sodalitatis erectionem, aut propagationem curare. Triste certè est, videre honori duci, & ambitiosè peti, aliquâ ratione asscribi Principum familiæ, societati sagittariorum & ejusmodi; & ægrè adduci posse ut B. Virginis Sodalitati se quis adjungat. Molestiam fingere, & fugere aliquam, est affectum exiguum erga Salutis certissimum præsidium profiteri.

Sodalitati nomen dare expedit.

Tertia. Sæpè Salutationem Angelicam recitare. Sancta Margareta Hungarica ad singulas imagines B. Virginis accurrens flexis genibus eam pronunciabat: B. Catharina Senensis, etiam infantula, ad singulos gradus: idque gratulando ei maternitatem Dei, in quo privilegio omnia continentur. Ideò S. Odilo ad illum Hymni, *Te Deum*, versam, *Tu ad liberandum susceptur hominem non horruisti Virginis uterum*: demissè se flectebat: posseque quis in secreto terram osculari. Quamvis autem vario fine illam Salutationem frequentare licet; tamen cùm Maria Virgo sola cunctas hæreses interemerit in universo mundo; pro iis extirpandis, & Ecclesiæ defensione, sæpè id faciendum est.

Angelica orationis fructus.

Quarta. Nihil aggredi, quin illi & per illam primitiæ Deo offerantur.

Offer Deo per B. Virg. tua munera.

Quinta. Manè & vesperi, ac in prandio, dum pulsatur, eam sibi præsentem facere, benedictionem ab eâ perere: cui enim illa benedixerit, erit benedictus: & iterum per orationē, *Sancta*

Mariæ, eam in patronam eligere: & vota, qui Religiosus est, mente renovare in manibus ejus.

Tria quotidie fac pro B. Virg. Praxes variæ. Indulgentiæ dicentium Ave.

Sexta. Tria quotidie facere ad ejus honorem, Primum, legere aliquas preces, v.g. quinque Psalmos, quorum initiales litteræ respondent litteris nominis ejus, vel Antiphonam, vel Psalteriũ D. Bonaventuræ, vel Horas B. Virginis: salutare eam in egressu & ingressu cubiculi, domus, & occurrente imagine ejus: Litanias recitare pro felici morte; *Magnificat* pro gratulatione de gloriâ, & dignitate ejus. Pontifex Paulus V. concessit recitantibus *Ave* ad horæ pulsum centum dies Indulgentiarum. Secundum, facere aliquam mortificationem, tum corporalem, tum animi, ut sequaris conversationis. Mariæ exemplum, maximè verò imagines turpes eliminare, & pias substituere. Iejunium Sabbatinum ab omnibus ferè probis usurpatur, immò in pluribus regnis ab omnibus servari solitum. Tertium, facere aliquam eleemosynam corporalem, aut spiritualem, dotare virgines nubiles, aut ad Religionem adspirantes sanè laudabile, uti & facere sermonem crebrò de miraculis & cultu B. Virginis, cùm publicè dicendum. Rosarium recitare, ad orationem quidem refertur. sed peculiarem tractationem desiderat, quam longiorem cum aliis, ut brevior sim, in aliud tempus rejicio, cùm Domino visum fuerit.

Septima. Circa lectionem rosarij verbum tantùm addam. nimirum, ut in aliis orationibus, sic & in hac præparationem aliquam necessariam videri: ac Primò, præsentiæ Dei renova memoriam; Secundò, mysterium aliquod brevi spatio expende. Primò, ad *Credo*, fidem vivam excita. deinde in tribus Salutationibus primis spem, resignationem & charitatem: ad orationem Dominicam, ut aliqui, intentionẽ etiam potes renovare, vel salutare vulnera Christi: deinde Salutationem Angelicam, ut B. Virgini præsenti, recita. Potes etiam cũ variis Sanctorum choris id facere, v.g. in Primâ decade. cum Angelis; Secundâ, cum Patriarchis; Tertiâ cum Apostolis; Quartâ, cum Martyribus, Quintâ, cum Confessoribus; Sexta, cum Virginibus. Sunt qui virtutem aliquam, per eam ut matrem optimã in singulis mysteriis petunt, & eandem ab illâ commodant: ac, cùm dicunt *Ave Maria*, mente addunt, *humillima*, v.g. Mysteria vulgò hæc assignantur:

Gaudij.

1. Annuntiatio Dominicæ incarnationis. 2. Visitatio Elisabeth. 3. Nativitas Domini. 4. Oblatio Christi in templo. 5. Inventio pueri IESV inter Doctores.

Doloris.

1. Oratio & captivitas Christi in horto, 2. flagellatio, 3. coronatio, 4. Baiulatio crucis. 5. Crucifixio & mors Christi.

1. Re

1. Resurrectio Domini. 2. Ascensio ejus in cælum. 3. Missio Spiritus sancti. 4. Assumptio B. Mariæ in cælum. 5. Coronatio B. Mariæ.

Ludovici Blosij Rosarium, seu sertum B. Virginis Mariæ quinque-partitum, vitâ & gestis IESV Christi pulcrè exornatum.

PARS I.

PAter noster, &c. Ave Maria, &c. *O benigna & suavis Maria, Placa clementissimum Redemptorem nostrum* IESVM, *quem tu Virgo purissima Angelo nuntiante de Spiritu sancto in civitate Nazareth concepisti, ac novem mensibus in castissimo utero tuo gestasti, Fac ut ipsi dulcissimo filio tuo* IESV *Christo placeamus, & eum téque videre mereamur in cælis, Amen.*

Ave Maria, &c. *O benigna & suavis Maria, Placa clementissimum Redemptorem nostrum* IESVM, *quo concepto, tu Deo plena ad Elisabeth cognatam tuam cum festinatione perrexisti, & eam salutasti, eiq; humiliter servivisti. Fac ut ipsi dulcissimo filio tuo* IESV *Christo placeamus, & eum téque videre mereamur in cælis, Amen.*

Ave Maria, &c. *O benigna & suavis Maria, placa clementissimum Redemptorem nostrum* IESVM, *quem in Bethleem, in vili stabulo tu Virgo inviolata non solùm sine dolore, sed etiam cum ineffabili gaudio peperisti, natumq; mox ut verum Deum devotâ mente adorasti. Fac ut ipsi dulcissimo filio tuo* IESV *Christo placeamus, & eum téque videre mereamur in cælis, Amen.*

Ave Maria, &c. *O benigna & suavis Maria, Placa clementissimum Redemptorem nostrum* IESVM, *quem infantulum vagientem virgineo lacte pavisti, panniculisq; involutum in præsepio super fœnum & stipulas reclinasti. Fac ut ipsi dulcissimo filio tuo* IESV *Christo placeamus, & eum téque videre mereamur in cælis. Amen.*

Ave Maria, &c. *O benigna & suavis Maria, placa clementissimũ Redemptorem nostrum* IESVM, *quem recens natum Angeli pastoribus gratulabundi nunciaverunt: & eum lætis vocibus collaudantes, pacem hominibus bonæ voluntatis cecinerunt. Fac ut ipsi dulcissimo filio tuo* IESV *Christo placeamus, & eum teq; videre mereamur in cælis, Amen.*

Ave Maria, &c. *O benigna & suavis Maria, placa clementissimum Redemptorem nostrum* IESVM, *quem pastores festinanter pergentes in Bethleem, invenerunt positum in præsepio, & eum adoraverunt cum ingenti admiratione & gaudio, Fac ut ipsi dulcissimo filio tuo* IESV *Christo placeamus, & eum teq; videre mereamur in cælis, Amen.*

Ave Maria, &c. O *benigna & suavis Maria, placa clementissimum Redemptorem nostrum* IESVM, *qui octavo à nativitate suâ die dignatus est purissimum sanginem pro nobis fundere & circumcidi, atque ad nostram consolationem* IESVS *nominari. Fac ut ipsi dulcissimo filio tuo* IESV *Christo placeamus, & eum téque videre mereamur in cælis, Amen.*

Ave Maria, &c. O *benigna & suavis Maria, placa clementissimum Redemptorem nostrum* IESVM, *quem Magi ab Oriente venientes piè quæsierunt, & magnò gaudio perfusi stellâ duce in Bethlehem invenerunt: ibiq; illum humiliter adorantes, aurum, thus, & myrrham devotè ei obtulerunt. Fac ut ipsi dulcissimo filio tuo* IESV *Christo placeamus, & eum téque videre mereamur in cælis, Amen.*

Ave Maria, &c. O *benigna & suavis Maria, placa clementissimum Redemptorem nostrum* IESVM, *quem die quadragesimo in templum juxta legis præscriptum detulisti, & hostiâ pauperum redemptum Deo Patri gratissimo corde obtulisti. Fac ut ipsi dulcissimo filio tuo* IESV *Christo placeamus, & eum téque videre mereamur in cælis, Amen.*

Ave Maria, &c. O *benigna & suavis Maria, placa clementissimum Redemptorem nostrum* IESVM, *quem in Aegyptum propter metum Herodis, monitu Angeli mater fidelissima deportasti, tandemq; cùm inde in civitatem Nazareth retulisti. Fac ut ipsi dulcissimo filio tuo* IESV *Christo placeamus, & eum teq; videre mereamur in cælis, Amen.*

Laus Trinitati fulgidæ, Patri, Nato, Paracleto, laus Virgini Deiparæ, nunc & per omne sæculum, Amen.

PARS II.

PAter noster, &c. Ave Maria, &c. O *benigna & suavis Maria, placa clementissimum Redemptorem nostrum* JESVM, *quem tu Virgo mater, cùm esset annorum duodecim, in Ierusalem perdidisti, & eum mœsta requirens, post triduum in templo læta invenisti. Fac ut ipsi dulcissimo filio tuo* IESV *Christo placeamus, & eum teq; videre mereamur in cælis, Amen.*

Ave Maria, &c. O *benigna & suavis Maria, placa clementissimum Redemptorem nostrũ* IESVM, *quem tibi subditum maternâ curâ sedulò enutristi, & nihilominùs ei tamquam altissimo Deo sanctam reverentiam semper exhibuisti. Fac ut ipsi dulcissimo Filio tuo* IESV *Christo placeamus, & eum téque videre mereamur in cælis, Amen.*

Ave Maria, &c. O *benigna & suavis Maria, placa clementissimum Redemptorem nostrum* IESVM, *qui anno ætatis suæ tricesimo in Iordane*

Iordano flumine humiliter à servo suo Ioanne baptizari voluit, cùm tamen ipse innocens Agnus Dei nullam umquam peccati maculam contraxerit. Fac ut ipsi dulcissimo filio tuo IESU *Christo placeamus, & eum téque videre mereamur in cælis, Amen.*

Ave Maria, &c. *O benigna & suavis Maria, placa clementissimum Redemptorem nostrum* IESVM, *qui in deserto quadraginta diebus & quadraginta noctibus nihil manducans jejunavit, sicq; cum feris Dominus cæli & terræ habitavit. Fac ut ipsi dulcissimo filio tuo* IESU *Christo placeamus, & eum téque videre mereamur in cælis, Amen.*

Ave Maria, &c. *O benigna & suavis Maria, placa clementissimum Redemptorem nostrum* IESVM, *qui pro salute nostrâ tentari à diabolo non recusavit, & quomodo Satanam vincere nos oporteat, demonstravit. Fac ut ipsi dulcissimo filio tuo* IESV *Christo placeamus, & eum téque videre mereamur in cælis, Amen.*

Ave Maria, &c. *O benigna & suavis Maria, placa clementissimum Redemptorem nostrum* IESVM, *qui per urbes, vicos & castella iter faciens, Euangelium regni cælorum studiosè prædicavit, & labores fatigationemq; corporis propter nos libenter sustinuit. Fac ut ipsi dulcissimo filio tuo* IESV *Christo placeamus, & eum téque videre mereamur in cælis, Amen.*

Ave Maria, &c. *O benigna & suavis Maria, placa clementissimum Redemptorem nostrum* IESVM, *qui crebrò in oratione pernoctavit; & famem, sitim, frigus, æstum, variasq; persecutiones mitissimo corde nostro caussâ pertulit, Fac ut ipsi dulcissimo filio tuo* IESV *Christo placeamus, & eum téque videre mereamur in cælis, Amen.*

Ave Maria, &c. *O benigna & suavis Maria, placa clementissimum Redemptorem nostrum* IESVM, *qui conversans inter homines omnibus afflictis misericorditer subvenit; ac signa plurima fecit, & Mariæ Magdalenæ, aliisq; peccatoribus verè pœnitentibus veniam promptissimè dedit, séque eis familiarem præbuit. Fac ut ipsi dulcissimo filio tuo* IESV *Christo placeamus, & eum teq; videre mereamur in cælis. Amen.*

Ave Maria, &c. *O benigna & suavis Maria, placa clementissimum Redemptorem nostrum* IESVM, *qui coram tribus discipulis in monte transfiguratus, facie sicut sol refulsit, & excellentiam gloriosi corporis magnificè ostendit. Fac ut ipsi dulcissimo filio tuo* IESV *Christo placeamus, & eum teq; videre mereamur in cælis, Amen.*

Ave Maria, &c. *O benigna & suavis Maria, Placa clementissimum Redemptorem nostrum* IESVM, *qui veniens Hierosolymam ut pro nobis pateretur, rex humilis & mansuetus asinæ insedit, atque inter laudes, quæ ei à populo canebantur, videns civitatē lacrymas effu-*

dit

dit. Fac ut ipsi dulcissimo filio tuo IESV *Christo placeamus, & eum teq; videre mereamur in cælis, Amen.*

Laus Trinitati fulgidæ, Patri, Nato, Paracleto, laus Virgini Deiparæ, nunc & per omne sæculum, Amen.

PARS III.

PAter noster, &c. Ave Maria, &c. *O benigna & suavis Maria, Placa clementissimum Redemptorem nostrum* IESVM, *qui in cœnâ novissimâ pedes discipulorum suorum positis genibus humiliter lavit: & præcellentissimum Eucharistiæ Sacramentum inenarrabili charitate instituit. Fac ut ipsi dulcissimo filio tuo* IESV *Christo placeamus, & eum teq; videre mereamur in cælis, Amen.*

Ave Maria, &c. *O benigna & suavis Maria, placa clementissimum Redemptorem nostrum* IESVM, *qui ingressus cum discipulis suis in hortum Olivetis, maximâ tristitiâ propter nos correptus fuit: & prolixè orans, sudorem sanguineum præ vehementiâ angustiarum toto corpore sudavit. Fac ut ipsi dulcissimo filio tuo* IESV *Christo placeamus, & eum teq; videre mereamur in cælis, Amen.*

Ave Maria, &c. *O benigna & suavis Maria, placa clementissimum Redemptorem nostrum* IESVM, *qui inimicis suis obviam processit, eisq; ultrò se obtulit, & à Iuda proditore osculum accipere non renuit. Fac ut ipsi dulcissimo filio tuo* IESV *Christo placeamus, & eum teq; videre mereamur in cælis, Amen.*

Ave Maria, &c. *O benigna & suavis Maria, placa clementissimum Redemptorem nostrum* IESVM, *quem viri impii irreverenter comprehenderunt, & tamquam malefactorem ac latronem duris vinculis ignominiosè ligaverunt. Fac ut ipsi dulcissimo filio tuo* IESV *Christo placeamus, & eum teq; videre mereamur in cælis, Amen.*

Ave Maria, &c. *O benigna & suavis Maria, placa clementissimum Redemptorem nostrum* IESVM, *qui vinctus ad pontificem cum opprobrio adductus fuit, & ab uno ministrorum ejus atrocem alapam suscepit. Fac ut ipsi dulcissimo filio tuo* IESV *Christo placeamus, & eum teq; videre mereamur in cælis, Amen.*

Ave Maria, &c. *O benigna & suavis Maria, placa clementissimum Redemptorem nostrum* IESVM, *qui in domo Caiphæ falsis testibus fuit pressus, & putentibus sputis fœdatus, & ludibriosè velatus, & colaphis alapisq; inhumaniter cæsus, ac blasphemiis indignissimè affectus. Fac ut ipsi dulcissimo filio tuo* IESV *Christo placeamus, & eum teq; videre mereamur in cælis, Amen.*

Ave Maria, &c. *O benigna & suavis Maria, placa clementissimum Redemptorem nostrum* IESVM, *qui contemptibiliter ductus ad Pilatum, demisso placidoq; vultu coram eo stetit, & ad falsas Iudæorum*

rum accusationes humiliter tacuit. Fac ut ipsi dulcissimo filio tuo IESV *Christo placeamus, & eum teq; videre mereamur in cælis, Amen.*

Ave Maria, &c. *O benigna & suavis Maria, placa clementissimum Redemptorem nostrum* IESVM, *quem Herodes ad se missum sapienterq; coram se silentem sprevit, & albâ ridiculaq; veste tamquam fatuum induit. Fac ut ipsi dulcissimo filio tuo* IESV *Christo placeamus, & eum teq; videre mereamur in cælis. Amen.*

Ave Maria, &c. *O benigna & suavis Maria, placa clementissimum Redemptorem nostrum* IESVM, *qui in prætorio fuit dedecorosè nudatus, & ad columnam inclementer ligatus, & flagris crudelissimè conscissus, propriòque sanguine miserabiliter cruentatus. Fac ut ipsi dulcissimo filio tuo* IESV *Christo placeamus, & eum téque videre mereamur in cælis, Amen.*

Ave Maria, &c. *O benigna & suavis Maria, plata clementissimum Redemptorem nostrum* IESVM, *quem homines iniqui chlamyde purpuraâ ad majus ludibrium vestierunt, & acutis spinis coronaverunt, & nugatoriè adoraverunt atque subsannaverunt, & arundine percusserunt, ac fœdè conspuerunt, & diris alapis ceciderunt. Fac ut ipsi dulcissimo filio tuo* IESV *Christo placeamus, & eum téque videre mereamur in cælis, Amen.*

Laus Trinitati fulgidæ, Patri, Nato, Paracleto, laus Virgini Deipara, nunc & per omne sæculum, Amen.

PARS IV.

PAter noster, &c. Ave Maria, &c. *O benigna & suavis Maria, placa clementissimum Redemptorem nostrum* IESVM, *qui gestans coronam spineam & purpureum vestimentum, è prætorio fuit à Pilato productus, & Iudæis ostensus, atque ab eis ad mortem, crucis magno turbulentòque clamore postulatus. Fac ut ipsi dulcissimo filio tuo* IESV *Christo placeamus, & eum téque videre mereamur in cælis, Amen.*

Ave Maria, &c. *O benigna & suavis Maria, placa clementissimum Redemptorem nostrum* IESVM, *quem Pilatus morti injustè adjudicavit, voluntatiq; Iudæorum tradidit. Ipse ergo mox ab eis trabe crucis oneratus, ignominiosum hoc lignum laceris humeris suis cum ingenti cruciatu patienter bajulavit, factusq; opprobrium hominum & abjectio plebis, humiliter ad Calvariam perrexit. Fac ut ipsi dulcissimo filio tuo* IESV *Christo placeamus, & eum téque videre mereamur in cælis, Amen.*

Ave Maria, &c. *O benigna & suavis Maria, placa clementissimum Redemptorem nostrum* IESVM, *qui in loco Calvariæ myrrhato fellitòque vino fuit potatus, ac vestibus probrosè nudatus, & manus*

ac pedes clavis atrociter perterebratus crucique affixus. Fac ut ipsi dulcissimo filio tuo IESV *Christo placeamus, & eum téque videre mereamur in cælis, Amen.*

Ave Maria, *&c. O benigna & suavis Maria, placa clementissimum Redemptorem nostrum* IESVM, *qui nudus, vulneratus & contemptus in ligno crucis pro nobis pependit, amarissimosque dolores pertulit, ac preciosum sanguinem suum fudit. Fac ut ipsi dulcissimo filio tuo* IESV *Christo placeamus, & eum téque videre mereamur in cælis; Amen.*

Ave Maria, *&c. O benigna & suavis Maria, Placa clementissimum Redemptorem nostrum* IESVM, *qui cùm medius inter duos latrones in cruce penderet, & à Iudæis subsannaretur, blasphemiisque impeteretur, humillimam patientiam exhibuit, & insuper pro blasphemis crucifixoribus suis Patrem exoravit. Fac ut ipsi dulcissimo filio tuo* IESV *Christo placeamus, & eum teque videre mereamur in cælis, Amen.*

Ave Maria, *&c. O benigna & suavis Maria, placa clementissimum Redemptorem nostrum* IESVM, *qui latroni verè pœnitenti peccata omnia misericorditer condonavit. & paradisi gaudia liberalissimè promisit. Fac ut ipsi dulcissimo filio tuo* IESV *Christo placeamus, & eum teque videre mereamur in cælis, Amen.*

Ave Maria, *&c. O benigna & suavis Maria, placa clementissimũ Redemptorem nostrum* IESVM, *qui tibi dilectissimæ genitrici suæ sub cruce stanti atque acerbè dolenti intimè compassus est, & te Ioanni discipulo commendavit, eique ac nobis omnibus in matrem dedit. Fac ut ipsi dulcissimo filio tuo* IESV *Christo placeamus, & eum téque videre mereamur in cælis. Amen.*

Ave Maria, *&c. O benigna & suavis Maria, placa clementissimũ Redemptorem nostrum* IESVM, *qui suam passionem sine aliquo sensibilis consolationis relevamine toleravit: unde & gravitatem cruciatuum suorum indicans se derelictum voce magnâ clamavit. Fac ut ipsi dulcissimo filio tuo* IESV *Christo placeamus, & eum téque videre mereamur in cælis, Amen.*

Ave Maria, *&c. O benigna & suavis Maria, placa clementissimum Redemptorem nostrum* IESVM, *qui exanguis in cruce pendens, se vehementer sitire est testatus, sed felle & aceto in extremâ illâ calamitate fuit potatus. Fac ut ipsi dulcissimo filio tuo* IESV *Christo placeamus, & eum téque videre mereamur in cælis, Amen.*

Ave Maria, *&c. O benigna & suavis Maria, placa clementissimum Redemptorem nostrum* IESVM, *qui morte vicinus spiritum suum in manus Patris commendavit: jamque redemptionis nostræ opere consummato, bonus pastor animam pro ovibus suis ex puro amore posuit. Fac ut ipsi dulcissimo filio tuo* IESV *Christo placeamus,*

& eum

& eum téque videre mereamur in cælis, Amen.

Laus Trinitati fulgidæ, Patri, Nato, Paracleto, laus Virgini Deiparæ, nunc & per omne sæculum, Amen.

PARS V.

PAter noster, &c. Ave Maria, &c. *O benigna & suavis Maria, Placa clementissimum Redemptorem nostrum* IESVM, *qui morte pro nobis in cruce gustatâ, mox ad inferna secundùm animam ex summâ charitate descendit, & electos suos potenter inde eripuit. Fac ut ipsi dulcissimo filio tuo* IESV *Christo placeamus, & eum teq; videre mereamur in cælis, Amen.*

Ave Maria, &c. *O benigna & suavis Maria, placa clementissimum Redemptorem nostrum* IESVM, *cujus sanctissimum latus, te præsente, lanceâ apertum, & amorosum cor vulneratum fuit, unde nobis sanguis purpureus & aqua salutaris profluxit. Fac ut ipsi dulcissimo filio tuo* IESV *Christo placeamus, & eum teq; videre mereamur in cælis, Amen.*

Ave Maria, &c. *O benigna & suavis Maria, placa clementissimum Redemptorem nostrum* IESVM, *quem de cruce depositum in sinum gremiumq; tuum (ut piè credimus) suscepisti, & lacrymis ubertim rigasti, eiq; oscula amanter impressisti. Fac ut ipsi dulcissimo filio tuo* IESV *Christo placeamus, & eum teq; videre mereamur in cælis, Amen.*

Ave Maria, &c. *O benigna & suavis Maria, placa clementissimum Redemptorem nostrum* IESVM, *cujus corpus sacratissimum Ioseph & Nicodemus piâ devotione aromatibus condiverunt, & sindone involuerunt, atque in sepulcro posuerunt. Fac ut ipsi dulcissimo filio tuo* IESV *Christo placeamus, & eum teq; videre mereamur in cælis, Amen.*

Ave Maria, &c. *O benigna & suavis Maria, placa clementissimũ Redemptorem nostrum* IESVM, *qui tertiâ die victorè clauso sigillatóque sepulcro prodiens, à mortuis virtute propriâ surrexit, & te dilectam matrem suam cæterosq; amicos suos optatissimo gaudio lætificavit. Fac ut ipsi dulcissimo filio tuo* IESV *Christo placeamus, & eum teq; videre mereamur in cælis, Amen.*

Ave Maria, &c. *O benigna & suavis Maria, placa clementissimum Redemptorem nostrum* IESVM, *qui quadragesimo post resurrectionem suam die, in cælum gloriosè ascendit, & ad dexteram Patris triumphator nobilis consedit. Fac ut ipsi dulcissimo filio tuo* IESV *Christo placeamus, & eum té-que videre mereamur in cælis, Amen.*

Ave Maria, &c. *O benigna & suavis Maria, Placa clementissimum Redemptorem nostrum* IESVM, *qui Spiritum sanctum in Apostolos aliosque fideles misit, & eos illo mirificè consolatus est, confortavit,*

vit, illuminavit atque instruxit. Fac ut ipsi dulcissimo filio tuo IESV *Christo placeamus, & eum téque videre mereamur in cælis, Amen.*

Ave Maria, *&c. O benigna & suavis Maria, placa clementissimum Redemptorem nostrum* IESVM, *qui te charissimam genitricem suam in cælum assumptam supra choros Angelorum exaltavit Reginámque & Imperatricem celsissimam constituit. Fac ut ipsi dulcissimo Filio tuo* IESV *Christo placeamus, & eum téque videre mereamur in cælis, Amen.*

Ave Maria, *&c. O benigna & suavis Maria, placa clementissimum Redemptorem nostrum* IESVM, *qui in fine sæculi venturus est judex in majestate magna, ut reddat reprobis horrenda supplicia, & justis æterna gaudia. Fac ut ipsi dulcissimo filio tuo* IESV *Christo placeamus, & eum téque videre mereamur in cælis, Amen.*

Ave Maria, *&c. O benigna & suavis Maria, placa clementissimum Redemptorem nostrũ* IESVM, *qui est amabilis & desiderabilis gloria Beatorum, atque cum Patre & Spiritu Sancto vivit & regnat Deus in sæcula sæculorum. Fac ut ipsi dulcissimo filio tuo* IESV *Christo placeamus, & eum téque videre mereamur in cælis, Amen.*

Laus Trinitati fulgidæ, Patri, Nato, Paracleto, laus Virgini Deiparæ, nunc & per omne sæculum, Amen.

CAPVT XX.

Diarium sive actionum per diem ordinatio.

ETIAM Ethnici in eo perfectionem constituebant, ut quis agenda & modum prospiceret. Diogenes monere solitus ut priusquam quis manè egrederetur, quid dicendum, faciendum & quomodo, prospiceret, reversus ea examinaret. Pythagoras idcircò duo tempora maximè observanda ajebat, matutinum, ut quis tum agenda prævideat, & vespertinum ut ea recognoscat. Vnde & Sapiens: Palpebræ præcedant gressus tuos, ut videas quas gemmas colligere, quæ lucra ex re omni ut avarus solet. Nonne lucrum maximum ex omnibus amorem Dei colligere, & gemmam preciosissimam v.g. quoties domo egrederis aquam lustralem capis aut lavas, si pio habitu contritionem excites, vel amorem, quantum lucrum? omnino incomparabile, & facillimum. Certè sanctitas in eo sita est & perfectio, quòd cogitationes, verba, & opera in pondere, numero & mensurâ, coram Deo & ad gloriam ejus sanctè & perfectè fiant; id inprimis curandũ est, & Deus ac Dominus noster imitandus. Quemadmodum enim ille omnia opera sua in summo bene fecit, ita singula opera nostra quantum umquam melius possumus, facere debemus ex omni virtute

Prov. 4. Quanta lucri spiritualis occasio.

Domini

Domini nostri IESV Christi, & cum omni desiderio triumphantis & militantis Ecclesiæ, & sub nomine creatoris, quasi tota salus nostra, & omnis laus Dei, & universitatis utilitas, ex uno opere pendeat, quasi numquam ad id opus reversuri, neque opus aliud postmodum incepturi, non quod ad singula tot considerationes adhibēdæ sint, sed taliter affectus esse quisque deberet prout spiritus dictaverit, sibi suarum actionum modum præscribere, neque anxius esse. Ideò quæ hic videbis exempli gratiâ allata esse existima, ut scias molâ animæ tuæ, & cogitationis, ut sic dicam, molere, & volvere sancta ac pia, & non paleas aut fumum honoris, aut ut cum Apostolo loquar, stercora, sicut ille appellabat, potiùs quàm IESVM, & omne bonum, ut panem omne delectamentum in se habentem. Duo tantùm moneo, ut actio bona sit, nullâ circumstantiâ vitiari debere, sed ad Dei gloriam fieri, vt verò melior, posse illam quasi coram Deo fieri, ei offerri, Christi & Sanctorum actionibus uniri, in genere vel in particulari, indiesque majori affectu fieri. De præsentia Dei Sanctorum hæc est sententia, eam actionum nostrarum esse animam, & pietatis fontem atque compendium, sine quâ mox in bestiam vel dæmonem homo convertatur. secundùm cavendum in his valdè, ne se quis obruat, ne multiplicitate cogitationum caput affligat, atque ita ut fieri solet, profectum retardet. vide tamen ne ulla pars vitæ tuæ vacet, ut nec agri cordis nostri vacare debet. Itaque adverte ne tempus tibi pereat omnium preciosissimum, & ad hoc habe catalogum actionum tuarum illo die & tempore, & modo faciendarum, ut vita tua ordinata sit, suavis, & constans. Ecce ut te id Deus, cæli, & astra, & terra, & tempora doceant. Vtere ergò, utere obsecro tempore, & particula boni diei non te prætereat; & nè frustrà cum Chrysaorio petas inducias usque manè, audi sapientem: fili ait conserva tempus. Ideo pridiè, quæ agenda postridiè, cùm sancto Ignatio provide & ordina, & manè similiter de iis facito, Deoque ea intentione quàm D. Thomas suggerit cogitationes, verba, & opera offer.

Actiones perfectæ faciendæ.

Nota hic paradigm. dari.

Præsentia est anima actionum.

Nota.

Temporis distributio.

Eccle. 14.

Gregor.

Dispice, quales sint, neque blandis nimis afficiare, aut adhærescе, quia fallaces, neque alias time, quia sæpè salutares. Diligentissimè expelle curiosas, & superbas & impuras, quia hinc ruina.

Directio cogitationum.

Tu nosti quid expediat, tu gaudium meum, tu timor meus, extra te nihil volo, ô Deus meus & omnia: Ex te enim, & in te, & pro te sunt omnia.

Vide autem crebrò, in quod animus centrum feratur sublato

to retinaculo piæ cogitationis, an ſurſum ſuperbia feratur, an in ſenſualia deorſum. Quid ſperes, quid times, quo gaudeas, aut triſteris; & hos affectus cave admittere, niſi quia Deus vult; & in voluntate ejus velut in centro, arce, cardine & felicitate permane, ut nil velis niſi quia Deus vult, nil nolis niſi quia ipſe nolit, & donec quietem in hoc reperias ſexcenties tevel horâ unâ reſigna donec in centro ſis, donec palmes in vite, donec in pace, donec in cubiculo divinæ voluntatis cum Beatâ Catharinâ Senenſi ut dicas ſemper: fiat voluntas tua ſicut in cælo & in terrâ, vel non ſicut ego volo, ſed ficut tu.

Directio actionum.

Ante notabiles actiones collige te, & omni affectu omnis creaturæ intentionem renova, Deo confidendo, tibique diffidendo, & perfice, & dic *ad majorem Dei gloriam*, velut ſi ultima foret, & æterna, ſemel enim factum æternum eſt, vel hâc utere.

Oratio quâ intentio, unio & Dei præſentia exercetur.

O omne bonum, Deus meus, virtus mea, ego pulvis & cinis offero opus hoc N. tibi ubique præſenti ad gloriam tuam, in unionem meritorum Chriſti IESV, *utinam te numquam offendiſſem! ex te enim & in te, & pro te ſunt omnia.*

Hæc oratiuncula diffidentiam ſui, & humilitatem, oblationem, puram intentionem, unionem continet, & conſideratione nem præſentiæ Dei in omnibus, cùm ex illo, & in illo omnia profiteatur. Immò ſola hæc poſtrema pars utilis eſt jaculatoria, quâ omnia Deo tribui, & coram eo agi, illique dicari poſſunt, & ſufficit eâ ante omnia uti longiori verò in præcipuis actionibus, Gratias age & dic omnia in nobis operatus es Domine, ex te enim, & in te, & pro te, ſunt omnia.

Manè.

Primò manè, poſtquam evigilaveris, imaginare quaſi cælum apertum, & à Sanctiſſimâ Trinitate, & Chriſto Domino petitâ benedictione, & prima quaſi reſpiratio & vox ſit: IESVS MARIA; uti & ultima vitæ, & ad illud contritionis & charitatis, item fidei, & ſpei actum elicere aſſueſce: Deinde paulo tibi factus præſentior dic: *Benedicta ſit ſancta Trinitas, atque indiviſa unitas: confitebimur ei, quia fecit nobiſcum miſericordiam ſuam*; & ſigno crucis te ſigna. Poſteà actu fidei, ſpei, & charitatis amplexu, adora quo potes affectu Deũ, ut omne bonum, vulnera Chriſti oſculare, & ſervire ipſi ſtatue, non hoſtibus tuis, idque velut ultimo die vitæ.

Gratiarum actio.

Conſidera deinde Primò, omnia creata, & gratias age pro beneficijs acceptis à larga Dei manu. Secundò, vide ad quid ſis creatus: quò eundum tibi, uẽpe ut Deo ſervias, & toto corpore adhæreas, omnibus potentiis & ſenſibus tuis; & attende ad defectus conſuetos, & ſerventer ſtatue Deum non offendere, maximéque vitare id, contra quod examen facis particulare;

Directio ad finem.

Tertiò

Tertiò, considera, quænam agenda illo die, & quid vocatio tua exigat: si Religiosus es, attende ad vota tua, omniaque Deo offer purissimâ intentione & amore. Quartò, considera breviter, quæ adversa evenire possent à Deo, & ab homine, in animâ & corpore, famâ, opibus, & plenè te divinæ voluntati resigna in tempore & æternitate. Deinde Sanctos velut præsentes invoca, maximè B. Virginem; & Patronos cum Angelo Custode viæ duce & comite gratulando eis, & virtutem certam petendo: tum devotè subjunge. *Credo, Pater, Ave* decem præcepta, votaque renova, si Religiosus es, & proposita prima.

3 *Consideratio agendorum.*

4. *Item patiendorum.*

Hæc possunt esse materia tibi meditationis, quoties alia deficit aut parata non est.

ORATIO.

O Iesv Redemptor mi, credo tibi, ô Deus meus, & omne bonum meum, confido in te, ô spes vnica, & te toto corde diligo, & tibi sincerè, totis viribus meis servire statuo; tu omne, & solũ bonum meum es; quid extra te, cùm incerta sint omnia, desidero, aut timere possum; vel de quo gaudere & dolere? (hìc percurre proposita, & quæ occurrere possent adversa.) *da gratiam ut creatis omnibus, donis tuis utar, ne tibi displiceam. Ecce nihil appeto, cùm quid prosit ignorem; sed in omnibus te, qui omnia es, laudo, & gratias ago tibi, ex toto corde, pro omnibus beneficijs tuis generalibus & particularibus his N. & offero tibi intellectum, voluntatem, memoriam, sensus, membra, cogitationes, verba, & opera, & omnia mea, in unione meritorum Christi* Iesv, *ad tuam unius gloriam, non hostium meorum. Adversa item omnia de manu tuâ, accepto N. Superioribus, ut tibi obedire volo: omnes pro te diligere, & tibi, o Deus meus, amor æterne, per amorem & orationem adhærere. Vtinam ego, & omnes te diligãt, ac ardeant amore tuo! O Regina Angelorum, misericordiæ Mater, & mea unica post Deum fiducia! O vos omnes sancti Angeli impetrate mihi veram charitatem, & amorem omnis boni, Dei nostri; & tu Angele custos, Dux viæ meæ præsentiam illius; Apostoli, resignationem; Martyres, patientiam; Confessores, abnegationem omnium sensualium; Virgines, puritatem: & tu Patrone mi N.* a *& ut moriar amore ejus, qui amore mei dignatus est mori.*

a Nomen Patroni menstrui & virtutis sententiam in memoriam revoca.

Dum te vestis, continuare potes quæ sequuntur, & cogitare quomodo lapsu Adæ à fine excideris, & nudus factus sis, & conterere amanter coram Domino. 1. Vestes cape & studeinduere Iesvm, id est virtutes ejus, humilitatem, paupertatem, obedientiam, & castitatem, & patientiam, vel ut Ecclesia nos

Dũ te vestis. Contritio.

docet, in Sacerdote dum se vestit, passionem memora una cum petitione aliquâ virtutis, vel gloriæ vestimenta pete, prout unctio docebit, de quibus aliàs si Domino placuerit fusiùs.

Iaculatoria. *Quando induar te Domine* IESV? *quando veniam & apparebo ante faciem tuam? Ex te enim, & in te, & pro te sunt omnia.*

Dum lavas vel aquam lustralem sumis, Semper contritionem excita; & memineris te locum in sanguine Agni, atque ex mundo corde servire ei statue, vel recordare quod absterget omnes lacrymas ab oculis tuis.

Iaculatoria. *Amplius lava me, Domine, ab iniquitate N. mea, ut mundo corde serviam tibi, & videam te. Ex te enim & in te, & pro te sunt omnia.*

Examen & oratio vespertina. Cave illud ne prætermittas, immò crebrò fac, bis saltem in die, & ad horas singulas breviter. Iam judica teipsum cùm absolvi, si vis, potes. Certè ut Greg. quanto se quis minùs videt, tantò sibi minus displicet, & tantò magis, quo crebriùs se in conspectu Dei intuetur.

Greg. l. 35. mor. c. 5.

Examen institue hoc pacto, 1. gratias age Domino tuo pro tot tantisque beneficijs maximè eo die acceptis. 2. roga eum ut gratiam largiatur, ut cognoscas eum, & te semitasque tuas. 3. Percurre, ab examine postremò ubi fueris, quid egeris, cogitatione, verbo vel opere, & primò quomodo te gesseris in materiâ examinis particularis, cujus propositum singulis horis renova si potes. 4. dole ex amore Dei tui de offensâ. 5. propone emendationem seriam prævisis occasionibus, maximè in vitio illo, quod extirpare contendis. Post hoc verò. Percurre deinde primò puncta postridiè meditanda aut legenda. Secundò, dispone de actionibus diei sequentis purificando intentionem: & prævide, quid agere, dicere, &c. velis, nisi in examine id feceris, atque attende ad examen particulare, & Tertiò, osculare terram; Primò, cogitando te hâc nocte in pulverem fortè rediturum; Secundò, quia Verbum caro factum est, totum te ei resignando, & invitando ut cras ad te veniat in vener. Eucharistiâ. Tertiò, quia peccatis tuis infimum locum tibi deberi putas, & contritionem excita: tum exue te, & exerce gratiarum actionem, vel confusionem, commemorando, si libet, passionem Christi Domini, v.g. ad togam, gratias agere potes pro denudatione in flagellatione: ad aliam vestem, repræsentare posses tunicam, quæ integra mansit, & petere charitatem ad calceos, & caligas, petere gressus rectos; & affectus & amorem: ad cætera meditari depositionem corporis Christi, & mortem, uti & de tuâ cogitare. Posteà sanctos statue circa lectum, & eos ut moriturus invoca, & dic: *Credo Pater, & Ave. Veni sãcte Spiritus.* Saluta etiam Angelum Custodem.

Agenda post examen.

Modus se exuendi.

Dum lectum aperis, cogita sepulcrum, ac fore ut brevi illud intres,

intres, alteram ex æternitatibus sortiturus: & cogita, si ita nunc foret, quid superesset ex vanitate, quid ex sanctâ conversatione. Deinde dic: *In manus tuas Domine, commendo spiritũ meum*; cum oratione de contritione vel actu illius, & mox petitâ flexis genibus à SS. Trinitate, B. Virgine Matre tuâ, Angelo Custode, benedictione, exerce te ut moriturus (est enim hæc diei quasi vitæ pars vltima) & dic aliquoties, IESVS, Maria, & contritionem, actus fidei, spei, & charitatis dicendo: Credo Domine, in te spero, & toto corde te diligo. Deinde vota si Religiosus es renova, ut indulgentiam plenariam consequare, aut aliâ ratione. Postea in lecto decumbe in dexterum latus maximè, & aliquid circa Meditationem volve, aut certam cogitationẽ, quâ amorem Dei excites, & desiderium Communionis, convertendo oculos vel ad ven. Sacramentum, vel ad cælum, juxta illud: Anima mea desideravit te in nocte, & iterum dic: IESV Maria, cum actu fidei, spei, & charitatis. IESVM autem si vis considera incipiendo à Dominica, vel ut in cælo ad dextram Patris, vel vt in præsepio, in paupere domo suâ, in deserto, in domo Caiphæ, in cruce, in sepulcro.

EXERCITIVM.

VTinam, ô Deus meus, vita mea, cras perfectiùs tibi vivã, ferventi oratione sic N. *te laudem, omniaq; creata spernam, te unum timeam & diligam! quid enim ex ijs colligam, aut quid collegi hodie N. nisi bonitatem tuam, qui omnia in omnibus operaris?*

Potes hic visa & audita piè applicare.

Tu solus bonus, tu solus animam meam potes satiare, quando te suscipiam, & perfectissimè omnes actiones ad gloriam tuam exequar.

Præparatio ad Communionẽ.

Ecce nescio quando venturus sis, utinam nunquam offendissem te omne bonum. 2. Cùm tu Deus caro factus sis, ut ego Dei filius sim, offero tibi cor meum, & omnia. Veni, veni, & fac me unum tecum. 3. Da mihi ut sim mitis & humilis corde, & amem te, & sufficit mihi. Quando venies, quando venies sanè ut fur in nocte, Et quid tunc proderit universa vanitas? In manus tuas Domine, commendo spiritum meum. Benedic mihi, ô SS. Trinitas, ô dulcissima Mater Maria, ô Angele mi, Credo tibi Domine IESV, *& in te spero, toto te corde diligo, & amplector te, bone* IESV, *unica fiducia mea, & (si Religiosus es, dic) voveo paupertatem, castitatem & obedientiam. En vita incertus, & salutis velut sepulcrum ingredior. utinam te, Deus meus, numquam offendissem: doleo ex animo, Redemptor mi, & propono per tuam gratiam præcepta & regulas servare, crucem libenter ferre, & me mortificare. N. te & proximum ex corde diligere, quid enim sunt omnia transitoria sine te, & nónne hæc omnia clamant, ut diligam te, cùm sis unicum & omne bonum meum.*

Examen particulare.

Post hoc posses lecta & audita piè applicare, & meditationem ruminare.

Meditatio vel lectio matutina.

Primò, præpara te breviter, ut suprà dictum est, & vide quos affectus velis excitare, quomodo meditationem applicare defectibus, & examini particulari, & ad eliciendum amorem Dei perfectionibus ejus consideratis, vel aliquâ earum. Iturus ad meditationem, ad aquam lustralem contritionem excita de peccatis in genere; & mox te humiliando, considera Deum præsentem, & adora, fidei, spei, & charitatis actu, ex purâ intentione offer tres potentias, ac gratiam pete ad rectè meditandum, oratione eâ quæ suprà c. 1. lib. 1. posita est, aut hâc: O *Domine tu mihi per essentiam, præsentiam & potentiam præsens es; esto etiam quæso per gratiam: credo enim tibi in hoc N. & omnibus & in te solo spero, & toto corde te diligo, & gratias ago omnium Sanctorum affectu & possibili, pro his N. & omnibus beneficijs tuis, quia judicia tua sic manifestasti mihi. Vota mea & omnia tibi offero ad gloriam tuam, potentias animæ meæ consecro tibi. Da mihi, o* IESV, *ut tu sis meditatio mea, semper de te cogitem, ut tu de me sis spes mea, maledictus enim qui confidit in homine. o Amor meus ut nihil petam aut amem extra te. Da obsecro quod jubes N. ut exardescat ille, & crescat in me, & ego sic in virtutibus N. & in te, propter te qui es Deus meus, & omne bonum meum. Amen.*

Nota.

Fides viva. Spes certa. Charitas. Gratiarum actio.

Hanc verò orationem continentem varios actus & affectus in meditatione vel lectione excitandos post singula puncta, aut considerationes usurpare potes, vel aliquam ex ijs quæ initio libri: *Haccine vera*, &c. vel *exercitium complectens modum meditandi*, de quo cap. 25. lib. 2. vel *exercitium quo anima elevatur*. c. 36. lib. 2. vel *Exercitium Fidei, Spei & Charitatis*: vel certè variis affectibus insistere quos habes cap. 50. & sequ. lib. 2. vel potes Iaculatoriis uti positis in capite de contemplatione; vel certè psalmis, affectibus illis servientibus, v. g. in affectu fidei Psal. 135. *Confitemini Domino*, Item 13. 36. 47. 52. 71. 72. 75. 93. 95. 97. 118. 148. Spei Psalm. 4. *Cum invocarem*. Item 3. 7. 10. 11. 12. 15. 16. 22 26. 27. 30. 6. 40. 42. 43. 44. 55. 58. 61. 63. 64. 67. 70. 76. 90. 121. 135. 137. Charitatis Psal. 41. *Quemadmodum cervus*. Item 8. 31. 57. 62 66. 72. 83. 135. 137. 144. Contritionis Psal. 50. *Miserere mei*. Item 5. 6. 24. 37. 38. 49. 78. 79. 83. 84. 89. 100. 101. 129. 141. 142. Admirationis Psalm. 8. *Domine Dominus noster*, Item 19. 28. 32. 44. 65 72. 88. 92. 146. Compassionis Psalm. 21. *Deus Deus meus respice*. Item 55. 68. Imitationis Psalm. 44. Eructavit aut 71. Gratitudinis Ps. 47. *Magnus Dominus & laudabilis nimis*. Item 9. 20. 29. 32 33. 39. 56. 59. 60. 61. 65. 77. 93. 102. 103. 104. 105. 106. 117. Gaudii Psal. 33. *Benedicam Dominum in omni tempore*. aut 17. 32. 46. 51. 56 64.

64.67.80.85.91.94.95.96. 99. Resignationis Psalm.22. *Dominus regit me.* aut 107. Humiliationis Psal.127. *Nisi Dominus ædificaverit.* Item 35.74.130.145. Contemptus rerum humanarum Ps. 36. *Noli æmulari.* Patientiæ Psal.89. *Domine refugium factus*, aut 16.19.25. 27.38.40.61.68.73. Diligentiæ spiritualis Psal.14. *Domine quis habitavit*, item 23.48. Timoris Psal.49. *Deus Deorum*, Item 74. Petitionis Psal.68. *Salvum me fac Deus*, item 60.69.78 79.82.84.85.87.89. Vel ut alius suadet, quotidie diverso affectu te exerce, die Lunæ in Fide, expendendo Credo: Martis in Spe, expendendo *Pater* & *Ave*: Mercurij, in charitate ad præcepta te examinando: Iovis, in gratiarum actione beneficia Dei recolendo: Veneris, in compassione Mysteria Passionis volvendo: Sabbathi, in contritione, recogitando dies præteritos & annos. Dominicâ, in gaudio, cæli gaudia delibando.

Etsi verò meditatio non omnibus conveniat, tamen lectio orationibus & affectibus interpolata omnibus utilis, neque omittenda, saltem repetenda lectio eorum, quæ sibi quis faciēda aut cavenda proposuit, uti invenies pro singulis diebus l.1. c.13.p.149.

Nota meditationem aut lectionem omnibus negotiis anteponendam, quia per illam misericordia Dei ad nos descendit, ut indicat David, dicens: Benedictus Deus, qui non amovit orationem meam, & misericordiam suam à me: ut Augustinus in illud Psalmi 65. sed loco, horâ, situ, commodis & quietis faciendam & absolvendam, neque quidpiam omnino, nec pilum quidem de hoc holocausto esse detrahendum affectui gratiarum actionis, oblationis, & propositis ac petitionibus insistendum. *Ps. 65. Meditatio quanti sit.*

Examen particulare est, quo quis peculiare aliquod vitium persequitur, omni studio mortificationes, orationes eo referendo, aut ad virtutem acquirendam per partes & gradus, verbi gratiâ, humilitatem vis, 1. ne te laudes, 2. nec laudari velis, 3. nihil ob respectū agas, 4. nihil excuses, 5. vanas cogitationes excludas, 6. humiliationes patere, ijsque gaude. Vis charitatem, 1, de nullius defectu loquere, 2. omnibus quibus potes, operam tuam præsta, 3. aversionem omnem cave, si senseris, contrariis actibus expelle. Vis obedientiam? 1. exteriùs perfectè ad litteram fac, 2. nunquam contradic, 3. Deum in omni Superiore respice. Vis paupertatem? 1. parcè utere rebus. 2. superflua reseca, 3. etiam necessarijs gaude carere, eaque aliis libens tribue. Vis castitatem? 1. oculos custodi, 2. familiaritates fuge, 3. cogitationibus sanctis, Deique præsentiâ alias exclude, &c.

Missæ auditio.

Cave quantum potes eam omittere, venit enim Dominus ut te audiat, te cibet, recreet. Primò, cùm vadis, cogita te ire ad rem summam, uti verè est, montem Calvariæ, memoriale incarnationis, & Passionis Domini, Si libet, cogita quis offerat, quid, ubi, à quibus offeratur, cur, quomodo, quando, & memento te offerre cum Sacerdote hoc Sacrificium, accedere epulum cæleste, propitiatorium: Ad aquam lustralem contritionem excita. & in Confiteor examine brevi instituto idem facito. Secundò, ad initium Canonis Passionem percurre, & circumstantias appende, quis, quid, ubi, à quibus id patitur, cur, quomodo, quando, deinde pro Communione spirituali examina te breviter, & contritionem excita, ac famem, & roga Deum ut ad te veniat. Denique tibi & alijs necessaria pete, renova proposita & gratias age.

Si concio audienda.

Primò, quia sapientia non habitat in anima subdita peccatis, breviter eleva cor ad Deum, dolendo de peccatis præteritis, & curas rejiciendo.

Secundò, diligenter & devotè attendito, velut Deum loquentem, & te monentem, & propone gratiâ Dei facere, nam, ut Augustinus, qui audit negligenter, & sinit verbum Dei cadere in terram, æquè culpandus, ac qui sinit cadere corpus Christi. Et alius: Accipienda verba Dei, ut sanguis Christi, & aliæ Sanctorum reliquiæ.

Tertiò, in fine tibi applica, & facere propone, & rumina crebrò.

Oratio ante eam.

Munda cor meum, Domine, ut semen verbi tui cadat in terram bonam, & fructum afferat. Desidero illud in mansuetudine suscipere devotè ut edicta tua, & sanguinem tuum, & ut æger medicinam, & propono mihi applicare, & firmiter exequi, ad honorem & gloriam nominis tui.

Oratio post eam.

Gratias age Deo, & propone audita exequi, & aliis narrare, consideratâ occasione, his si libet verbis: *En, Domine, hæc est voluntas tua, sed non est volentis, neque currentis, sed tui Deus misereris: propono itaque hoc facere* (tali tempore, &c.) *per gratiam tuam. Amen. Veni sancte Spiritus, reple,* &c.

Recollectio ad horas.

Singulis horis recollige te: examina Primò, præteritam horam coram Deo. Secundò, proposita matutina renova in genere; & virtutem examinis particularis, repræsentatâ occasione, exerce, hoc modo. O IESV, *pro me* v. g. flagellate, *quid retribui tibi? quid retribuam? doleo amore tui, quod offenderim te; diligo te ex toto corde, & omnia tibi offero & committo, quando veniet? quando per te humilis ero N.* sic ad horas singulas aliquod mysterium passionis si libet memora v.g. hora 6. O IESV, qui la-

visti humillime pedes tuorum. 7. Convivium mihi corporis tui instituisti, 8. sermone tuo solatus es. 9. ad horum vltro pro me ivisti. 10. In horto pro me lacrymis sanguineis orasti. 11. Te ipsum tradidisti proditori, 12. Ductus fuisti ad Annam, & cæsus pro me. 1. Ductus ad Caipham & accusatus pro me. 2. Illusus & consputus fuisti pro me. 3. Ligatus & negatus à Petro fuisti. 4. à Sacerdotibus damnatus fuisti ut ego absolverer. 5. Ad Pilatum ductus & accusatus. 6. Ad Herodem ductus & spretus. 7. Remissus ad Pilatum cum ignominiâ fuisti. 8. Flagellatus & coronatus fuisti. 9. A Iudæis clamantibus dãnatus. 10. Qui bajulasti crucẽ pro me. 11. Qui pro me crucifixus es. 12. Pro me elevatus in cruce. 1. Qui pro inimicis orasti. 2. Qui pro me sitisti. 3. Qui mortuus es pro me. 4. cujus pro me apertum latus. 5. Qui pro me de cruce depositus fuisti. Potest eadem fieri recollectio, recitando Pater noster, cum piâ aliquâ reflexione, v. g. renovando præsentiam Dei verbis illis, *Pater noster qui es in cælis*. Primâ petitione, puram intentionem, cùm ipsâ eâdem contineatur; Secundâ, gratiæ postulationem cum sui diffidentiâ; Tertiâ, resignationem, Quartâ, fiduciam de paternâ providentiâ, & suspirium ad SS. Eucharistiam; Quinta, contritionem & charitatem erga proximum; Sextâ, humilitatem. cùm tot periculis cincti nullum evadere absque Deo possimus; Septimâ, propositũ vitandi peccata ac defectus, maximè illum, quem examine particulari superare contendimus. *Recollectio per* Pater noster.

Otium fuge cum prudenti illa fæmina, nam illud vitiorum sentina, & tu natus ad laborem. Initio contritionem excita ut Deo gratum sit opus, eiqúe ex purâ intentione illud offer, & Christi operibus & meritis unias, & præsentem tibi facias, eumque ut Remuneratorem intuere, & ut miles ducem. Verùm memento in opere exercere communicationem cum Deo, & ex creatis cor ad Deum elevare, uti videbis factum li. 3. cap. de Contemplatione. Exerce potissimùm fidem, spem & charitatem crebrò dicendo: O IESV, trahe me post te, utinam te diligam toto corde meo! utinam tibi adhæream pulcritudo summa! Quàm admirabile est nomen tuum in universâ terrâ, ô potentia infinita! vita tamen animi contentionem. Peracto opere de defectu dole, & illud Deo offer manibus beatissimæ Virginis, ac sæpè expende illa, ex te enim & in te, & pro te sunt omnia. *Exercitium manuale.* *Iob 5.* *Prov. 31.* *Cant. 1.* *Psal. 8.*

Domine Deus, cui omnia seruiunt, denuò offero me hâc horâ, forsitan vltima tibi in holocaustum, & opus hoc in unione meritorum & laborum Christi IESV, *dignare hoc per me operari ad gloriam tuam. Amen.* Oratio ante opus.

Oratio post opus. *Tu Domine principiũ & finis, gratias ago tibi, qui nemine indiges, quòd dignatus es me vocare in vineam tuam, & hæc per me facere, sine quo factum est nihil. Sit tibi laus de bono tuo. Ignosce malum meum, & imperfectiones meas, & suscipe in unione omnium actionum Christi filij tui, ad tui solius, non mei gloriam.* Amen.

Iaculatorię pro laborantibus. Inter laborandum sententiam aliquam ex his, quæ sequuntur, memoriâ repetere poteris.

Ps. 127. *Labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es, & bene tibi erit.*

1. Cor. 4. *Vsque in hanc horam esurimus & sitimus, & nudi sumus, & colaphis cædimur, & instabiles sumus, & laboramus operantes manibus nostris.*

2. Thes. 3. *Si quis non vult laborare, non manducet; beatus verò qui manducabit panem in regno Dei,*

Luc. 14.

Prov. 10. *Benedictio Domini divites facit, nec sociabitur eis afflictio.*

Prov. 13. *Vult, & non vult piger, anima autem operantium impinguabitur.*

1. Tim. 2. *Labora sicut bonus miles Christi.*

Apoc. 14. *Beati mortui qui in Domino moriuntur: amodò jam dicit spiritus ut requiescant à laboribus suis.*

Sap. 9. *Mitte sapientiam de cælis sanctis tuis, ut mecum sit, & mecum laboret.*

Prov. 23. *Noli laborare, ut diteris, sed prudentiæ tuæ pone modum.*

Matth. 11. *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos.*

Ps. 16. *Pauper sum ego, & in laboribus à juventute meâ.*

Lectio horarum. Para te & citharam cordis tui ad has ut ad meditationes, horâ & tempore certo & competenti; nec noctem, & opera ejus verte in diem, seu diurna opera, & contrà Psalmos fac intelligas, etiam juverit legere singulos cum S. Angelo aut Patronis, aut pro certâ rerum obtinendâ, &c. Etiam situs magnam rationem habe cum Deo collucuturus, ejúsque præsentiam excita & contritionem, & fidei, & spei, & charitatis actum. Deinde saltem ad, Gloria Patri, præsentiam Dei renova; & intentionem. Et post recitationem te collige, & contritionem excita, ac pro remissione defectuum. Laudate Dominum omnes gentes, &c.

Vide Richardum. Oratiunculam horis præmittendam habes suprà si videatur, vel dic: O Deus, ecce sto coram te & curiâ tuâ, & doleo ex amore tui, quod offenderim te, credo tibi, in te spero, & toto corde te diligo.

Studendi modus. Priusquam studere incipias, tranquilla animum, anima enim quiescendo fit sapiens, cave ne præcipites, cave festinare

ad

ad finem, sed rumina & digere. Ora & contritionem excita, nam in malevolam animam non introibit Sapientia: neque superbias, tumor enim mentis est obstaculum veritatis. Dei ergo auxilium invoca, offerendo opus tuum Christi actionibus unitum divinæ Majestati, & dic. Veni sancte Spiritus, & emitte cælitus, lucis tuæ radium: ex te enim, & in te, & pro te sunt omnia, & doleo super omnia quod te offenderim, ô Deus meus & omnia. Lege verò quotidiè pium aliquem librum, ut sapientissimi viri soliti fuerunt, D. Dominicus, D. Thomas, D. Bonaventura: non tamen sit fortuita lectio, aut præcipitata, sed attenta ac devota, ad mediam ut minimùm horam. Ex lectis & cognitis eleva mentem in Deum & Spiritum sanctum, qui nos docebit omnia, ut veritas dixit.

Greg. lib. 2. Mor. c. 27.

Ioan. 14.

Magna hæc est occupatio nonnullis, & utilis ad fructum faciendum in proximo, & charitatem fovendam. Itaque eam huc ordina. Ex eâ autē fructum colliges, si præmeditatè, & piè scribas, meminerisq; quod vulgò dicitur, litterā scriptam manere, & scribi, ut sic loquar, æternitati, 1. Contritionem excita, & intentionem, dum crucem pingis in initio, 2. ante signaturā reflecte, cruce v. g. aut IESV nomine præmisso, hæc enim æterna est.

Iaculatoria.

O IESV, *qui in manibus tuis & libro vitæ descripsisti me. Doleo quod offenderim te, da mihi præmeditatè, piè, non ut profanus, & prudenter scribere æternitati, ad gloriam tuam, ex te enim, &c.*

Beatus qui manducabit panem in regno Dei. Dum lavas te, 1. contritionem excita, adspira ad Deum, propone seriò temperantiam in medicina corporis sumenda, & cogita vel de lavacro sanguinis Christi, vel vanitate mundi, vel de mensâ cælesti, & ad eam adspira. Accumbe cum Christo, eum agnosce in Superiore vel in proximo, cave properè, lautè, ardēter & studiosè edere, inter comedendum semper dissimulanter in aliquo te mortifica, id est, aliquid quod magis arridet Christo Domino offer in proximo si potes, & gulæ eripe, ut eo ille, & tu fruaris in æternum: vel insulsum comede, propter fel Christi Domini, de nullo quærere, & si libet attende in prandio ad aliquod mysterium, v. g. ad convivium ut sic loquar, in quo Christus Dominus accumbit, die Lunæ, 1. ad ubera matris, 2. in triduo illo, 3. in deserto. Martis, 1. in Canâ. 2. in domo Matthæi, 3. Zachæi, Mercurij, apud Puteum Samariæ, 2. in domo Simonis, ubi Magdalena, 3. in domo socrus Simonis. Iovis in deserto cum 5000 2. in domo Pharizæi, ubi hydropicū sanat. 3. cæna novissima. Veneris: in cruce, 2. sitim ejus, 3. depositionem, attende Sabbathi, 1. in sepulcro, 2. in limbo, & 3. cum discipulis, in Emaus. Dominica 1. Vide comedentem cum discipulis.

Luc. 12.

Refectio corporis.

Matth. 1.
Matth. 9.
Luc. 7.
Ioan. 4.
Matth. 5.
Luc. 14.

pulis. 2. ad mare. 3. in cælo, vel certè ad primum ferculum cogita de morte, eiusque ferculo, vel de ferculis inferni; ad secundum, de cænâ Christi, & Eucharistico epulo; ad tertium de cælesti & bene intinges panem tuum in aceto & sanguine Christi. Singularitatem & delicias evita. Sufficiat, ut Bernard. ait, comestibilia sint, non concupiscibilia: sufficit enim concupiscentiæ malitia sua. Vita etiam voracitatem & præcipitantiam: ideóque initio assidens mensæ saltem dic vnum *Pater*, pro benefactoribus vel defunctis, & attende lectioni, aut sermoni, ne totus comedas. Si Paterfam. scutellam habe pauperum, cui imponas de ferculis tuis, primitias Deo in infirmis aut alteri tribuendas.

Bernard.

A mensâ, & quid in Colloquio.

Remitte paulisper animum: sed ante colloquium renova præsentiam Dei, ac puram intentionem, tardus ad loquendum esto, & circumspectus, & ora cum Propheta: *Pone Domine custodiam ori meo, & ostium circumstantiæ labiis meis: ex te enim, & in te, & pro te sunt omnia.* Tunc certè magis, quàm aliàs, periculum. Penè enim epulas loquacitas sequitur, ut Greg. ait. In colloquio, utere pulcherrimâ, quam habes, humilitatis, oportunè silendo, non interpellando: charitatis alium recreando: & zeli, bona narrãdo, occasione. Post illud, examina te, & provide in futurum, ac roga Dominum, ut errata corrigat, pro misericordia sua.

Præsentia Dei
Intentio pura.
Vtere virtutis occasione.
Greg. 1 Mor. cap. 5.

Vilitatem inspice, & sub omnibus te loca: & dic, Putredini dixi, soror mea es. Omnis qui se exaltat humiliabitur, atque hoc pro humilitatis exercitio usurpa.

Virtutum occasio magna.

Si Sancti, & Religiosi ferè assiduè coram Domino adstent, æquum est alios saltem semel; scilicet, in Laudibus, Dominum in ven. Eucharistiâ salutare. Ad hoc igitur considera breviter. Primò, peccata præterita, & contritionem excita; Secundò, beneficia, & gratias age; Tertiò, propositorum tuorum, & si Religiosus es, votorum renovationem facito; Quartò, in honorem passionis Christi Domini ad tolerandum te offer, deinde pro more fidei, spei & charitatis actus exerce. Oratiuncula uti potes, quæ ante Sacrum aut ante horas recitãdas proposita est. *Credo tibi*, ut suprà. Vel *Quid feci tibi, quid tu mihi, ô* IESV? *offero tibi vita mea, & desideria N. & omnia mea, fac de me secũdùm voluntatem tuam, credo enim tibi, in te spero, & te toto corde diligo, ex te enim & in te & pro te sunt omnia.*

Dum necessitati servis.
Salutatio. Ven. Sacr.
Contritio.
Actio gratiarum.
Renovatio propositorũ.
Oblatio.

1. Certos Patronos delige, vel ex inspiratione, vel ad morbos tuæ animæ curandos, eos v.g. qui in contrariâ virtute excelluerunt, vel ob accepta beneficia. 2. electos constanter cole, eos invitando (ad quod vitam lege.) Deinde alios ad eorum cultum

Sanctorum cultum.

cultum invitando, item invocando crebrò, postremò, quod facillimùm, orationes, aut pia opera solita fieri, iis applicando, Deoque per manus eorum offerendo. Ad hæc calendarium eorum habe, & statas mortificationes, Martyrologium quotidie devotè audi, & vesperi Sanctos illos cum Patronis invoca, & ad Primam, & in præparatione ad communionem seu sacrum, & in ipso.

Excita breviter contritionem, ut dictum primum Ave, recita gratias agendo pro creatione, secundum pro Incarnatione, tertium pro Redemptione, renova proposita, & offer te in actu fidei, spei & charitatis, & omnia tua tanto benefactori, & si lubet subjunge post tertium *Ave: Benedictus sit Deus Pater, qui me creavit unigenitusq; Dei filius, qui me redemit, sanctus quoque Spiritus, qui vocavit me, & fecit mecum misericordiam suam. Ex te enim, & in te, & pro te sunt omnia, Deus meus, & omnia.* *Salutationis Angelicæ pulsus.*

In his statue Primò, te coràm Deo, ac curiâ cælesti, & pete à B. Virgine, amorem Dei: ab Angelis, puram intentionem: ob Apostolis, obedientiam: à Martyribus, patientiam: à Confessoribus, paupertatem: & à virginibus, castitatem. Ad *libera nos Domine*, cogita quàm multa mala te circumstent, & pete liberari. Ad *te rogamus*; vide quàm multis egeas: eaque postula à fonte omnis boni tibi præsente. *Litaniæ.*

Nunc lege, nunc ora, nunc lecta aut scripta revolve:
Vel pugna, vel cerne Deum, vel cuncta resigna.

Vacui temporis occupatio.

Pugna, id est, revoca in memoriam occasiones exercendæ virtutis, quam examine particulari studes acquirere, & exerce eam, aut vitium contrarium detestare: cerne Deum eumque æstima & ama, & creata inspice & despice. *Resigna*, id est, propone tibi varios casus, quibus fama, bona, amici eripiantur, & voluntatem tuam cum divinâ conjunge.

Ante omnia excita coram Deo contritionem, & dic: Pone Domine custodiam ori meo. Ex te enim, & in te, & pro te sunt omnia, volat enim irrevocabile verbum. Ad Deum verò respice, qui potest solus animas convertere, & tua dirigere negotia. Secundò cùm scias miseriam tuam, gratiam pete, & illius, quo cum agendum, Angelum invoca, ac tuum, vt negotia, maximè si salutis, cum eo homine tractanda feliciter expedias. 3. Sis in sermone parcus, suavis, consideratus, ne interpella, nunquàm de alterius loquere defectibus, vel de tuis laudibus, contentionemque omnem devita? Si quis murmuret vel detrahat, tu contra si potes lauda & restitue Deo honorem & proximo, saltem averte sermonem ut Thomas Morus petitione appositâ, aut compesce vultu & silentio, *Cõversatio.* *Quid cavẽdum in sermone.* *Quid dum detrahitur.*

lentio, maximè si quis turpia loquatur. Nullum dimitte nisi benevolum, & inter colloquendum insere de Dei providentiâ, potentiâ, misericordiâ, de Sanctis, Extremis, de virtutibus vel vitiis colloquia. Ab alienis negotijs & publicis abstine quantum potes. Si audis, ne admittas in animum tuum & affectum, neque ulli homini multum adhærescе. In omnibus Deum respice simul & creaturam, tempus & æternitatem.

In contentione cum aliquo.

Si quis contendat tecum, cogita Deum præsentem, & satis esse IESVM ab illo cædi, fugari, & dic. Mihi autem adhærere Deo bonum est, vel mane nobiscum Domine, quoniam advesperascit. Ex te enim, in te, & pro te sunt omnia.

Nota.

Ps. 71.

Conversatio cum dispari sexu.

Pange cum Iobo fœdus cum oculis tuis, ut ne cogites quidem de virgine in malum: & fuge frequentia colloquia, & familiaritates, memor illius: Inveni amariorem morte mulierem, laqueus venatorum est, & sagena cor illius, vincula sunt manus illius.

Dum foras itur.

Ex objectis visis atque auditis ad Deum cor tuum eleva, sensus à curiositate custodi, sed collige ut apis vel amoris ex omnibus. Si Religiosus es, & nomen tibi egressuro signandum, ora ut maneat in libro vitæ, & grarias age pro vocatione. Modestiam, maximè si religiosus es, serva, cum ex uno omnes iudicentur; maximè inquam, omnibus enim dictum: Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona.

Matth. 5.

Cum pauper occurrit.

1. Cogita IESVM occurrere, & aut illi largire tanquam Christo hilariter, aut à Deo illi pete: & dic: Tu pro me pauper factus fuisti cùm esses dives, ex te enim, in te, & pro te sunt omnia.

Dum amici visitandi.

Charitatis hoc exercitium frequentandum, sobriè tamen, & curandum ut illa augeatur Sanctorum exemplo, ideoque colloquium tuum pietatem spectet, ut in uno Deo magis conjungamini. Pater Faber in hâc re uti solet oratione illâ: Visita quæsumus Domine habitationem istam, &c.

In tentatione.

1. Leva oculos ad IESVM stantem, à dexteris Dei cum Stephano, & oculo humili auxilium pete tibi diffidens, & quasi dicendo: ego coram te peccem? 2. Converte te ad Deum, uti diabolus per peccatum avertere te cupit, contrariumque fac actum, & quod in ictu oculi potes, dicendo corde, IESV, contritionem, fidem, spem, charitatem excita aut amplectendo IESVM crucifixum, & dic. Ex te enim & in te, & pro te sunt omnia. Credo tibi, & in te spero, & toto corde te diligo.

In tentatione superbiæ.

Cogita eũ qui superbit se attollere ut casu graviori ruat, & dic: Absit mihi gloriari, nisi in Cruce Domini nostri IESV Christi, ex te enim, &c.

Cogita

Cogita si verè beatus est pauper, & væ est divitibus, quid avaro est scelestius & infelicius? & dic: Dominus regit me, & nihil mihi deerit, in loco Pascuæ ibi me collocavit. *Avaritiæ.*

Cogita non satiatur oculus visu, nec auris auditu ad majora natus sum, quàm ut sensibus serviã, & dic: Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. *Luxuriæ.*

Cogita si gaudeo de bonis proximi, fruor iisdẽ ut apis & mea sunt: si gaudeo de malis ut araneus, uror illis, & mea sunt, meaque perdo bona, & dic: Hoc est præceptum tuum, ô IESV, ut diligamus invicem sicut dilexisti nos, Ex te, & in te, &c. *Invidiæ.*

Memento animæ tuæ, & deliciarum ejus, & cogita escam omnis mali semen, & dic: Siccíne Eva mea decipiet me, quando parasti, ô IESV, in conspectu meo talem mensam adversus eos, qui tribulant me. *Gulæ.*

Cogita si læsus sum ultro, cur me iterum lædam? cum meo dolore æterno, & proximi offendiculo? & dic: Audio, Domine IESV, disce à me quia mitis sum & humilis corde, & talis esse cupio gratiâ tuâ, Ex te enim, & in te, &c. *Iræ.*

Gaude quia facta est voluntas Dei, & cogita, Cur frustrà me torqueo, & malum transiens & extrinsecum facio internum, & æternum? Ex te enim, &c. *Tristitiæ.*

Cogita horam esse fortè ultimam cum IESV, & coram eo agendam, & dic: Trahe me post te, curremus in odorem unguentorum tuorum. Ex te enim, &c. *Acediæ.*

Si lapsus fueris, mox contritionem excita. Dixi, confitebor adversum me injustitiam meam Domino, & tu remisisti iniquitatem peccati mei, ex te enim, & in te, & pro te sunt omnia. Credo tibi & in te spero, & toto corde te diligo. *In lapsu. Ps 31.*

Amplectere crucifixum & crucem ut à Deo missam, & dic: sicut Domino placuit amantissimo Patri, ita factum est, sit nomen Domini benedictum, vel Pater, si possibile est, transeat à me calix iste, verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu. Ex te enim & in te, &c. *Cum adversa accidunt. Matth. 26.*

Cùm injuriæ inferuntur, amplectere crucifixum, & ora pro maledicente, ac dicito: Vivo ego jam non ego, vivit verò in me Christus. vel Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam. vel Benefacite his qui oderunt vos, & orate pro persequentibus vos, Ex te enim, & in te, & pro te sunt omnia. *Cum injuriæ inferuntur. Matth. 2.*

Vide an momentanea velis, an æterna cum Christo IESV crucifixo atque elige. Ego verò hîc delectabor in Domino, & exultabo in Deo IESV meo, in quo scilicet omnia: ex te enim & in te, & pro te sunt omnia. *Cùm jucunda accidunt.*

Cogita

Cum laudatis.

Cogita ut à mundo Christus vituperatus fuerit, & contemptus & desertus, & proinde ex amore despice illa & dic: Absit mihi gloriari nisi in cruce Domini nostri IESV Christi. Ex te enim, & in te, & pro te sunt omnia.

Psal. 118.

Cogita: Ego autem sum vermis & non homo, opprobrium hominum & abiectio plebis, & conjunge tuas injurias cum Christi passionibus, & ei offer. Bonum mihi quia humiliasti me, ut discam justificationes tuas. Ex te enim, & in te, & pro te sunt omnia.

Cum corriperis.

Cogita medicinam præberi, vel viam ostendi tibi, & à Deo fieri correptionem, & dicito: Sana me Domine, & sanabor, quoniam laus mea tu es. Ex te enim, & in te, & pro te sunt omnia.

In dolore & infirmitate.
Isa. 53.

Christum crucifixum intuere & amplectere: verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit, & dic: Ex te enim, & in te, & pro te sunt omnia.

Dum pulcra vides.

Cogita vel inferni mala, vel cæli gaudia. 2. Dei magnalia, & gratias age. Benedicite omnia opera Domini Domino, laudate & superexaltate eum in sæcula. Ex te enim, & in te, & pro te sunt omnia.

Dum quid malè fieri vides vel audis.

Mox oculos ad Deum attolle, proximoque & Deo condole, & ut servus aut filius Domino & Patri ab alio ereptum honorem, amorem, &c. redde, & corde illius exclusum, & ab eo malè acceptum, amantissimè complectere amoris actum excitando, & dic: Ego autem te diligo, & in te speravi Domine, Deus meus es, & in manibus tuis sortes meæ.

Cùm bene quid fieri vides vel audis.
Psal. 9.

Gratulare Deo ut filius Patri, & servus Domino quod semen gratiæ fructum fecerit in proximo, & gratias illi age, & opta in te centesimum referre, & dic: Lætabor; & exultabo in te, & psallam nomini tuo altissime.

Cùm speculum inspicis.
1. Cor. 7.
Sap. 7.
1. Cor. 13.

Cogita sic transit mundi gloria & ætas, in Deo autem omnia & æternum videbimus. O speculum sine macula, quando te videbo facie ad faciem? quid fui, sum, & ero? tu scis, Ex te enim, & in te, & pro te sunt omnia.

In curiositate.
Eccl. 1.
Psa. 102.

Cogita te frustrà cupere, scire, & hoc ipso optimam tui scientiam, & Dei cognitionem obscurare, & dic: Non satiatur oculus visu, neque auris auditu, sed tu Deus meus sola satietas. Ex te enim, & in te, & pro te sunt omnia.

Quoties dubium aliquod incidit.

1. Statue te coram Deo, & affectum resignationis indue. 2. Rationes utrimque expende coram Deo, & in lumine ipsius, & si vis considera quid in morte, quid in judicio, quid alteri suaderes. atque ita te resolve.

Adoro

Adoro te Sanctissima Trinitas, cum omnibus qui te ignorant & blasphemant. Credo tibi, ô veritas æterna; spero in te, & ex toto corde meo te amo, ô bonitas infinita: Ex te enim, & in te & pro te sunt omnia. Dum per templum itur.

Lustrali aquâ te asperge, & contritionem excita, & dic: Credo Domine, in te spero, & te toto corde diligo: Nos cum prole piâ benedicat Virgo Maria. *Dum cubiculo vel domo egrederis.*

Cogita gaudium quo fruêris, quando ingredieris in domum & regnum Patris tui æterni, & invenies ibi Deum expectantem te cum B. Virgine & Sanctis, & dic: Quis mihi det ut inveniam te solum & omne bonum, & nunc arbitrer omnia ut stercora; ut te lucrifaciam. *Ex te enim, &c.* *Dum redis. Cant. 8. Psal. 3.*

Cogita, te Deo petenti ut facias sic, oportere respondere: *Tu pro me, à me hoc petis, Domine* IESV, *& cùm possim, quare id nolim, cum damno meo, cum dolore tuo, gaudio hostium meorum? Ex te enim,* &c. *Mortificatio dum se offert.*

Primò intentionem renova; deinde offer, & unias actionibus aut doloribus Christi IESV, & dic: Propter te mortificamur tota die, ut vivamus in te, ô amantissime JESV. *Ex te enim,* &c. *Dum mortificationem facis.*

Primò ludus ut sal adhibendus maximè in hac valle lacrymarum, omnis is vitandus qui speciem avaritiæ habet, cor inquietat, animum nimis occupat: aliàs non est ludus seu remissio. Secundò moderatio hîc maximè adhibenda; ideò tempus præfini; & memineris datum ad agendam pœnitentiam & laborem, ac nihil turpius etiam Ethnicis visum est, quàm huic multum temporis tribuere, atque inertem vitam ducere. Tertiò, vitanda omnis scurrilitas & contentio. Quartò utilitas spectanda ut pauper IESVS partem habeat in lucro, vel animæ in purgatorio. *Ludus.*

Adhæreat lingua mea faucibus meis, si non meminero tui, IESV *in principio lætitiæ meæ* vel: *O Sapientia æterna cujus deliciæ sunt esse cum filiis hominum, ecce, ego coram te ludam, absit illudam tibi, & vulnerem te; ut oblectem me, offendam te, & injuriam inferam pro donis tuis & obliviscar tui in membris tuis, & animarum, sed ad gloriam tuam, animum Christianè remittam, ut alacriùs tibi serviam. Ex te enim, & in te, & pro te sunt omnia* Oratio.

Pridie omnia dispone, ut manè primum Sacrum devotè quod ultimũ fortè erit audire, & à Christo Domino benedictionem accipere possis. In itinere, primò Itinerarium, & Litanias, & Psalmum, *Benedicite omnia opera*, &c. lege: deinde meditationem institue, aut piam aliquam suscipe cogitationem, tum colloquium pium; post hoc rosarium; neque examen particulare *Itinerarium.*

culare, aut generale omittendum. In fine itineris, recita. *Te Deum laudamus*, &c. & invoca Angelos loci, ad quem perventurus es, & si occasio, templum ingressus, vener. Sacramentum saluta.

In termino viæ sic ora.

Adoro te Sanctissima Trinitas ubique æquè præsentem, æquè providum patrem, & credo tibi, & in te summè confido, & diligo te ex toto corde meo. Ignosce peccata mea, & da ut ut in hoc loco eâ humilitate, prudentiâ ac charita e conversér, ut nemi nem absentem aut præsentem lædam, sed bonus Christi od r in eo sim & sanctificem nomen tuum. Quando introibo in domum tuam, & amodo dicetur ut requiescam à laboribus meis?

De celebrãdo die quo statum quis in Ecclesia suscepit.

Ethnici & Christiani diem natalem celebrare soliti, tu ob baptismi gratiam imitare, & si Religiosus, Sanctorum exemplo, solemnem habe diem quo egressus de terrâ Ægypti, item sacerdotii. Qui matrimonio juncti & alii, suum diem solemnem habeant. Die ergo tali considera defectus circa statum admissos, & humiliter confitere, & deinde communica, aliorum preces ac sacrificia postula; gratias Deo pro beneficiis age, hoc nomine eleëmosynam elargire saltem spiritualem exemplo senis illius qui natali suo, quo in religione renatus erat nihil petentibus negabat, &c.

Recollectio

Recollectio menstrua coram Deo & Christo Iesu & Sanctis facienda, velut ultima foret, idq; ultimo die mensis.

CONSIDERA 1. quem mense superiore profectum facere debueris tanto amore Dei & beneficiis N. præventus. & feceris, temporis, & mediorum habitâ ratione, & quid ex iis supersit, ac 1. vide uti te gesseris circa Deum, quomodo eum deberes semper habere & revereri præsentem, & an nunc habeas magis in hâc & illâ occasione, recreatione, & omni conversatione & subitâ occupatione. Contritionem excita & propone emendationem. Vide 2. ut te habeas in sacro, in orationibus, & piis exercitiis devotionis. An nunc melius. 3. Quomodo in profectus desidetio & fervore, in resignatione & maximè patientiâ profeceris amore ejus qui immittit adversa æquanimiter ferendo. O IESV, &c. ut infrà pag. 1062. *Vide ut te geris circa Deum.*

Considera 2. Quomodo circa Superiores te habeas, an iis præstes quæ debes, primò amorem & honorem. 2. promptam in iis Deum videndo, sine repugnantiâ, excusationibus, obedientiam. 3. Resignationem ad omnia, & an ea sis comparatione animi ut baculus velis esse, ut nihil velis, nisi quod illi, utpote Vicarii Dei. O IESV, ut inf. pag. 1062. *2. Circa Superiores.*

Considera 3. circa proximum quomodo verseris, & maximè pauperem & defectuosum, & tibi adversantem N. an eum diligas sincero & dulci corde, exteriùs vultu & signo id demonstrando: & an amicabiliter omnes alloquaris, consoleris, & eis compatiaris, & opera charitatis, quæ potes, ut Christo IESV etiam ultro offeras, & colloquio pio proximum promoveas. 3. an bene de iis ubique, nunquam malè loquaris ut aranea, sed apud alios excusando, & bona illorum laudes, & imiteris mellificas apes. *3. Circa proximum.*

4. *Circa subditos.*

4. Quomodo te habeas circa familiam, subditos, 1. in spiritualibus eis providendo, & animo ægros curando. (Eorum catalogum, si ita res postulet, habe ante te, nam de iis redditurus es rationem, etiam singulis) 2. curare etiam debes temporalia, eisque prospicere, maximè ægris. 3. Impedimenta salutis removere, ut sunt occasio, socii, libri, imagines non probæ, maximè tamen otium, tempusque iis distribuere.

5. *Circa teipsum*

5. Inspice teipsum, & 1. an institutum tuum & regulas serves, deinde an ædifices alios in exterioribus, modesto vultu, verbis, vestitu, conversatione. An in eâ sis humilis, amabilis, & talis uti esse debes coram Deo, ut scilicet, ejus gloriam spectare & ubique procurare queas. 2. vide quomodo in interioribus passionibus, tentationibus & nominatim in examine particulari profeceris, & maximè in ordinatâ & habituatâ vitâ, & constantiâ & humilitate syncerâ. 3. in corporis curâ quâ utaris temperantiâ in victu & vestitu, habitatione & ornatu, ludo, studio, seu exercitio, & rerum seu bonorum quibus uteris, habitâ ratione status tui, id est hominis peregrini super terram. Annota proposita.

EXERCITIVM.

Anni decẽ faciunt mẽses 120. septimanas 520. dies 3652. horas 87640.

O JESV, *Creator & Redemptor & finis meus, tibi credo, & in te spero, & toto corde te diligo, & vehementer doleo ex amore tui quod offenderim te. Ecce tot anni lapsi sunt N. ætatis meæ, & tot menses N. tot dies N. tot horæ N. Quot supersunt anni, menses, dies, horæ? Tu scis. quid ex præteritis jam superest, aut hinc auferrem. si jam vocarer ut illi, noti mei N. Vides certè temporis & gratiarum omnium stricta reddenda ratio erit, & quomodo potero vel unius horæ? Hujus verò temporis vel horamunam si sanctus aut damnatus vel purgandus haberet, quomodo eâ uteretur? Video ut Sancti in brevi explêrint tempora multa, & in felici æternitate jam non meminerint pressuræ.*

Dam-

Damnatorum bona & vita transierunt velut umbra & in æternitate dirè illi cruciantur. Vtrum jam deinceps eligam? utrum alteri suadeam? novine finem creationis meæ? an nunc propior illi sum? nónne uti vivo, sic certò moriar? & verò sic ut vivo vixisse me optarem? Ecce sic per gratiam tuam, sic ex amore tui & tot beneficiis, ex his N. nominatim præventus ambulabo coram te, & potiùs millies moriar quàm te vel venialiter offendam, quàm non diligam te.

Ecce te in Superioribus, sic audiam N. sic proximũ N. tuâ gratiâ diligam & illi præstabo quod tibi. Ecce, Domine mi, gratiâ tuâ curiositatem & superbiam, passiones amoris, odii, & timoris, iræ & tristitiæ refrænabo &c. Neque ultra serviam illis, Sed sic tuâ gratiâ eas moderabor N. & modestiâ ac patientiâ omnibus præire conabor, & maximè charitate, quia sum discipulus tuus bone JESV, *& filius tuus idq; verbo, opere & veritate; sic autem actiones meas dirigam, sic adversa tolerabo. Doleo vehementer de omnibus defectibus ex amore tui, & vota N. ac desideria N. mea renovo. Credo tibi, & in te spero, & toto corde te diligo. Amen.*

Adde hæc in fine totius Recollectionis. 2. Cor. 12. Ioan. 13. 1. Joan. 3.

Singulis hebdomadis habes caput de sui renovatione lib. 3. cap. 5.

Quid singulis hebdomadis.

Singulis diebus mane semitam viæ, lib. 1. c. 13. p. 149.

Quid singulis diebus.

CAPVT XXI.

De statu Matrimonii.

Quæ cap. superiore habes omnibus ad vitam piè instituendam sunt accommodata. Ne verò quid desideres in hoc genere, ecce tibi propria exercitia cuique statui. His *Documenta aliqua singularia* subnecto, & his de vitâ æternâ, ad quam ut nos perducat clementissimus JESVS, eum humillimè rogo.

Meditatio de statu Matrimonij.

PRÆLVDIVM I. Constitue te coram Domino, & deinde roga, ut largiatur gratiam ad ritè obeundum munus tuum.

PVNCTVM I. Considera primò servum Dei, paratum esse debere quovis in munere ei servire, neque munus, neque statũ eligere nisi ex ejus sanctissimâ voluntate. Novit ipse qui varia membra in corpore nostro creavit, varios status in Ecclesiâ ordinavit, quid nobis utilius, quid suæ gloriæ magìs accommodatum. Id unum cura, & vocatione tuâ contentus vivas. 2. Matrimonium à Deo institutum ad propagationem generis humani, ut plures animæ æternum Deo servirent, & remedium esset incontinentiæ: hunc finem Deique voluntatem ac honorem semper ob oculos habe, & disce quàm sit noxium alio Matrimonium inire exemplo, quàm Saræ, cujus septem maritos dæmon interfecerat, eo quòd (ut Angelus) ut suæ libidini vacarent sicut equus & mulus matrimonium inierant. 3. Considera id quod dicit sapiens, pars, & sors bona, mulier bona, in parte timentium Deum, dabitur viro pro factis bonis; & vide primò quomodo oporteat te quam ille destinavit amare, & considera quòd sicut Adamo dormienti Evam dedit, ita tibi eam donatam attende, & gratias pro ea age. 4. Considera quomodo Raphaël Archangelus Tobiæ vxorem quæsierit, & dæmonem alligârit, & considera illud esse officium Angeli custodis tui, & roga eum qui conjugis est vel erit, ut dirigere & suscipere quæ tibi & conjugi salutaria dignetur. 5. Considera homines alios multâ cum pietate ac parentum consilio uti. Isaac, ac precibus nuptias inire, alios per multa illicita: & hos facere perindè ac si quærant viam, per devia, remedium per vulnera, benedictionem per maledictionem, priùs dæmoni se tradant ut Deo in matrimonio serviant. Si autem ita egeris, cogita quid sit remedii, quidve alteri suaderes, nempè eo studiosiùs in conjugio dare pietati operam &c. tu ergo expia animum confessione, intentionem matrimonii seriò coram Deo sæpè renova; peccata eleëmosynis ac piis operibus

Varii status sunt.

Tob. 3. & 6.

Eccli. 26.

Gen. 2.

Tob. 8.

Angelus custos sedulo colendus.

Cui similis qui malè nuptias ivit.

Quid remedii.

operibus redime, nè si impiè cœptum & sine Deo, valdè fiat amarum matrimonium & careat benedictione. 6. Quæ signa Deum te ad matrimonium vocasse habueris aliquando expende, ex parte corporis, & ex parte animæ: quas inspirationes post sacram communionem & orationem, & gratias age Deo, & in tuo statu lætus vive cùm voluntas sit Dei, fiduciamque omnem in eo colloca.

Hæccine vera, ut suprà pag. 7.

PVNCTVM II. Considera Primò Sacramentum ut Apostolus ait, Magnum esse matrimonium, & significare conjunctionē Christi & Ecclesiæ, Dei & animæ, naturæ divinæ & humanæ; ac vide quomodò thorum possis servare immaculatum & fidem conjugii, sic ut Christus Ecclesiæ suæ. Secundò. Adverte Sacramentum hoc conferre gratiam si suscipiatur à justo, ut conjuges onera matrimonii ferre possint, eoque maiorem quo majori accedunt ad illud pietate: itaque spem certam in Domino habe quidquid eveniat. 3. à Deo in paradiso institutum, à Christo in B. Virgine & Iosepho primùm, deinde in nuptiis Canæ Galileæ primo miraculo honoratum; & vide quomodo tu etiam honores statum tuum castè & sanctè exemplo Beatæ Virginis vivere debeas, ut aquam tribulationis in vinum consolationis Christus IESVS convertat. Quartò, multa salutis impedimenta per matrimonium tolli & solatia humanæ vitæ haberi si ritè ineatur & in eo vivatur, & gratias Deo age quòd tam suaviter fragilitati nostræ succurrat. Quintò, Considera tanto ac tam sancto amore Conjuges conjungi oportere ut Apostolus dicat, Viri diligite vxores vestras, sicut Christus dilexit Ecclesiam, & tradidit semetipsum pro eâ & addit: viri debent diligere uxores suas, ut corpora sua, adeò ut propter eas homo patrem & matrem deserere debeat eique adhærere; ac quàm turpe foret dissidere ac contendere instar canum, & vinculum tam arctæ

Hebr. 5.

Hebr. 12.

Sacramenti matrimonij gratia.

Matrimonii bona.

Coloss. 3.

Charitas in matrimonio necessaria.

arctæ societatis disrumpere, atque ita hîc infernum, propter summam amaritudinem quodammodo experiri. *Aspira*, ut sup. pag. 8. *Hæccine firmâ.*

PVNCTVM III. Considera similiter matrimonii incommoda: Primò vinculum esse indissolubile quo invicem alligantur conjuges, & omnium bonorum ac malorum ineunt societatem arctissimam, ideóque ut sedulò videndum quocum ineatur, ita ubi initum, alter alterius onera portare debet, & sic adimplere legem Christi. secundò, Attende oportere ut in bono invicem placeant. Vir enim ait Apostolus, sollicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori, & vicissim uxor quomodo placeat viro: quantoperè autem cavendum ne amor nimius eos perdat, disce ex Adamo quem Evæ amor, Sampsone quem Dalilæ, & Salomone quem alienigenæ uxores ad idololatriam perduxerunt. Considera Tertiò, quòd neuter Conjugum corporis sui potestatem habeat, ut Apostolus loquitur, sed in mutuam conjuges, ut Chrysostom. transire servitutem, & hanc Dei voluntate, susceptam patienter tolera. Considera Quartò, & diligentissimè, improbi conjugis non tantùm morbos corporis, sed etiam animi in alium transire, & alium improbum ferè certò alterum perdere, atque inde patet quantò diligentiùs ad formam animæ quàm corporis attendere oporteat, & vitate vitiosam ne te contagione inficiat; quòd si talem sis nactus, omni charitate juvandam esse & tibi cavendum. Et verò vellésne cum leproso, reo infamis supplicii, exhæredato contrahere? non existimo. ita etiam vita & multo magis, eam quæ improba est. Commorari ait Sapiens Leoni, & Draconi placebit magìs, quàm habitare cum muliere nequam; qui tenet eam quasi qui apprehendit Scorpionem: de viro improbo verò ait, sicut Leo in domo evertit domesticos suos, &c. Verùm enim verò cùm sint cogitationes mortalium timidæ, & incertæ provi-

Incõmoda matrimonii

1. Cor. 7.

Eccli. 25.

Eccli. 4.

providentiæ nostræ, roga humiliter Dominum ut vias tuas dirigat in beneplacito suo, & in statu ad quem vocavit, gratiam necessariam largiatur.

Oratio pro Conjuge.

O Domine Deus meus cujus providentiâ cuncta gubernantur, tu me elegisti ut in matrimonio seruiam tibi, paratum cor meum est ut faciam voluntatem tuam, in quâ libens acquiesco, propter quam relinquo patrem & matrem, & adhæreo propter te conjugi meæ; verumtamen ad te faciem meam converto, ad te oculos meos dirigo, ut fiat honorabile Tob. 3. *conjugium & thorus noster immaculatus: scio enim, quia non est concupiscenda conjux nisi propter voluntatem tuam, & cum timore tuo, non cum libidine debeat ea suscipi. Adjuva ergo nos, & fac nos unum tecum, ut amemus te & serviamus tibi humero uno, & ambulemus sine querela. Equidem paratus sum odisse patrem & matrem, & conjugem & filios, & omnia potiùs quàm te vel veniali offendere: paratus sum mori potiùs, quàm ut exemplo, vel incuriâ meâ à te mei recedant, qui es vita nostra. Fieri enim potest ut æternæ salutis hæredes per me sint liberi & domestici, aut æternæ morti obnoxii; Si quidem adolescens juxta viam suam, etiam cùm senuerit non recedet ab eâ. Adjuva me* Prov. 22. *igitur salus nostra, & converte obsecro tribulationem carnis in spiritus consolationem, ut benedicamus nomini tuo, & benedicant tibi domestici nostri: fac ut ij timeant te & invicem omnes* Psal. 75. *amemus. Etenim in pace factus est locus tuus, ô Princeps pacis,* Psal. 100. *neque habitabit certè in medio domus meæ, qui facit superbiam ut nolit obedire mandatis tuis; illi imprimis quod dignatus es toties commendare, dicens: Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem sicut dilexi vos.* Ioan. 15. *Suscipe hoc obsecro desiderium meum, & concede ut neminem verbo aut exemplo à te avertam; sed omni studio in bono præeam; qui enim domestico rum suorum curam non habet, infideli est deterior; quid ergo si exemplo, si verbo ad mortem dicat; invitet ut te con-*

temnant, te spernant, & eheu bone JESV *per peccatum crucifigant! video crudelius nihil esse quàm sic suis propinare mortis æternæ poculum; quàm sic aperire hosti portam, sic templa tua inimicis, dæmoni, mundo, & carni tradere prophananda, & te repellere. nolle aut vereri admonere ne pereant; sed sollicitè quærere opes, & luxum indulgere. Averte obsecro hoc à me, & fac Pater mi, ut toto corde te diligamus, & serviamus tibi, & primò quæramus regnum tuum, mendicitatem verò & divitias ne dederis nobis, tribue tantùm victui nostro necessaria: quòd si tamen & ea negare placuerit, scio filii tui sumus Pater misericordiarum & Deus totius consolationis, tu nosti quid expediat nosq; anxios esse vetas, & omnem sollicitudinem in te proiicere, idq; securè facio, & offero tibi animam meam, & corpus, & vitam meam, Conjugem & liberos meos; tua sunt omnia, & tibi uni ea servo, tibi vivo, non mihi, cui me dedico, & opera omnia mea & meorum ut æternùm te laudent & glorificent in sæcula sæculorum. Amen.*

Prou. 30.

Praxis seu Regula pro Conjuge.

1. POSTQVAM quis ad Dei gloriam, quòd ita eum velle existimet, præmissa generali, si ita videtur, confessione, & magnâ consideratione, multaque cum oratione sanctèque matrimonium iniit, uti Tobiam Angelus docuit, immò etiam concubitum differre (quod mirum non est, cùm etiam multi conjuges castitatem coluerint) tum sciat se pariter iniisse omnium bonorum, simul & malorum societatem.

In familiam non nisi boni admittendi.

Et primò efficiat ut familia sit Deo accepta, improbosque excludat, & caveat quantum potest ne Deus in eâ offendatur; tempus & opera ita distribuat ut nemo otiosus sit.

Coloss. 3.

Secundò, Quotidie omne quodcumque faciet in verbo, aut opere omnia in nomine Domini JESV Christi facere statuat & curet, ut sacrum quotidie domestici, si fieri ullo modo potest, audiant; vesperi conscientiam examinent, mensibus singulis ut minimùm confiteantur, ac communicent, neque aliâ lege admittantur aut retineantur.

Tertiò,

Tertiò, Spectacula turpia vehementer evitare suos doceat, sed magis libros impuros omnes & picturas eliminet, hasque & illos pios procuret, ut omnibus obvii sint, & si ita res fert, aliquid legi in commune poterit stato ac commodo tempore, ut B. Ellearius facere consueverat. Hujus & piorum Conjugum vitam legat & imitandam proponat. *Libri pii ubique obvii sint.*

Quartò, Caput uxoris est vir, neque decet mulierem dominari in virum: hic tamen sciat vir eam ut sociam habendam, & honorem ut infirmiori vasculo juxta Apostolum impendat. Instruere etiam uxorem debet, nam ut Apostolus, si mulieres aliquid discere voluerint, domi viros suos interrogent. *Ephes. 5.* *Heb. 3.*

Quintò, cavenda imprimis contentio, & rixa, suspiciones, & in uxore verbositas ac protervia: his enim matrimonii jugum fit intolerabile. Invicem studeant placere conjuges in bono, & bona communicent, nullaque de causa alienatio suscipiatur à conjuge, aut propinquis ejus.

Sextò. Habitus sit moderatus juxta illud Apostoli, mulieres in habitû ornato cum verecundiâ & sobrietate, quod idem valet in vitis; sed illæ facilè stolidè æmulantur pares, & importunè ornatum quærunt corporis; quod ipsum modestia & virtus animi longè magis exornant. *1. Tim. 2.* *Habitus sit modestus.*

Septimò, Proles nata Domino statim magno affectu offerenda, & in templo quamprimùm fieri potest, deinde quotidie, ut ipse de eâ disponat ad majorem suam gloriam, sive præmaturâ eam morte vocare, sive ad religionem placuerit; ingratus est Deo & hominibus, qui sic dona accipit, eorum ut usum donatori neget, ad momentum vitæ cùm fœnore æternum recepturus; Liberi verò instituendi sedulò statim à primâ ætate exemplo potissimùm pietatis, modestiæ, gravitatis, temperantiæ & mansuetudinis: pueri siquidem parentum indolem referunt, & mores ut speculum exprimunt: assuefaciendi item piis exercitiis, memoriaque inscribenda sanctis narrationibus, & principiis seu sententiis ad piè vitam instituendam accommodatis & audiendum sapientis monitum: ne des filio potestatem in juvẽtute suâ, sed curva cervicem illius; nam filius qui relinquitur voluntati suæ, confundet matrem suam. Bona ita curet ut tamen præcipuam fiduciam in Deo ponat, cum eoque in pauperibus ea dividat liberaliter ut etiam in hac vitâ centuplum accipiat, quod veritas promisit. *Puerorum educatio curanda.* *Eccli. 7. & 30.* *Prov. 29.*

Octavò, Mulier in minoribus familiam gubernet, & se irreprehensibilem exhibeat modestâ ac piâ conversatione; nam

nam quæ vana & vaga & curiosa oculis affectum & indolem indicat, & invitat ad crimen vel saltem aliis invitare videtur: Casta & pudica ut illa alium à marito vix novit, vixque ulli nota est, & juxta Sapientis monitum reddit viro bonum & non malum omnibus diebus vitæ suæ, quærit ultrò lanam & linum, & otium fugit, & manum inopi libenter aperit.

Prov. 31.

Nonò, Mensibus singulis rationem accepti & expensi ineas, & in illis quod pauperibus datum lucro adscribat. Quotannis die anniversario nuptiarum tria faciat. 1. Confiteatur & communicet si fieri potest cum totâ familiâ 2. seriò cogitet deliberetque cum conjuge de meliùs eâ administrandâ. 3. omnia sua Deo offerat in sacrificio Missæ ad hoc procurato, & eleëmosynis distributis. Sic Iob pro familiâ sacrificium offerre consueverat, & eam expiare.

JACVLATORIÆ.

Psalm. 7. *Domine Deus in te speravi, salvum me fac ex omnibus persequentibus me, & libera me.*

Psal. 54. *Iacta super Dominum curam tuam, & ipse te enutriet, & non dabit in æternum fluctuationem justo.*

CAPVT

CAPVT XXII.

Meditatio de statu Viduitatis.

PRÆLVDIVM I. Considera te coram Domino stare, atque ab eo velut invitari ad statum perfectiorem.

PRÆLVDIVM II. Roga ut eum vocantem audire possis, & dignè vocatione tuâ vivere.

PVNCTVM I. Considera primò, cùm unusquisque debeat eligere statum ex voluntate Dei, nihil optatius quàm manifestè eam cognoscere, uti obtingit in viduitate. *Deus ad viduitatis statum trahit: Luc.19.*

Cõsidera secundò, hæc verba: Si quis venit ad me, & non odit patrem suum & matrem, & vxorem, & filios, & fratres, & sorõres, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus; & cogita Deum jam probare fidelitatem tuam, an eum plus omnibus his diligas. Memor itaque esto judicii conjugis, sic enim erit & tuum; forsitan hodie ei jungeris, quid tum fecisse velles?

Considera tertiò, quæ signa habeas præterea vocationis hujus, sunt ea sæpè sterilitas, defectus comparis, quies in statu, & desiderium perfectionis, & attende ad illa Apostoli verba; quæ viro & mulieri applicari queunt: quæ sub viro mulier est, vivente viro alligata est legi, si autem mortuus fuerit vir ejus, soluta est à lege viri, cui vult nubat; beatior autem erit si sic permanserit secundùm meum consilium; puto autem quòd & ego spiritum Dei habeam. *Eccli 36. Signa huius status.* *1.Cor.7.*

Quid tu verò censes? Id verò de ætate provectioribus maximè accipiendum est, aliis ait idem melius est nubere quàm uri. *Hæccine vera*, ut sup. pag. 7. *1.Cor 7. 1.Timoth.5.*

PVNCTVM II. Considera primò, cur beatior sit viduitatis status? nempe quia qui in illo sunt, sicut virgines soluti à conjugii servitute, & liberè Deo servire

servire possunt, atque ita ut illæ centesimum, sexagesimum hi referunt. O anima quærens Dominum attende in hoc statu te jam quasi mundi solutam legibus; non est enim cui placere studeas, cui te preciosè ornes; ad convivia, spectacula non accedis in gratiam conjugis. Gaude quisquis es igitur ut Annia Romana, quia jam neque conjugem bonum optas ut illi plus quàm tibi timeas, neque malum quæris ut perpetuò gemas. Denique cùm affectus in plures divisus fuerit, jam licet tibi in unum Deum colligere, eumque toto corde amare: quid utilius? ô quanta felicitas! quanta viduitatis dignitas! quam & Ethnici suspexerunt & laudârunt.

Considera 2. quòd Dominus præcipuè viduarum (idem de viris) & pupillorum curam suscipiat, his tutorem se præbeat & patronum; neque dicere potest is qui iterum nubit se filiis subsidium quærere, cùm hoc pacto affectum dividat, discordiæ semen jaciat; alios quærendo hæredes. Si liberos quidem non habet, quis sterilitatem & orbitatem securam fecit?

Ambros. de viduis.

Judith. 14.

Considera tertiò, Exemplum Judith quæ electa ob vidualem castitatem ut liberaret populum, eò quòd ait Scriptura castitatem amaveris, & post virum tuum alterum nescieris. ideò manus Domini confortavit te, & ideò eris benedicta in æternum, ait Spiritus sanctus: idem exemplum tibi vir aptare poteris quisquis es.

Exemplar in hoc statu B. Virgo.

Considera quartò viduarum & viduorum omnium & virginum exemplar Beatam Virginem Mariam: & vide quomodo in viduitate permanserit, summâ cùm sanctimoniâ vixerit, cogita ut sensus suos servârit, opus fecerit, tempus distribuerit, omnes ad pietatem opportunè impulerit exemplo & sanctâ conversatione.

PVNCTVM III. Considera primò, quo pacto, qui in viduitate est, vitam juxta Apostolum instituere debeat,

beat. primò amorem omnem universum convertere in Deum, familiam gubernare, irreprehensibilem esse, modestum; tempus quod impendere solet ut conjugi placeret, impendere Christo, gaudia mundi evitare; nam quæ in deliciis vivit, vivens mortua est.

Considera secundò, Annæ viduæ elogium attende, non descendebat ait Euangelista de templo, jejuniis & orationibus serviens Deo, die ac nocte. *1. Tim. 5. Lucæ 2. Iudith. 3.*

Considera tertiò Judithæ mores, jejunabat omnibus diebus vitæ suæ præter Sabbatha, & Neomeniam, & festa domus Israël, & cilicio induebatur, & fecerat sibi in supremo domus secretum cubiculum, in quo cum puellis clausa morabatur. *Quales mores in hoc statu requirantur.*

Considera quartò verba Apostoli etiam viris utilia, quæ autem verè vidua est, & desolata, speret in Deum, & instet orationibus & obsecrationibus nocte & die: prohibet autem otiosas esse, circuire domos, verbosas esse. sanè otium maximè vitandum, & consortium periculosum, atque auaritiæ cænum. absit ait Augustinus de bono viduit. à viduis ut cupiditate capiantur diuitiarum pro cupidine nuptiarum; sæpè namque experti sumus in quibusdam fœminis repressa lascivia, auaritiam excrevisse. *1. Tim. 5. Ibid.*

EXERCITIVM.

DOMINE qui Rex noster es, & Pater misericordiarum, adjuva me solitarium, cujus præter te nullus est auxiliator alius, respice me de excelso solio gloriæ tuæ: ad te enim levavi oculos meos, tu spes mea unica & præsidium meum, neque enim est quod respiciam ad adjutorium hominum; maledictus enim à te est homo qui confidit in homine, & ecce vocasti coniugem meam, ut toto jam corde convertar ad te. justus es Domine & rectum judicium tuum, tua enim erat & gratias tibi magnas debeo quòd aliquamdiu etiam meam

meam esse volueris; numeraveras dies ejus qui præteriri non po-
1 Reg. 1. *terant, sed & meos scio, dinumerasti, ideoq; & ego exspecto do-*
nec veniat immutatio mea, & recorderis mei; expectans exspe-
Iudith. 14. *ctabo te Domine, & in tempore tribulationis scio, quia non de-*
Esther 14. *seres me. Ostende te obsecro in tempore tribulationis meæ, & li-*
bera me in manu tuâ & adjuva me, nullum aliud auxilium ha-
bentem nisi te Domine qui habes omnem scientiam. Tu scis ne-
cessitatem meam & propositum meum, quo desidero in hoc statu
adhærere tibi toto corde; beatum enim me fore dixisti si sic per-
manserim, ut solùm cogitem quomodo placeã tibi, ut sim sanctus
corpore & spiritu; concede obsecro ut solitudo mea consortio tuo
Lucæ 2. *dulcescat; da mihi ne videri ab hominibu, amarivelim, aut illorũ*
consortia tædio victus requiram, sed ut oblectet me cum Annâ
orationibus & obsecrationibus instare, familiam sanctè guber-
nare, in secreto cum Iudith tibi vivere, & te amare toto corde,
ut non sit qui de me loquatur verbum malum. Semper igitur a-
liquid boni operis faciam, & providebo te in conspectu meo sem-
per, ut totum occupes cor meum, aperiam manum meam inopi,
& frangam esurienti panem meum, & cor meum fiduciam ha-
bebit in te: tibi enim derelictus est pauper, & orphano tu eris ad-
Psalm. 9. *jutor; & beatos pronuntiasti misericordes, quoniam ipsi miseri-*
Matth. 5. *cordiam consequentur. Ostende eam mihi, & exaudi orationem*
Dan. 9. *servi tui, qui non in justificationibus suis prosternit preces ante*
faciem tuam, sed in miserationibus tuis multis; attende & fac ne
moreris propter temetipsum Deus meus, & unica fiducia mea.
Amen.

Praxis seu regula pro Viduo.

1 DE liberatione præmissa, ac generali, si ita videtur, confessione statum, si Domino ita visum, hunc elige, & crebrò finem cur ad viduitatis statum vocatus sis à Domino diligenter considera, nempe ut conjugis servitute liberatus, liberè ei servias, & toto corde, & omnem sollicitudinem projicias in eum.

Delicia vitanda. 2 Penitentiam discretè ama, convivia & delicias quoad
1. *Tim.* 5. potes devita; cùm Apostolus dicat: nam quæ in deliciis vivit vidua, vivens mortua est.

3. Suade

Tertia, Suadet Apostolus viduitatem, & beatiores dicit si sic permanserint. Vide igitur an non expediat tibi initio saltem ad tempus castitatem, v.g. vovere confessarii viri pii & prudentis consilio faciliùs concupiscentia refrænatur, quæ nullâ expectatione succenditur ut Augustinus ait.

Quarta, quotannis die aliquo solenni, aut in anniversario mortis conjugis tuæ, plurimo affectu, præmissa confessione, & communione atque eleemosynis propositum viduitatis renova.

Quinta, Vide ante omnia ut diligenter tempus distribuas, semper aliquid boni operis facito, ut Hieron. loquitur, ut diabolus te inveniat occupatam, & si dives sis, opere tuo pauperes subleva Sanctorum exemplo. Lectionem quotidie piam manè assume, & sine intermissione ora, atque ita opera tua devotione irriga, ut in domino possis delectari. *Otium vitandum.*

Sexta, Sæpè confitere, & communica, & in omnibus dubiis atque molestiis ad V. Sacramentum accede, & a Domino consilium & auxilium expecta.

Septima, Esto erga pauperes liberalis, & si aliud non potes duo minuta cum viduâ Euangelicâ Domino tribue, & de modicâ farinâ & oleo, cum Sareptana vidua, primum fac Heliæ panem parvulum, & consequeris benedictionem à Domino, neque hydria farinæ deficiet, nec lecythus olei minuetur. Neminem si potes mæstum à te dimitte. *Luc. 21. 3. Reg. 17.*

Octava, Si liberos habeas, educa in timore Domini; & quotidie illi offer; atque Angelo tuo custodi, ut ipse eos dirigat, illis sese patrem exhibere dignetur. Tuum vero esse scias vigili oculo, peccati occasionem omnem avertere; potiusque cum Reginâ Blancâ B. Ludovici matre, opta eos omnes tibi morte eripi, quàm te genuisse, aut educare quibus Deus offendatur, & Christus Iesus rursus crucifigatur. Cave te contemni permittas, aut indulgentiâ liberos corrumpi: sed authoritatem serva, & exemplo ac verbo ad virtutem adhortare.

JACVLATORIÆ.

Sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ, ita oculi mei ad te Domine Deus noster. Psalm. 122.

Tuus sum ego, salvum me fac, quoniam justificationes tuas exquisivi. Psalm. 118.

Factus est Dominus refugium pauperi, adjutor in opportunitatibus, in tribulatione. Psalm 9.

CAPVT XXIII.

Meditatio de statu cœlibatus.

PRÆLVDIVM I. Contemplare, ô anima, in cælo Virgines sequentes Agnum IESVM quocumque ierit.

PRÆLVDIVM II. Ora Deum ut te dignetur, si est pro ejus majori gloria, ad hunc statum vocare, aut si in eo es, conservare.

Quis status & qua causa eligendus.

PVNCTVM I. Considera Primò omnem vitæ statum ordinari, atque eligi debere velut viam cuique commodiorem ad vitam æternam. Illum autem procul dubio talem esse, qui adjumenta plura, pauciora habeat impedimenta. Secundò, quam commoditatem præbeat Deo serviendi status cœlibatus maximè Virginitatis, & reperies primò retribuere libertatem. Nam qui matrimonio juncti sunt, sui corporis potestatem non habent, sed alterius alter. Sunt enim ut Apostolus ait, colligati, ut habitatione, mensâ, toro; sic & mutuo mancupio & nexu, uti duo mancupia eidem catenæ alligata. neque enim ut Chrysostomus ait: ulla mancipia in cujusquam dominatu sunt, ut vir & uxor. Cœlebs autem & virgo mente & corpore, liberi Deo servire arbitratu suo possunt.

Servitus matrimonij.

Cœlibatus facit nos aptos ad orationem.

Secundò. Tribuit facultatem sine impedimento orandi, & Deo placendi. Nam mulier innupta, & virgo cogitat solùm ea quæ Domini sunt, ut sit sancta corpore & spiritu; quæ nupta cogitat quomodo placeat viro, & divisa est. Nam amor in maritos, vel uxores, & liberos, & voluptas etiamsi licita, mentem nihilominus occupat, distrahit, deprimit, enervat, sicut omnis iracundia mentem seu justa, sive injusta excæcat.

Tribulatio carnis in conjugio.

Tertiò, Liberat à tribulatione carnis, quam conjugari habent juxta Apostolum; multis item curis, & malis quorum societatem init uterque conjux; uti sunt:

Pau-

Paupertas, sterilitas, zelotypia, dissensiones, liberorum educatio, eorum rebellio, mores improbi, mors sæpè infamis, discordiæ, quæ effugere cum toro, domo, mēsæ conjuncta sint, neutri licet. Accedit morbos animi, & corporis communes ferè conjugibus esse, qui sæpè alterum ab ipsis nuptiis invadant, & utrumque perpetuò miserum faciant, neq; hoc tantùm, sed quotannis uxor & cum eâ ob amorem maritus, ferè mortis certū periculum adire debet, si fructum matrimonii capere, id est, prolem edere cupiat. *Aspira*, ut sup. pag. 8. *Hæccine firmâ fide*, &c.

PVNCTVM II. Considera statum Virginitatis valdè sublimem, imò Angelicum à Christo Domino vocari. sic enim ait: qui non nubent, neque nubentur, erunt sicut Angeli Dei, ideoque hos libenter cum virginibus versari, quemadmodum in fornace Babylonis tribus pueris se junxit Angelus: unde Ecclesiasticus: Omnis ponderatio non est digna continentis animæ. usque adeò, ut etiam in Ethnicis valdè fuerit venerabilis, & in Vestalibus, & Sibyllis dono prophetiæ admirabilis. *Hæccine vera*, *&c.* ut sup. pag. 7.

Virginitatis status sublimis.

Angelus in fornace castus adest.

Considera secundò, per continentiam animam fieri Deo castam sponsam. O quanta dignitas! despondi, ait Apostolus, vos uni viro virginem exhibere Christo. Tertiò, sequi in cælo Agnum quocumque ierit, adeò ut nemo possit dicere Canticum nisi virgines electæ à Domino. Quartò, per statum hunc hominem similem esse Christo Domino, qui illum cùm esset æterna Sapientia, tum sibi, tum B. Virgini matri, tum Apostolis, tum omnibus specialiter dilectis, ut S. Joanni elegit velut nobilissimum, in quo semen gratiæ fructum centesimum proferret. Quintò, neque elegit solùm, sed per se consilium dedit, dicens: qui potest capere capiat, & per Apostolum, De Virginibus præceptum Domini nō habeo: consilium autem do tanquam misericordiam consecutus à Domino: Existimo autem hoc bonum

Christus hunc elegit sibi ex dilectis suis.

esse: & rursum qui matrimonio jungit virginem suam benefacit; sed qui non jungit melius facit. Beatior autem erit si sic permanserit secundùm meum consiliũ. Puto autem quod & ego spiritum Dei habeam. Sed attende in Euangelio quinque Virgines fatuas, & quinque prudentes dici, & vide obsecro, ut inter has verâ charitate, & humilitate numereris.

1 Cor. 7.

Cur sit Cõsilij.

Hæccine vera, &c. ut sup. pag. 7. *Confitebor*, &c. ut infrà pag. 1081.

PVNCTVM III. Considera summam in hoc statu jucunditatem. Primò, quia promisit Dominus quod omnis qui reliquerit Patrem, aut matrem, aut uxorem, aut liberos, centuplum in hac vitâ consequetur. Credis hoc & speras? certè nullis ita ac virginibus se familiarem Dominus ostendit, ut patet in B. Ioanne Euangelista, B. Catharina Senensi, & mille alijs, ut meritò Sponsa dicat: Dilectus meus mihi, & ego illi, qui pascitur inter lilia, scilicet castitatis. Secundò, cùm conjuges fiant inter se duo in carne unâ; Virgines solas suas perferunt cruces: conjuges insuper mutuas, quæ ex morbis corporis, & animi, & infortunijs nascuntur. Vnde Sapiens ajebat amariorem morte mulierem scilicet viro, ita & crebro mulier talem invenit virum. è contrario castitas velut lilium inter spinas, spargit odorem suavissimum, Deumque & homines oblectat. Tertiò, Quia Virgini datur Manna absconditum, & nomen melius à filijs, & filiabus nomen sempiternum quod non pereat. & certè quis non videat ut Hieronymus: multò meliùs non uxoris servum esse, sed Christi, nec carni servire, sed spiritui.

Hieron.

Hæccine vera, &c. ut sup. pag. 7.

PVNCTVM IV. Considera, Primò, neminem ad hunc statum posse adscendere, nisi à Domino vocatum. Vnusquisque enim donum suum habet ex Deo, neque omnes capiunt verbum hoc, sed qui-

Non quivis sed vocatus hunc colere debet.

quibus datum est: & divisiones, ait Apostolus, gratiarum sunt; unus autem spiritus dividens singulis pro ut vult.

Attende igitur quæ habueris vel habeas, quæ te ad hanc vitam invitent, vel impellant. maximè inspirationes, ut angelicè vivas. Cave obdurare cor, sed confide in Deo, & insta Orationi, ut per illam nervus femoris tui, seu concupiscentiæ, ut in Jacobo signatum, marcescat; Deinde humilitatem cole custodiâ castitatis, sciens quod nemo possit esse continens nisi Deus det. Nam per humilitatis custodiam servanda est munditia castitatis. Tertiò, Obedientiam denique erga superiores tuos. Nam ut D. Augustinus de Adamo loquens: Inobientia carnis rebellis promulgat inobedientiam spiritus, & alibi: secretam superbiam castigat ejus manifesta luxuria: *Aspira, &c.* & *Credo tibi, &c.* ut suprà pag. 7.

Orationi instandum pro continentiâ.

Humilitas custos castitatis.

Punctum V. Considera Primò, quod quemadmodum Virginitas est status valdè sublimis, ita lapsus in eo fit fœdus admodum, & gravis. Nônne enim æquum sit sponsa Regis summi ei fidem frangat, & labatur in tepiditatem detestabilem, deseratur à Domino, & in turpissima scelera prolabatur, ut sit in exemplum: atque adeò sicut de Nabuchodonosore dicit Scriptura, quod cor feræ datum est ei: ita tales animæ præ superbia fiunt bestiæ in peccato obstinatè excoecatæ, quodque deplorandum, vix umquam seriò convertuntur: imò ab Angelico statu velut in dæmonum pertinaciam devolvuntur & impœnitentiam. Tales enim nullâ sui aut status, aut ordinis commiseratione tangunt: Imò potiùs quàm humiliter se aperiant Confessario, aut alteri, & periculo eripiantur, scandala contemnunt, & animarum plurimarum interitum, atque adeò quasi ipsius Ecclesiæ, quinimo confessionibus,

Lapsus rum fœdus.

& communionibus sacrilegis cumulatis semper angustiatæ, & afflictæ hic dirè torquentur, & thesaurizant sibi iram in die iræ. Quis non horrescet, quis non contremiscet? certissimum enim est, quòd omnis qui se exaltat, nolendo ei aperire peccatum suum qui periculum avertere potest, humiliabitur. Et ut Augustinus: Secreta illa superbia manifestâ seriùs ocyùs luxuriâ castigabitur. Noli igitur altùm sapere, sed time, & summâ cautelâ custodi cor tuum. Attende quomodo Sanctæ Virgines potiùs vitam amittere maluerint, quàm castitatis pati detrimentum, aliæ informes ut fierent à Domino impetrârint (ut D. Brigitta) ne cui placerent. Vide ergo ut gemmam hanc, & margaritam diligentissimè custodias, & oculos tuos, per quos mors velut per fenestras intrare solet; & B.V. mores, habitum, incessum, &c. tibi finge & æmulare.

August.

Exercitium, pro eo qui cœlibem vitam elegit.

CONfiteor tibi Domine Rex, & collaudabo te Deum Salvatorem meum, confitebor nomini tuo magno dulcissime IESV, *quia elegisti me verè indignum, ut essem sanctus corpore, & spiritu, ut ea tantùm cogitem, quæ tua sunt. Mulier ait Apostolus tuus: alligata est viro, & quæ nupta est cogitat quæ sunt mundi, quomodo placeat viro. Idemq; viro contingit, cùm sint duo in carne unâ. Ego verò quomodo placeam uni tibi sollicitus sum, & ero æternùm per gratiam tuam. nulli placere cupio videri, nulli opere vel ornatu placere, nulli displicere timeo. nisi uni tibi Agne immaculate. Quò mihi ab homine amari, & laudari? tuus sum ego & tibi desponsata est anima mea in sanguine tuo: sequar te quocumque ieris, & sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ, ita oculi mei erunt ad te die ac nocte, neque aspiciam unquam, aut inclinabo in creaturam ullam cor meum in æternum.*

Gratiarum actio.

Contemptus creaturæ.

Tu, ô bone JESV, *es unicus amor meus, & desiderium cordis, & oculorum meorum! ô utinam jam cor meum, & caro exultent in te Deo vivo! utinam in silentio ac solitudine loquaris mihi*

mihi ad cor, & convertas me ad te, Dulcia enim faucibus meis eloquia tua super mel & favum, ideoq; os meum, & labia mea dicant tibi; omnem ornatum & voluptatem sæculi contempsi, Nam quæ in deliciis, & conversatione multâ est, ut Apostolus ait, vivens mortua est tibi ô vita nostra. Dixisti aliquando magni consilij Angele de Angelico hoc statu. qui potest capere capiat, neque præceptum dedisti, sed consilium. O quantas igitur tibi gratias ago, quòd ad eum me vocare dignatus sis, ut caperem ego vilissimus, & indignissimus servus tuus, quod non capiunt omnes, Quid illud? Consilium tuum, Angelicum statum, fugam periculorum, conviviorum fabulationes, quæ non sunt ut lex tua, sed pro omnibus esses mihi tu spes mea, & gaudium meum, unus mihi omnia in omnibus. Gratiarum actio.

Conserva hoc Deus quod operatus es in me, ne umquam patiar cum fatuis virginibus extingui lampadem meam fiduciâ vanâ, aut periculosâ conversatione. Ecce enim venis sponse animæ meæ, & toties Deus cordis mei suscepi misericordiam tuam in medio templi tui cordis mei, tenuisti manum dexteram meam, propinasti mihi vinum, ut fugiam omne quod inebriat, vinum germinans Virgines, quod cùm bibero non mordebit in fine ut coluber, neque etiam sicut Regulus venena diffundet, vel novissima illius erunt amara quasi absynthium. Vnde hoc mihi, ut horream ad quod trahit concupiscentia mea, nisi à te seminator casti consilij? Tu igitur suscipe me, qui infinitâ dignatione vocasti me, ut tuus totus essem. Tibi uni placere & adhærere volo, ne deseras nec proijcias me. Te unum videre cupio & amare, fac de me quod placet tibi; respice quæso in me, & sequar magister dulcissime, sonet vox tua in auribus meis, & sileat universa creatura coram te. O spes mea, amor meus, vita mea, Christe IESV, *pone te ut signaculum super cor meum, ut signaculum super brachium meum. tu scis enim uti spero, quia diligo te toto corde, totâ animâ, tota mente, & totis viribus meis, & nihil extra te: si transiero per aquas, sis tu mecum, ne flumina operiant me: si ambulavero per ignem, esto mihi refrigerium, ut sim velut rubus incombustus, denique unus sis mihi omnia, Deus cordis mei & omnia.* Applicatio.

Praxis.

PRimò. Sit tibi velut in exemplum proposita vita Mariæ, cujus unius vita omnium est disciplina. Corde erat humilis, verbis gravis, animo prudens, loquendi parcior, legendi studiosior, intenta operi, verecunda sermone.

Secundò, Prævide manè quæ agenda, & patienda Deoque offer: tempusque tuum ac occupationes ita distribue, ut ordinata omnia sint, stabilemque vitam ducas, ac quietam, sitque modus functionum tuarum saeilis, & pius, nihil magis ad pacem, & quietem expedit.

Tertiò, Fuge quantum potes alterius sexus conversationē.

Quartò, Ante omnia humilitatem custodi.

JACVLATORIÆ.

Psalm.17. *DOminus Adjutor & Protector meus, in ipso speravit cor meum, & adjutus sum.*

Psal.17. *Deus meus Adjutor meus, & sperabo in eum, Protector meus, & cornu salutis meæ, & Susceptor meus.*

Psal.29. *Exaltabo te Domine, quoniam suscepisti me, nec delectasti inimicos meos super me.*

CAPVT XXIV.

Meditatio de statu Religiosi.

PRÆLVDIVM I. Constitue te coram Deo & curiâ ejus, & audi invitantem ad bravium.

II. Ora ut gratiam largiatur.

PVNCTVM I. Considera finem vitæ esse hîc cordis munditiem, & perfectionem charitatis, & in altera æternam vitam Deique visionem, & ad hanc perfectionem omnino oportere te contendere, nónne enim ad hoc venisti? & nomen inter currentes, ad bravium professus es? Secundo, neque tamen id gravatè te facere oportet: hilarem enim datorem diligit Deus, vide ut magnas opes & honores, hujus sæculi filius lætus suscipiat, & hoc tu tantum age ut bravium, id est, perfectionem consequaris, & methodum ad eam hoc credis, & unum quæris. Tertiò, Considera verò donum Religiosæ vocationis sanctorum judicio præstantissimæ, & quæ

Finis noster quis sit.

Cum gaudio Deo serviendum.

quæ in eâ ad perfectionem habeas auxilia. Bernardus ea enumerat dicens: Religio est in quâ homo vivit puriùs, cadit rariùs, surgit velociùs, incedit cautiùs, irroratur frequentiùs, quiescit securiùs, moritur confidentiùs, purgatur citiùs, remuneratur copiosiùs: hæc præstat mihi & tibi Religio. Videamus obsecro, mi frater, ut grati Deo simus. Considera contraria his singulis esse in mundo, & tamen dictum omnibus: Estote perfecti, sicut & pater vester cælestis perfectus est. Et illud: Ambula coram me, & esto perfectus. Et appende quã beatus sis qui ad perfectionem tot habes auxilia, quot alij ad eandem tamen obstricti habent impedimenta? maxima autem ea sunt voluntas propria, voluptas, & opes: de quibus triumphare tribus votis tibi Religioso licet. Omitto sæculi occupationes, quibus cum careas, vide an non plusquam seculares proficere debeas in vera resignatione, devotione, & amore. *Aspira*, ut s.p.8. *Hæccine firmâ fide, &c.*

Bernardus.

Tot habẽtur in Religione auxilia quot in seculo impedimẽta.

PVNCTVM II. Considera, quid pro gratitudine requirat à te Dominus. Primò, ne cum uxore Loth respicias retro (tantum abest ut revertaris) atq; ineptus fias regno Dei, tristisque casus apostatarum revolve quos nosti, & te faciam cautiorem. Cecidisse illos te teneat ut tu stes: ædificare cepisse, & non consummasse, ut tu erudiaris. Quid verò tu? ideam inspice & scopum quem seculo renuncians tibi proposuisti: O quanto illis melius erat viam perfectionis non agnovisse & debiles, vel claudos intrasse in regnum cælorum (si statum spectes) quàm duas manus vel duos pedes habentes præ tepore descendisse in gehennam. Secundò, quãto fervore progredi debeas ob tot beneficia in religione accepta. Primò, siquidem non quid remissio omnium peccatorum, & quasi alterum baptisma tibi concessum Sanctorum judicia. Deinde enumera si potes auxilia gratiæ plurima, ubi enim tot sunt congregati in nomine JESV, ibi ipse est fons

Gratitudo exigitur à Religioso.

Casus multorum.

Beneficia Religionis.

gratiarum in medio eorum. Quid ultra optare in hâc vitâ potes? Mortem deinde attende tranquillam & prædestinationis te habere certissimum argumentum. O quantum solatium, quantum salutis pignus! *Hæccine vera, &c* ut suprà pag. 7.

Greg. 1. regis. felicitas Religiosi.

PVNCTVM III. Considera vitæ spiritualis & religiosæ dignitatem, & animo tranquillo leva te supra te, & vide, quàm pulcrum extolli super altitudinē terræ: nihil appetere aut timere in eâ, & in quodam rerum vertice stare, & sic imitare Deum, apud quem non est transmutatio nec vicissitudinis obumbratio, nihil habere & omnia possidere, tuumque esse regnum cælorum, cùm scriptum sit: Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum.

Pæupertatis exercitium.

Attende tamen an verè dicere queas, Ecce nos reliquimus omnia & secuti sumus te, an verò te teneat vilis rei affectus, codexque aut quid tale tibi sit laqueus & opprobrium; hoc sane nónne dignus tibi videtur qui reculis talibus retinetur postquam omnia reliquit? Cave etiam propriæ volūtatis esse servus, nónne tuam ultrò Deo in holocaustum obtulisti, & tu rapinam in re tali N. etiam parvâ de eo non vereris? Considera secundò, Religiosorum vitam, Apostolicorum virorum esse imitationem, & vide obsecro quis tu sis ad hoc munus vocatus. Imò status hic Christi est imitatio, amantissimè sic invitantis: Si vis perfectus esse, vade & vende omnia quæ habes, & veni & sequere me. Et quis abnuere potest bone JESV? ut autem scias quomodo sequaris, expende hæc verba, nisi quis renuntiaverit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus. Et iterum, qui non odit patrem & matrem, insuper & animam suam, non potest meus esse discipulus. Considera Tertiò, patres communiter religiosos inter martyres reputare, & templum Dei ac perpetuum sacrificium nuncupare, quid potest esse præstantius? *Magna est super nos*, ut inf. p. 1085.

Obedientia praxis.

Luca 18.

Luca 14.

PVN-

Punctum IV. Considera hæc verba: Vos qui reliquistis omnia, & secuti estis me, &c. quid ultrâ ô anima sperare potest, quàm ibi, quando pavebit totus orbis terrarum, secura sedere & judicare Angelos & Principes? Considera secundò, quantum fructum vivis aliquis religiosus studiosus perfectionis facere posset, ut patet in S. Vincentio & Xauerio. Et tu domi forisque agere quid posses: Et sic ratiocinare, Dei agricultura sum tot gratijs irrigor, & centuplum referre fructum possum, & cur obsecro exiguum reddam Domino meo? *Hæccine vera, &c.* ut sup. p. 7. *Matth. 19.*

Punctum V. Considera solam animi delectationem veram esse, & ut ait Bernardus, hoc solum esse verum gaudium quod non de creatura, sed de creatore percipitur; & quantam materiam tu gaudii habeas ex votis & statu tuo appende. Obedientiâ siquidem nactus es ut securus vivas alio pro te rationem reddente, & ut Climachus, vitâ sine sollicitudine ducas, & quasi dormiendo iter facias. Paupertate verò quid ditius ut nihil habeas, & omnia possideas, omniaque etiam in centuplum adjiciantur tibi? Ex Castitate verò quàm sincera voluptas promanet, si ignores, miser es: vel ethnicorum potes id discere judicio, qui hominum vitam similem deorum futuram dicebant, si per illam delicias abnegassent. Secundò, Considera quanta imprimis ex pace animi & mortificatione passionum pax nascatur. quanta ex oratione liquida consolatio à Sanctis sit percepta, & à te percipi possit. Vt ob hæc paradiso similem religionem sancti Patres asserant. Quid ergo retribuemus Domino pro omnibus quæ retribuit nobis. *Vera delectatio in Deo solo.*

Exercitium.

Magna est super nos, magna valdè misericordia tua Deus noster, quos tam ineffabili spiritus tui virtute tam inæstimabili dono gratiæ tuæ eripuisti à vanâ conversatione seculi hujus, in quo eramus sicut oves, errantes, & unde hoc mihi, ut *Bern. serm. de ingratit.*

ego

ego præ aliis exaudiam vocem tuam dicentis. Si vis perfectus esse vade & vende omnia quæ habes, & veni & sequere me: unde hoc mihi ut invenerim preciosam margaritam & thesaurum absconditum, & vendere potuerim agrum ut emerem illum, & de tot naufragis juberes me ambulare super aquis, & in monte hoc Thabor ostenderes mihi gloriam tuam. Vnde hoc mihi ut me præ aliis de mundo vocares, de Aegypto in terram sanctam, de Sodoma in montem Segor, de mari naufrago in portum. Benedic anima mea domino, & noli oblivisci omnes retributiones ejus, sed redde altissimo votâ tua. Et verò cùm tibi donavero quidquid sum, Deus meus, quidquid possum, nónne illud sicut stella ad solem, gutta ad fluvium, lapis ad montem, granum ad acervum? quid dico? omnia sunt tanquam nihilum antè te, & velut momentum stateræ mundus universus, quid ergo retribuam tibi cui debeo plusquam me?

Bern. hom. Simile est regnum cælorum. Matth. 19.

Bern. ep. 143. Isaiæ 40.

Absit igitur ut de eo quod obtuli tibi holocausto quid detraham & affigar crepundiis N. de ullius rei defectu querar, aut perditione doleam, & arenâ obruar, qui vitavi grandia: tu enim cùm dives esses, propter me egenus factus es. Et ego pauper delicias quæram sub spinoso capite? vel hic carni blandiar ut spinis te coronem? præcipitium enim ejus & periculum sit amavero, scio, peribo in eo; si odero, parata est mihi certò multitudo dulcedinis tuæ, absit ut de ullâ re hodie aut unquam querar, de humiliatione aut novissimo loco: tu enim venisti ministrare, & non ministrari, & ego vilissimus vermis ad hoc veni, ut tecum Rex regum recumbam in novissimo, & audiam in æternum. Ascende superius. Fac igitur de me secundùm beneplacitum tuum, in tempore & in æternitate, & ut faciam tuâ gratiâ omnes voluntates tuas, tuus enim sum ego, & omnia tua sunt; te toto corde amo, & totâ animâ meâ.

Nunquid ergo carni & sensui ultrà serviam, aut amore mei, & per inobedientiam insipienter tibi repugnabo, & tuæ providentiæ; meamq; stultitiam tuæ sapientiæ præferam, Non ita Rex meus, Deus meus, Ecce ego lutum in manu figuli, cadaver & baculus sequar te quocumq; ieris gratiâ tuâ. ne redeam miser ex portu ad naufragium, unde vix nudus evaseram; rursus ignem

unde vix semi ustus exieram, ex loco deliciarum, & atriis domus tuæ descendam in Aegyptum, & locum teterrimæ servitutis, & qui nutriebar in croceis amplexer stercora, & cum Esau vendam primogenita scutella lentis, & perdam te omne & unicum bonum meum. Obsecro te reminiscere miserationis tuæ, quâ me emisti sanguine tuo, & pascis corpore tuo. Et de Vr Chaldæorum cum Abrahamo me vocasti in manu validâ, accede in me ignem quem venisti mittere in terram, ignem amoris tui quem merito voluisti in me misero vehementer accendi. Amen. Thren. 4.

CAPVT XXV.

Meditatio de perseverantia, in propria vocatione.

COMPOSITIO LOCI. Intuere mundi machinam, & varias in cælo mansiones.

ORATIO. Pete à Deo perseverantiam in vocatione, in quam vocatus es.

PVNCTVM I. Considera Primò, universum & creaturarum varietatem, & quantum differant inter se, quantum stella à stellâ in claritate, & sic ratiocinare, omnino in corpore mystico similem esse divinam ordinationem. Considera Secundò, quanta perturbatio nasceretur, si quæ Deus æternâ sapientiâ subordinavit perturbato ordine ima summis imponerentur, idem procul dubio futurum, si quisque statum suum exosum habeat, alium verò æmuletur. Quid enim futurum, si in Repub. si in aulâ Regis omnes primi esse velint? si in navi Ecclesiæ omnes ad clavum sedere, si cælestis Ierusalem lapides omnes eodem loco collocari: quod in omnibus vides, hoc omnino in singulis vitiosum est.

PVNCTVM II. Considera Primo, Parabolam Matth. 25. ubi Dominus diversis servis suis diversa largitur, alij quinque, alij duo talenta, alij unum, unicuiq; secundùm propriam virtutem. Vive igitur contentus

tuâ

tuâ sorte, & melius esse scias satagere per bona operâ certam facere vocationem, quàm aliam, atque aliam æmulari. Considera Secundò, viatores omnes esse nos, & melius esse viam cœptam, Deo duce præeunte prosequi, quam breviorem sine duce, & incertam viâ quærere. Considera Tertiò, mundum hunc, velut theatrum esse, neque quærendum quam egeris personam, sed quàm bene tuam egeris; quis nescit eum qui servum agit, si melius agat rege insulso & imperito primam palmam referre? atque ita se habet res hæc, neque quid egerit quis, sed quanta ex charitate, appendet Deus. Considera quartò, Nos in stadio currere, quis verò isthic bravium rapit? certè non Rex aut Princeps, sed qui velociùs curret.

2. Pet. 1.

PVNCTVM III. Considera, illa verba Apostoli 1. ad Corinth. 12. Divisiones gratiarum sunt, idem autem spiritus, & divisiones ministrationum sunt, idem autem Dominus, & divisiones operationum sunt, idem autem Deus, qui operatur omnia in omnibus. vides frustrà te conniti aliam facere divisionem, aliudque à Dei voluntate operari? Considera II. ea quæ sequuntur, unicuique ait, datur manifestatio spiritus ad utilitatem, & scito te nullam consequuturum, nisi juxta gratiam vocationis tuæ, non alienæ, vivas, neque est quòd murmures, hæc enim ait omnia operatur unus atque idem spiritus dividens singulis prout vult: & alibi, unusquisque proprium donum habet ex Deo, alius quidem sic, alius verò sic. Considera Tertiò, Illa Apostoli verba: sicut enim corpus unum est, & membra habet multa, sic se habet Ecclesia, & corpus ait, non est unũ membrum, sed multa, si dixerit pes quoniam non sum manus, & auris, quoniam non sum oculus, non sum de corpore, num ideò non est de corpore? non potest autem oculus dicere manui, operâ tuâ non indigeo, aut iterum caput pedibus, non estis mihi necessarij: sed multo magis quæ videntur membra corporis infirmiora esse necessaria

1. Cor. 7.

1. Cor. 12.

ſatiora ſunt, & quæ putamus ignobiliora membra corporis eſſe, his honorem abundantiorem circundamus. Ex his collige perſeverantiam in vocatione primâ, etſi humilior eſſet, quandoquidem à ſapientiâ æternâ inſpirata. Ideò Apoſtolus renuit baptizare, quia miſſus erat euangelizare. Conſidera quartò, etiam illa verba Apoſtoli, unuſquiſque in quâ vocatione vocatus eſt, in eâ permaneat: nam ut Epheſ. 4. Vnicuique noſtrum data eſt gratia, ſecundùm menſuram donationis Chriſti, ſi ergo virtutem, & vires majores non habes, quàm ut decem tollas, cur viginti vis tollere & diſrumpi? cur qui virtute, & animi ſtaturâ puſillus es, veſtes (ut ſic loquar) id eſt; munus & ſtatum majora & altiora te quæris? Conſidera quintò, illud Luc. 9. nemo mittens manum ſuam ad aratrum, & reſpiciens retro aptus eſt regno Dei, &c. Ex quo diſce eùm qui vocationem deſerit, ſæpè ineptum fieri regno Dei, id eſt ſæpè excludi ab illo: & ſanè melius eſt juxta conſilium Domini claudum ac debilem ad vitam ingredi, quam duas manus, aut duos pedes habentem, id eſt, in perfectiori ſtatu conſtitutum propter ſua peccata in quibus perſeverat, mitti in gehennam. Conſidera ſextò, Ideò multos in vocatione nutare, quòd bona ſua ignorent, aut non attendant, aliena verò præteritis multis malis & periculis intueantur: certum enim eſt cuilibet ſtatui commoda & incommoda eſſe annexa; quemadmodum autem ineptè ſtrutionis pennas ſibi paſſer optaret, eique invideret earum magnitudinem non conſideratâ mole corporis, ſic faceret qui majora, & altiora ſe quæreret.

1. Cor. 4.

1. Cor. 7.

Luc. 9.

Matth. 18.

ORATIO.

O Sapientia æterna Deus meus, quàm incerta providentia noſtra: neſcimus quo miſeri curſum tendere, quam viam ingredi nos oporteat. Tu ſolus noſti & vides quâ viâ inter innumera avia ad te pervenire queam, tu attingis à fine ad finem

fortiter

fortiter; dispone obsecro te, suaviter per viscera infinitæ misericordiæ tuæ, ut perseveranter ambulem viam quam ostendisti mihi; & perveniam ad te, ad quem desiderat anima mea, sicut cervus ad fontes aquarum; ne sit mihi curæ quà ducas, neque enim viam quæro, sed te ducem meum, finem meum: video hunc illumve sublimi incedere tramite, sed conspicor eum velut hominē mori, & sicut unum de principibus cadere, video alium in infimis consistere, & cùm frustrà jaciatur rete antè oculos pennatorum, eheu miser! per terram ambulans etsi non cadat præceps, induitur laqueis venatorum. Aliùs medium tenet, neq; rectam tamen viam, quia corpus ejus aggravat animam, & deprimit sensum multa cogitantem. Sed video alios felici tramite te ducem sequi, super custodiam suam stare, & figere gradum super munitionem suam in ordine suo, currere in stadio & prævertere multos, & rapere bravium, quod non est aliud nisi tu Deus meus. Quid enim mihi est in cælo; & à te quid velim super terram, nisi te Domine ad quem fessus de viâ anhelo, & amore æstuans suspiro ad fontem aquæ vivæ, ad quem sitit die ac nocte anima mea, sed fiat sanctissima voluntas tua, ob quam in statu meo conquiesco, & gratias ago, quia ostendisti mihi viam in quâ ambulem, & semitam mandatorum tuorum: Dirige quæso gressus meos, ut non moveantur vestigia mea in æternum. Amen.

Sap. 9.

Habac. 2.

Praxis.

PRima, Sit hæc crebro gratias agere pro vocatione, & illius signa etiam scripta habere in promptu; certum enim est ut S. P. N. Ignatius, hominem oportere maturâ deliberatione præmissa in statu cœpto perseverare, ideò merito varii ordines atque inter illos Societas, eum non admittit, qui alium ordinem ingressus fuerit.

Secunda. Certò esse scias in omni statu, commoda & incommoda, eaque sæpè expende, & è sublimiori graviores esse lapsus, fatetur enim Augustinus, se meliores non invenisse, quàm qui in monasteriis profecerunt; sed nec pejores quàm qui defecerunt. Ideoq; in humili constitutus à Deo humiliter & perfectè illi servias, & poteris paupercula anus, ob charitatem excellentem inter Apostolos in cælo censeri, & innumeris religiosis anteponi. Commoda & incommoda singulorum statuum

tuum libro prosequutus est D. Rodericus Episcopus Zamorensis in speculo humanæ vitæ.

Tertia; Conare diligentissimè perfectionem in tuo statu consequi, quæ est in perfectâ charitate, neque æmulaberis facilè alienum institutum.

Quarta, Propone tibi exemplar præcipui alicujus, ac sancti viri, qui in statu tuo viam ad æternitatem decurrerit, & eum imitare, omnesque similes in patronos adscisce, Angelumque custodem imprimis cole ducem viæ ac vitæ tuæ.

JACVLATORIÆ.

PAratum cor meum Deus, paratum cor meum, cantabo & psallam tibi gloria mea. Psalm. 107.

Vt jumentum factus sum apud te, & ego semper tecum. Psalm. 72.

Tuus sum ego, salvum me fac, quoniam justificationes tuas exquisivi. Psal. 118.

CAPVT XXVI.

Meditatio de præparatione ad mortem.

COnsidera, quòd hujus scientiæ & vitæ nostræ ultimus actus sit mors. Itaque ut felix & ordinata tibi sit, vide quomodo hactenus ad eam omnia direxeris, & diriges posthac cogitationes omnes atque actiones, diesque illius. Non potest enim malè mori, qui benè vixerit: bene autem & feliciter vivet, quicunque bene mori didicerit: bene autem mori nouerit, qui in omni vitâ mortis memor fuerit, & ad eam se comparaverit. Cùm igitur omnis scientia atque doctrina; omnis exercitatio, & dies, & horæ omnes eò referantur, ut novissima beata sit; de illa etiam tanquam triumphali, tanquam æternâ, tanquam columine, & termino peregrinationis nostræ, à quâ felicitas rerum omnium & æternitatis pendeat, differendum est. Vide, ô mi frater, quanta cura hujus tibi esse debeat.

Considera Secundò, quoties te ejus meminisse oporteat, & attende ut Ecclesia initio quadragesimæ moneat. Deinde quomodo omnis ortus Solis, & occasus id præstent; & rerum humanarum, herbarum, fruticum, &c. Tertiò, quomodo Sancti hujus rei magnam curam habuerint, adeò ut D. Damascenus dicat eâ de causâ (non solùm ob cultum religiosum) ossa Sanctorum solita circumferri. Tu itaque imitare, domi signum antè te statue, vel etiâ tibi vivo, ut S. Ioannes Eleemosynarius,

vt viri principes, in templo sepulcrum erige, illudque crebro adi, & considera; aut denique in cœmiterio, aut templo quasi designa in omni loco, in quo te habitare continget. Etenim hæc habitatio & domus erit usque ad judicii diem. Novi virum militarem, qui famulum ad hoc habet cõductum, ut quotidie mortis se memorem reddat. Tu etiam aliquod habeas memoriale in oratorio catalogum demortuorum amicorum. Item annorum & mensium vitæ tuæ tabulam, quoties mensis transierit, seu notam figuræ mortis transferendo: omni enim die & hora tibi impendet & insidiatur. In Claravalle esse fertur semper sepulcrum apertũ primo morituro, quod memoriæ mortis causâ quotidie visitant Religiosi. In alio Ordine singuli habẽt in cubiculo sarcophagũ. In alio salutare se invicem soliti erãt, hoc pacto: *Frater debemus mori*; respondebat alter, *nescimus quãdo*. Vides quã fuerit cordi viris sanctis mortis perpetuæ recordatio, & quã tibi esse debeat. *Aspira*, ut sup. 8. *Hæccine firmã, &c.*

Considera rationem tibi reddendam post mortem & ancipitem aleam, ideoque quotidie aliquam ex notis prædestinationis acquirere stude, maximè illã misericordiæ erga proximũ: quia quã mensurâ mensi fuerimus, eâdem remetietur nobis: & beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam cõsequentur. De ea, prima quæstio in judicio instituetur. *O Pater misericordissime*, ut infr. Meditari autem de singulis potes hoc pacto: Primò considera, an habeas eam, & quid impediat; Secundò, qualiter beatus aliquis se per eam, securum reddiderit; Tertiò, quo pacto ad eam deinceps incumbes.

Praxis. Lucæ 12. Eleemosyna commendata & diligentia.

Primò; Cùm peregrinus sis super terram, transmittas opes hic perituras in patriam. sit tibi thesaurus tuus, ubi fur nõ appropiat, neque tinea corrumpit. immò habe arculam in quam conjicias eleëmosynas dierum: ut nulla dies abeat quin linea ducta supersit, quin tuum in cælis thesaurum virtutibus adaugeas: has autem potissimùm exerce, quæ in morte sunt necessariæ; Primò, fidei; Secundò spei, Tertiò charitatis; Quartò, contritionis, patientiæ & mortificationis actus: quia impatientiâ infirmi plurimi tentãtur. quæso autem te, ut habitus pravos bonis evincas, discas tentationibus resistere, ne, cũ defecerint vires, superent te, & in portu facias naufragium. Sic nõ ita pridem, quidã ritè confessus, supremâ nocte, respirare à morbo cœpit, & suspirare cõsuetudine pravâ retractus, velut servus è fuga, ad præterita flagitia. mox oppressus fuit: postridie, qui confessionem exceperat, mortuum audiens, ad sacrificium pro eo offerendum consurgit, sed ad pedem altaris adstitit umbra, & vetuit, damnationem suam, & caussam illius, inveteratam peccandi consuetudinem denuntiavit.

Exemplum terribile.

Consuetudo prava.

Quar-

Quartò, negotia ita suscipe, ut brevi moriturus. Itaq; ea gere, Epictetus ait, quemadmodũ in navigatione, subducto navigio, si aquarum exieris, obiter fortassis etiam cochleolam colliges, aut bulbum: animo autem in navigium intento esse oportet, ac continenter sollicito ne gubernator vocet: ac tum illa omnia relinquere, ut ne vinctus, tanquam oves, in navim conjiciaris. ita in vita, si tibi vice cochleæ, aut bulbi, detur uxorcula & puer: nihil impediet; at si gubernator vocârit, curres ad navẽ, relictis illis omnibus, neq; respicies. Quòd si senex es, cave unquam à nave recedas longius, ne, quando vocatus, deficias.

Epist. Enchir. cap. 12.

Negotia uti gerenda.

Quintò, quotidie cubitum iturus, quasi ad mortem te para; & cogita, an verè ad eam sis paratus, qualiter te in ea vixisse optabis. Quis enim scit, non solũ quid ventura dies, sed nox pariat? O quã horrẽdum est cogitare, subitò dormientẽ oppressũ catharro, incidere in manus Dei viventis, à somno ad judiciũ, ad supplicium, ad mortem trahi sempiternam! O quomodo fieri potest, bone IESV, ut quis credat mille pericula sibi & suis ab hoste, qui in portis sit, imminere famæ, vitæ, bonorum omnium & ne semel de eo libeat cogitare! Quotidie manè:

Vesperi mortis memoriæ est innovanda.

Nota.

Omnem crede diem tibi diluxisse supremum.

Quotidie lege preces aliquas, Litanias v.g. B. Virginis, pro felici morte, & sanctos Patronos cole.

Sextò, observa diligenter, ut assuescas ad omnia subita, cespitationes, lapsus, fragores, excitare actus cõtritionis, fidei, spei, charitatis, verbo uno, v.g. *dole, credo, spero, diligo &c.* sic enim tales affectus quos ex cõsuetudine piâ didicisti, dilatare poteris, & quasi in ictu oculi eosdem repræsentare. Sic novi Religiosũ, qui dicebat se, nominando *Iesus*, vel *Maria*, ad singulas litteras, actus nobilissimos virtutum exercere solitum. Vtinam hoc pacto milites instructi forent, & in omnibus periculis, timoris Domini clypeo essent tecti! anè sic instrui omnino eos oporteret, & quidem diligentissimè, ut crebrò contritionem & intentionem rectam, adversus subitos mortis casus innovarent.

Assuesce ad actum contritionis.

Nota.

Milites ut instruendi.

Septimò, singulis saltẽ annis bis ita te dispone, quasi moriendum tibi foret, ad honorem mortis Christi IESV, & ut à subitanea morte libereris. Suadet quidem Thomas à Kempis, ut ad singula solẽnia festa id fiat: & sanè utiliter. Imò, & singulis saltem mensibus id cõduceret, atque ita animum colligere & renovare, rationes secũ subducere: sed solemniùs bis per annum, id fieri expediet, quasi dictum tibi à Propheta esset. *Dispone domui tuæ, quia morieris, & non vives* Ad hoc videtur accõmodus dies Veneris sanctus, ut cum Christo moriamur: dies item omnium Sanctorum & animarum, ob ritus Ecclesiæ tum usurpari

Renovatio sui & mortis memoriæ insignis.

Isaiæ 38.

Die Veneris sancto quid faciendum.

solitos, atque his ita dispones, ut si verè moriturus esses, & confessionem etiam generalem, si videtur, à posteriore facies; eaque diligentiâ & curâ, ac si postrema futura esset. Atque ita etiam die Iovis sancto, & die omnium Sanctorum SS. Eucharistiâ reficieris, die autem Iovis sancto ac Veneris ad sepulcrũ Domini; vel ad sepulcra majorum, in die animarum, si sint eo loco, si non, ad aliorum, repræsenta tibi mortem tuam, angustias & exequias. Eleëmosynas pro statu largire; & quæcunque alteri debes, restitue: aut si res non ferat, jam saltem scripto annota. Denique, tamquam si valediceudum omnibus creaturis foret, talem animum indue, & nova desideria divinæ bonitati serviendi. Neque hoc tantùm, sed quoad potes, habe omnia disposita, testamentum, &c. O quàm salutare, cũ mors incerta sit, & omni loco nos expectet, velut certâ die venturam opperiri, & omnibus locis & horis eandem exspectare! Cùm autem dies Veneris sanctus, devotioni maximè sit accommodatus; tum majori cum affectu, tempore longiore, impende te pietatis studio, & accende te ad amorem Domini; & scripta recens proposita, aut recognita, iterum die Paschæ relege. Si die uno atque altero posses in secessu, aut domi tibi vacare, aut in domo aliquâ Religiosâ; utiliùs longè foret, ut sic cum Christo morereris ac resurgeres. si enim complantati facti simus similitudini mortis ejus, participes erimus resurrectionis illius.

Debita solvenda, danda eleemosyna.

Nota.

Rom. 6.

Octavò. cogita sæpè, saltem quot hebdomadis semel, quomodo diem mortis & agoniam illam peragere velis. Si enim ad nuptiarum diem, aut triumphalem te comparares, adverte, judicii subeundi hunc esse, illumque, qui aut te in æternum beatum, aut infelicem faciet; quo ad nuptias Agni, aut ad carcerem inferni perpetuum, eũdum; quo in triumphum, aut ad supplicium, ducendus sis: denique diem, qui de omnibus judicat, propter quem sunt omnes dies, anni, lustra, & universa vita & actiones nostræ. Idcirco, de præparatione proxima ad eam pauca habe.

Crebro de die & actu mortis deliberandum. Nota.

Cùm subitò aliqui moriuntur, suadeo vehementer, ut statim actum cõtritionis, fidei, spei & amoris excitent; & si ex vulnere, condonent adversario. Vocent statim confessarium, dicendo, se vehementer dolere, & petere confessionem, ut sic absolvi possint, etiamsi postea loqui nequeant: sicut etiam cùm cœperunt graviora scilicet confiteri, & periculum esse apparet, statim absolutio danda est, ne præoccupet mors; si spatium detur, perficienda erit confessio. In communi periculo belli, naufragii, ruinæ, simul confiteri clarè aliquod peccatum, v. g. mendacii possunt, & simul absolvi.

Quid in subita morte facto opus.

Propinqua præparatio ista esse poterit.

Cùm primùm in morbum incideris, recordare eum accipere de manu Domini, & gratias age; immò offer te ad majora, & in manus ejus te projice. Neque fiduciam in medico colloca, sed in Deo: vocari tamen is debet; sed primo animi, idest, confessarius. si quod periculum saltem simul vocentur; & medicum roga, ut liberrimè periculum indicet liberè te curet: nam Deo grata ista resignatio. Vtinam medici se discipulos Christi ostēderent, & eundem finem se cum illo habere, qui solet per corporis morbos animam persanare! utinam tempestivè semper etsi periculum nullum sit, monerent de anima curanda! tunc enim ex consuetudine pia non terrerent unquam infirmos. Stupenda verò res; agitur de æternâ vitâ, & momentaneâ; pro, hac omnia, & ardenter; pro illâ sæpè vix aliquid, & cum morâ, libet adhibere. Neque refert, an periculum sit: cū enim incerta sint omnia, non deest unquam. Saltem placandus Deus, qui sæpè iratus morbos infligit, nec sanat nisi animâ persanatâ. Præterea curandum est ut simus in statu gratiæ, ut mereri per ea, quæ patimur, possimus.

Morbum de manu Dei accipe.

Medicorum munus.

Nota, medice.

Reconcilia te Deo ut mereri possis.

Oratiuncula brevis.

In manibus tuis sortes meæ: sive vivimus, sive morimur, tui, bone IESV, *sumus. Fiat voluntas tua. Sana me, Domine, & sanabor; salvū me fac & salvus ero. Tu enim mortificas & vivificas, non medicorum opera; tu deducis ad inferos, & reducis.* Psalm.20. Rom.14. Matth.6. Ierem.17.

O Pater æterne, tuum hoc est donum, & tua voluntas sancta, beneplacens, & perfecta. Benedico te, & me resigno ad omnia quæ tibi, ô Sapientia æterna, placuerint in tempore, & in æternitate, Vel dic cum sancto Andrea: 1.Reg.2.

O bona crux, quæ decorem ex membris Domini suscepisti, diu desiderata sollicitè amata, sine intermissione quæsita, & aliquando cupienti animo præparata, accipe me ab hominibus, & redde me magistro meo: ut per te me recipiat, qui per te me redemit. Vel:

Paratum cor meum Deus, paratum cor meum: ego servus tuus, & filius ancillæ tuæ: ego lutum, tu figulus; fac de me vas in honorem, ad gloriam nominis tui; ure seca, sed parcas in æternum. Psalm.56. Psalm.115.

ALIA.

O Pater, ô medice animæ meæ, tu nosti quid expediat omnia in vero judicio fecisti, ex amore summo, & sapientiâ æterna; tu, quæso mecum sis in tribulatione ut in patientia possideam animam meam: si de manu tua bona suscepimus mala quare non sustineamus momento uno pro gloria æterna? Si oportuit te pati, & ita intrare in gloriam tuam, nonne & me sine murmure & querelâ oportet? cùm tot peccatis Iob.2.

tis meis infernum promeritus sim, cùm tanta mihi paraveris; cùm amore mei, ô immensa bonitas & infinita charitas, dignatus sis mor.!

Patientiæ sit memor æger

Caveat æger ne queratur apud invisentes, sed obedientiæ erga medicum, & eis qui curam sui gerunt, patientiæ & humilitatis exempla relinquat, quibus animos ad imitationē invitet, ac cum Tobia dicat, *Ipse castigat nos propter iniquitates nostras; & ipse salvabit nos propter misericordias suas*, si occurrat quòd solitis exercitiis vacare non possit, hunc versiculum ruminet; *Deus bonorum nostrorum non eget, ac gratius illi nos facere voluntatem suam patiendo quam nostram operando.*

Tob.13.

Psalm.15.

Confessio est frequentanda,

Secundò, diligens sit in confessione facienda, & excitanda contritione, (sæpè enim peccata nostra morbus expiat) & Indulgentias quas potest, promereatur Molestias medicorum & medicinæ suscipiat cum humilitate, ac toleret: si vena secanda, de sanguinis Christi effusione cogitet, & totum sese offerat illi: si medicina sumenda, & adsit Sacerdos, eam benedici petat. si non, ipse cruce signet, & non tam in medicina, quàm Dei auxilio confidat; ne arguatur ut Aza, de quo Scriptura ait: *Nec in infirmitate suâ quæsivit Dominum, sed magis in medicorum arte confisus est.* Et Sapientia idem monet dicens, *Neque herba, neque malagma sanavit eos, sed tuus Domine sermo, qui sanat omnia*, itaque jaculatoriâ, tali uti potest. *Sana me Domine, & sanabor; salvum me fac, & salvus ero, quoniam laus mea tu es.*

Fidendum Deo non medicis.

2.Paral.16.

Sapient.16.

Ierem.17.

Querelis est abstinendũ.

Tertiò, cùm visitatur ab amicis, ostendat se morbum de manu Dei accipere, querimoniis abstineat, ut dixi. petat moriturus ab iis pro se opera aliqua satisfactoria, & maximè communionem & confessionem.

Examinãda conscientia.

Quartò, examen conscientiæ potest bis in die facere, aut in horas singulas, si assuevit, imò etiam tum assuescere & in brevi explere tempora multa. Magnum ex hoc accipiet corporis animæque solatium.

Legi sibi curet æger.

Quintò, quotidie antè & post meridiē, humiliter stato tempore legi sibi aliquid petat à Domestico, ex vitis Patrũ, ex Thoma à Kempis; vitis Sanctorum, de exercitiis eorum in morte & fortitudine, quæ prosequitur P. Busæus tit. de statu morientiũ: vel ex P. Aria, de tribulatione, de Passione Domini, maximè è S. Bernardo: vel psalmos, vel meditationes de patientiâ, de Dei providentia, P. Binet de consolatione infirmorum; & habeat horologium Passionis, majusculis scriptum, ad lectum, ut si possit singulis horis sese colligat; seque Deo offerat.

Sextò, sententias etiam in promptu habeat aliquot quas ruminet quibus sese consoletur: maximè doloribus crescentibus.

Iob.1.

Sicut Domino placuit, ita factum est, sit nomen Domini benedictũ.

Fait

Fiat voluntas tua sicut in cælo & in terrâ. Matth.6.

Perfectius est adversa tolerare patienter, quàm bonis operibus insudare. Bonavent.

Melior est patiens viro forti. Prov.16.

Hic ure, hic seca, hic nihil mihi parcas, ut in æternum parcas. August.

Oportuit Christum pati, & ita intrare in gloriam suam. Luc. 24.

Peccavi, & verè deliqui, & ut eram dignus non recepi. Iob.37.

Dominus est, quod bonum est in oculis suis, faciat. 1.Reg.3.

Sicut fuerit voluntas in cælo, sic fiat. 1.Mach.3.

Iustus es, Domine, & rectum judicium tuum. Psal. 118.

Quis mihi det, ut qui cupit affligere me dolore, ipse me conterat, solvat manum suam, & succidat me! Iob.6.

In omnibus exhibeamus nos sicut Dei ministros in multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus. 2.Cor.6.

Domine, vim patior, responde pro me. Isaiæ 38.

Pater, si possibile est, transeat à me calix iste; verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu. Matth.26.

Benedicam Dominũ in omni tempore, semper laus ejus in ore meo. Psalm.33.

Miserere mei Domine, quoniam infirmus sum; sana me Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea: sed tu Domine, usquequo? Psalm.6.

Verumtamen Deo subjecta est anima mea; quoniam ab ipso patientia mea. Psal.61.

Septimò, ut propiùs ad mortẽ te præpares; Primò, de tẽporalibus maturè prudenterque dispone, testamentum æquum & perspicuum. cõcordiæ & non litiũ seminarium conde, atq; in eo primò animæ tuæ rationem habe; aliena restitue, trãsmitte per manus pauperum, quæ potes in terrã vivẽtium, ut ibi vivere & recipi possis in æterna tabernacula, etsi meliùs longè est largiri cùm fruiis potes. siquidem illud est quasi stomacho pleno quod nõ adlubet eduliũ, aut non potes devorare, amico projicere, aut rapiẽda mox ab hoste, potiùs permittere, ut amici nobis servẽt, & hoc pro gratiâ illis imputare: vel aliena, cùm ampliùs potestati illius, qui verus dominus est, resistere nõ potes, tãdem illi permittere aut restituere, & quidẽ invito animo. Vide an non rem exponat simile hoc. Pia legata, quæ relinqui propterea possunt, sunt, legare pauperi, alimẽta Religiosis viris, studiosis, dotẽ pauperibus, Ecclesiæ ornamenta & instaurationẽ, &c. Si eã tibi dignatus fuerit Dominus dare mentem, ut è terris excedẽs, hæredem eũ relinquas, benè tecum agetur; erit enim sic tibi hæres, & tu illi, ac tu tibi etiã ipsi similiter, si, cũ in cælo perpetuò laudaturũ Dominum te speres, hic, ubi sæpiùs offendisti eum & inhonorasti perituris bonis, laudatorẽ divinæ bonitatis tibi sufficias, & si propugnatorẽ regni ejus, ac zelatorem

Testamentũ conde.

Eleëmosyna præmittenda.

Similia.

Legata pia.

Hæredem IESVM *quis faciat.*

Substitue interim qui pro te Deum laudet.

latorem honoris illius, quique propaget fidem apud infideles, & apud hæreticos, pro te in terrâ relinquere Dei gratiâ possis, erit unde in æternũ gaudeas. Fiet hoc per posteros stirpis tuæ, quos si bonis auges, augere posses & veris bonis, & ad pia aliqua exercitia obligare, sed eleëmosynas, seu menstruam communionem; ut hereditas non sit profana, sed sacra. Vides legari & relinqui posteris amplas hereditates, ut insignia gerant gentilitia, ut nomen: vides institutos sacros Ordines militares, id est possessiones aliquas eo fine nobilitati tributas, ut ad exercitia pietatis invitarentur dulci escâ utilitatis; cur non imitari potes in tuâ familiâ, & æmulari, ut sic etiam pietatis studium foveas in posteris? Religiosus quid aget? plurima habet; quærat ille quos convertat ad Dominum, quærat qui loco suo militent Deo, eosque non tam invitatione, quàm exemplo & oratione. Quem vel quos hoc modo nactus fuerit heredes, ut sic loquar, juvet quoad fieri potest, in spiritu; efficiatque ut ipsi eandem probent tibi, & sibi in aliis juvandis industriam.

Religiosi officium.

Inimicis legu. Rom 13.

Octauò, legare etiam suadeo suo adversario, atque ita ostendere sese filium Patris sui cælestis, ad quem properat æger; quia plenitudo legis, dilectio est.

Officiis etiã providendũ.

Nonò, inter temporalia sunt munia quæ gessimus, de quibus videndum, uti & de bonis, ut iis relinquantur, qui idonei sunt, quibusque sit ad salutem futurum, non vitiorum aut improbitatis auxilium.

Item liberis.

Decimò, de liberis eorumque educatione major sit cura, & quoad humanitus licet, provide ut salvi æternùm sint.

Inimicos concilia.

Vndecimò, animam sincerè per confessionem, etiam generalem si ita videtur confessario, expurga tempestivè. Si quos habes adversarios, concilia tibi; & à tuis etiam veniam pete ideoque per Canonem sancitum, ut medicus tertiò non revertatur ad eum, qui animæ suæ curam despicit.

Communio sacra publicè petenda.

Duodecimò, sacram communionem etiam publicè postula, neque videndum quid homines dicant, sed quid animæ tuæ expediat. domus tua ardet, & non vis publicè aquam adferri: corpus ægrum est, nec pudet medicum sæpius te visitare: anima ægra est, & veremur, ne accedat medicus & pastor animarũ nostrarũ, & salus & liberator noster? At dicet te mori. Ad hoc natus es, & vivis. Aliud sæpè in Principibus, à quibus salus publica penderet: verùm in privatis nónne videtur esse hoc, erubescere Dominum confiteri; quem paulò pòst optabis, ut te confiteatur coram curiâ suâ, & in die judicii coram orbe terrarum?

Sacra unctio maturè petenda.

Decimotertiò, sacram unctionem postula, dum adhuc vigent sensus, & responde, si potes, ad preces Ecclesiæ: saltè ad singu-

las

las unctiones contritionem excita; post eam gratias age, & protestationem sequentem tibi legi cura. Observa autem, ut dixi, diligenter occasiones, quas habes promerendi Indulgētias, ratione sacrorum numismatum, aut congregationis, siue Ordinis cui adscriptus es. Magna certè imprudentia eas negligere; & quas brevi oratione redimere posses, pœnas gravissimas malle experiri. Neque solùm ipse Indulgentias promerearis; sed pete, vel cura peti ab aliquo, ut defuncto mox, ratione numismatum, tibi applicent Indulgentias. Neque semel confessus omitte occasionem iterum confitendi, non ex scrupulo, sed desiderio placendi Deo, & augendi gratiam. Imò quando copia est confessarij. etiam quotidie confiteri posses, & maximè sub exitum vitæ.

Indulgentiis utere.

Confessio est frequentanda.

Decimoquartò observa, si Religiosus es, Primò, obediētiam in omnibus accuratè: gratissimum id Deo sacrificium. Secundò, nunquam quærere de ullo; nihil particulare pete, nec admitte, sed paupertatem exerce, reculas verò omnes Superiori resigna tempestivè. Tertiò, cave, quo ad potes, ne denuderis; & hoc à Domino postula amore castitatis. Quartò, roga eos, qui te visitant, ut pro te officia faciant, quæ præstare nequis: ut sunt, meditari, cantare, salutare Ven. Sacramentum, officia humilia obire. Quintò, quotidie, si potes, confitere, & communica post generalem confessionem & Litanias recita Sanctorum, ut eos vitæ comites & duces habeas. Sextò, pete, ut aliquid pii legant qui accedunt, maximè ex Euangelio, & de beatâ vitâ hoc modo tibi & iis consules, & zelum exercebis. Septimò, à sacerdote, vel Superiore, manè & vesperi pete benedictionem, quemadmodum etiam quoties potio sumenda est.

Obedientiā exerce & paupertatē.

Pete qui suppleant ægrimunia.

Nota.

Decimoquintò, cura, ut in conspectu tuo sint piæ imagines, maximè crucifixi, & sæpè cor eleva in Deum D. Augustinus septem Psalmos pœnitentiales descriptos habebat, & magnâ cū contritione recitabat, dicens: non oportere Christianum sine pœnitentiâ mori. Post hæc, imò citiùs, excludunt aliqui à se uxorem, & liberos, ut se totos cum Deo jungant, ut sæcularium omnem curam deponant. Quem enim, ait Augu. morbus urget, & pœna terret, ad veram vix veniet satisfactionem; maximè, cùm filii, quos illicitè dilexit, sint præsentes; & uxor, & mundus ad se vocet. Admitte verò tum viros verè bonos, qui te ad mortem juvent comparare: committe iis animam tuam, qui non negligunt suam. Sanè laudabile omnino est: immò oportet hos non otiosè adesse, sed dum tempus est mercatus, suauiter actibus virtutum, quoad res patitur, infirmum ditare & confirmare. Sanctos fingere potes lecto adstare, imprimis.

Pœnitentiā age cum B. Augustino.

Seculariā dimitte.

August. de pœn. dist. 7. c. Nullus.

Qui ad vocandi.

Pete ab iis ut præeant in actibus virtutum.

Nota. Sancti circa lectum statuendi.

B. Virginem solatium nostrum: & observa diligenter, piamq; consuetudinem, dũ sanus es, indue, quotidie dum incumbis, sic Sanctos quasi præsentes compellandi, & iis te commendandi.

Iaculatorias tibi curâ inclamari.

Decimosextò, provide, ut aliquis te sæpiùs aquâ benedictâ adspergat, & tibi pias jaculatorias in aurem pronuntiet, quibus refocilleris; etiamsi vitæ signum nõ dederis. Sæpè enim ejusmodi rebus infirmi valdè recreãtur, etiamsi id significare nequeãt. Exercendi verò potissimùm actus fidei, spei, & maximè charitatis & contritionis: ideoque Symbolum Apostolorum cõvenit recitare, & pias aspirationes & suspiria ad Deum, maximè ex Psalmis collecta, quæ amorem in Deum, fiduciam & contritionem spirent, vel similes affectus: utpote, *Credo, Domine, in te spero & diligo te ex toto corde meo, ex totâ animâ meâ, ex totâ mente meâ, ex totis viribus meis. O utinam te numquam offendissem! ex te enim & in te & pro te sunt omnia.*

Matth. 5. Contritionis usus.

Exercitium pium deosculari Christi vulnera.

Nota, utile esse, dum quis sanus est, quotidie dum incumbit, imaginari crucifixum ante se; & deosculari Primò, pedes cum Magdalena, ex amarissima & amorosa contritione; Secundò, genua, quæ pro me flexit Rex regum in incarnatione & passione, & fidei actum exercere; Tertiò, manus, quas aperuit, & implevit nos benedictione; ac spem erigere, Quartò, cor seu latus, & amoris actus elicere toto corde, & projicere se in manus ejus, cum plenâ resignatione; votaque, si Religiosus es, renovare. Nota diligenter, quia hoc, etiamsi alia desint, solùm ad salutem sufficit.

Protestatio pia.

Præterea, adverte valdè expedire quotidie dum incumbis, pacisci cum Domino, & protestari ut omnes respirationes sint & amoris aspirationes, & tui oblationes, fiant in unione omnium meritorum Christi Domini; uti & petitiones eorum quæ ad salutẽ necessaria, & gratiarum actiones pro innumeris beneficiis, ut sic in viâ incipias, quod perpetuò facturus es in patriâ.

Hora mortis.

Deniq; cùm venerit tempus, propter quod omne datum est, vnde pendebit æternitas, studeat unire se Deo infirmus. & ad hoc, crucifixum stringat, si potest, animo & brachiis, & candelam alterâ manu teneat, & corde dicat: *Diligo te* IESV, *toto corde meo*, in eoque actu perseveret, *in finem & in æternum. Amen.* Sæpè autem repetat, *Iesus Maria*, ut indulgentiam obtineat.

De tentationibus in morbo occurrere solitis & remedijs.

Tentatio contra fidẽ, Marc. 9.

Prima est fidei: quæ contemnenda, nullaque argumenta admittenda, sed ad Deum oculi attollendi, dicendo magno cum amore: *Credo Domine, adjuva incredulitatem meam. Credo quod*

Ecclesia

Ecclesia credit, nihil præterea age, sed contemne. Secunda, desperationis, sed confessione factâ sincerè, & contritione excitatâ, nihil est quòd anxii simus; plures pro nobis quàm cõtra nos, & cùm impossibile sit hominem præterita omnia in memoriâ revocare, præsentes circumstantias omnes ob distractiones atque ignorantias attendere; futura verò minimè providere queat, disce hoc unum requiri, ut bonâ fide, & sincerè quæ salutis sunt agas, & cætera divinæ bonitati cõmitte. Supervacua anxietas nunquam prodest; tum quia magis perturbat, minusque finit ea quæ salutis considerare; tum quia Dei justitiæ fieri satis a nobis non potest unquam, sed confidere bonitati ejus oportet; tum denique quòd postquam omnia fecerimus, æquè inutiles servi simus, idque solùm habituri, oportere nos in bonâ fide, & morali diligentiâ acquiescere, Secundò, cogita Angelum Custodem, sanctos Patronos quasi adstantes, ante omnes B. Virginem solatium nostrum, certoque loco, sicut lectulum Salomonis septuaginta fortes ambiunt, eosque invoca; Tertiò, vel maximè Dominum præsentem, & sæpè ejusmodi jaculatoriis utere, quæ fiduciam provocent: ut sunt,

Anxietas inutilis.

Scrupulos contemne.

In te Domine speravi, non confundar in æternum.

Etiamsi occideris me, Domine JESU, *in te sperabo.* Psal. 30.

Recordare, Domine, quanto pretio emeris me, tuus ego sum, salvum me fac.

O JESU, *spes mea & refugium, susceptor meus & liberator meus, etiamsi consistant adversum me castra, non timebit cor meum: si consurgat adversum me prælium, in hoc ego sperabo.* Psalm. 26.

Mihi autem adhærere Deo bonum est, ponere in Domino Deo spem meam. Psalm. 72.

In te confirmatus sum ex utero, de ventre matris meæ: tu es protector meus. Psalm. 26.

Alia est tentatio præsumptionum & illusionum, quibus responde cum Propheta: *Ego autem mendicus sum & pauper* (quasi dicat, Nõ sum ex iis quibus ista debentur) *Dominus sollicitus est mei; videbo Dominum in terrâ viventium, & id sufficit mihi.* Præsumptio verò, si cogites, quòd nesciat homo, amore an odio dignus sit, Dei gratiâ reprimi potest. Deus bone, cùm justitiæ nostræ sint ut pannus menstruatæ, cùm de peccato propitiato jubeamur à Spiritu sancto non esse sine metu, cùm agatur de æternitate, cũ nihil ex nobis quasi ex nobis possimus, ac proinde quasi furtum & rapina sit, sibi præsidere; quis jam jam ad judicem trahendus, peculatus aut majestatis læsæ crimine se obstringet, & Dei judicis sui gloriam rapiet sibi, de quâ dixit, Gloriam meam alteri non dabo: dic igitur cum Prophetâ:

Tentatio præsumptionis.

Psal. 39.

Eccli. 5.

Remedium illius.

Non

Psal.113. *Non nobis, Domine non nobis, sed nomini tuo da gloriam.*
Omnia in nobis operatus es, Domine.
Luc.17. *Cùm omnia feceritis, dicite: Quia servi inutiles sumus.*
Psalm. 8. *Domine, quid est homo, quòd memor es ejus, & filius hominis, quia reputas eum?*

Vtile amplecti Christum Dominum, stringere illum amorosis amplexibus, & sic in manus ejus commendare spiritum suum.

Exercitium seu protestatio moribundi crebro usurpanda utilis etiam in communione.

O Pater misericordissime, Deus meus ecce ego creatura tua, redempta sanguine unigeniti filij tui ad te venio creatorem meum, ob quem creatus sum, ob quem vixi & vivo, propter quem & in quo mori cupio: venio ad te ad quem millies suspiravi: ad te venio, quies mea,
Psalm.119. *spes mea, amor meus & desiderium oculorum meorum. Hei mihi quia incolatus meus prolongatus fuit, multum incola fuit anima mea!*
2.Tim.4. *Vtinam cum Apostolo dicere possem: Bonum certamen certavi, cursum consummavi, in reliquo reposita est mihi corona justitiæ quam reddes mihi juste judex. O pater misericordiarum, quamvis sim minimus discipulorum tuorum, & indignus vocari filius; venio tamen magna cum fiducia & me projicio in amplexus & brachia suavissimæ providentiæ & misericordiæ tuæ, & quantum possum doleo quòd te aliquando dereliquerim fontem aquæ vivæ, à te recesserim vita mea, tui oblitus fuerim, qui omni momento quasi omnium oblitus esses, numquam oblitus es mei. O utinam nunquam te offendissem. Deus meus, Deus cordis mei, & omnia! Suscipe hoc ab intimo cordis mei ardens votum, ac desiderium meum; dum tempus est miserendi, respice ad illud, & miserere mei. Scis enim, Domine, ut spero, quia amo te plus quàm me & super omnia, quæ sunt, & esse possunt. Scio cui credidi; scio quia potens es depositum cordis mei servare, scio quia cor cõ-*
2.Tim.1. *tritum & humiliatum non despicies, neque umquam projicies me: paratum enim cor meum Deus, paratum cor meum, facere voluntatem tuam. Etiam scio quòd diligentem te diligis, & ad eum venies, & accipies ad te ipsum. O felix hora! quando liberabor de corpore mortis hujus? quando veniam ad te, quando venies, & consolaberis me?*

Priusquam autem abeam, & amplius non ero, cupio divinæ bonitati tuæ in hæc lacrymarum valle toto corde incipere offerre sacrifi-
Gratiarum actio. *cium laudis, ut deinde ostendas mihi salutare tuum. Gratias igitur ago tibi infinities, quòd ab æterno dignatus fueris de me amanter cogitare,*

gitare, & in tempore creare ad imaginem tuam; & quando venit plenitudo temporis, redimere me sanguine unigeniti filii tui, toties mihi parcere, & de tenebris peccati toties me revocare in admirabile lumen tuum. Quid verò ô Domine IESV, *pro laboriosâ vitâ & acerbissimâ morte tuâ, & quod toties me pascere dignatus es corpore & sanguine tuo; quid tibi inquam retribuam sponse & delicia animæ meæ? abyssus nihili mei & miseriarum mearum invocat abyssum bonitatis & immensæ caritatis tuæ, in voce quinque cataractarum & vulnerum tuorum: in his enim tota spes, & fiducia mea: propter hæc, & oceanii misericordiarum tuarum, etiamsi occideris me, in te sperabo, & scio, ô caritas immensa, Deus meus non confundes faciem meam, sed adorabo ad templum sanctum tuum, & confitebor nomini tuo.* Spei actus.

Quis mihi tribuat, ut cum omni affectu cælestis curiæ, omnium Angelorum, & Sanctorum, & sanctissimæ Matris tuæ te pro hoc arctissimè amplecti possem; ut omnium earum, & omnium creaturarum vocibus te laudem atque glorificem? Accipe, Domine, cor meum in holocaustum, quod jam totum tibi præsto: oculos meos, ut te solum videant, & in te omnia; aures meas, ut non audiant vocem alieni; linguam meam, & labia mea, ut cantent tibi, gloria mea; manus meas, ut amplectantur te: pedes meos, ut gradiar ad te: omnia denique membra & ossa mea dicant: Domine, quis similis tibi? Benedicat anima mea Domino, & omnia quæ intra me sunt nomini sancto ejus: benedic anima mea Domino, & noli oblivisci omnes retributiones ejus. Abnego omnia terrena hæc, quia in te uno omnia habeo, abnego me, quia tuus sum ego, & vivo ego jam non ego; vivis autem in me Christe IESV, *& diligo te ex toto corde meo, ex totâ animâ meâ, ex totâ mēte meâ, ex totis viribus meis. Pone ergo me juxta te, & cujusvis manus pugnet contra me: & si fortè contingeret vi morbi, aut hostis fallaciâ aliena ab his me cogitare, vel loqui, ea revoco & abrenuntio, & cōtestor corā te, Deus meus, & te, ô Beatissima mater mea, & virgo Maria, & vobis, Angeli mei, quia in fide Romanâ Catholicâ vivere volo & mori: & in Deo ac Domino meo solo confido & meritis ejus, & amo illū super omnia toto corde, totâ animâ meâ, & usque ad extremum spiritum, amare volo. Quidquid contra hæc tam sanctè, tantaq; voluntate concepta mihi hostis suggesserit, nullū cupio esse in tribunali tuo, ô Deus, atque omnino abominor, execror, & abjuro, hocq; testamentum in die judicii solum volo validum esse, quod paratus sum sanguine meo signare pro quo, & pro te, ô Deus meus, millies mori opto, ut tibi vivam, cui omnia vivunt; tibi moriar, dulcissimo* IESV, *qui amore mei dignatus es mori.*

Charitatis actus.

Oblatio sui.

Abnegatio sui.

Protestatio

Sen-

Sententiæ, quibus fidei, spei & charitatis actus exercere potest infirmus, & sanus.

FIDEI ET FIDVCIÆ ACTVS.

Iob.19. *Scio enim quòd Redemptor meus vivit, & in novissimo die de terra surrecturus sum. Et rursum circumdabor pelle meâ, & in carne meâ videbo Deum meum; quem visurus sum ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt, & non alius: reposita est hæc spes mea in sinu meo. & adde huic & sequentibus: O utinam te nunquam offendissem!*

Marci 9. *Credo tibi Domine, & in te spero, & toto corde te diligo.*

Isaiæ 54. *Noli timere quia non confunderis, neque erubesces, non enim te pudebit, quia confusionis adolescentiæ tuæ obliviscêris, & opprobrij viduitatis tuæ non recordaberis amplius.*

Ierem.29. *Ego scio cogitationes, quas ego cogito super vos, ait Dominus, cogitationes pacis, & non afflictionis: ut dem vobis finem & patientiam, & invocabitis me, & ibitis: & orabitis me, & ego exaudiam vos: quæretis me, & invenietis.*

Ezech.33. *Vivo ego, dicit Dominus, nolo mortem impij, sed ut convertatur impius à viâ suâ, & vivat.*

Ioan.3. *Sic Deus dilexit mundum ut filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in illum non pereat, sed habeat vitam æternam.*

Isaiæ 50. *Iuxtà est qui justificat me, quis contradicet mihi? stemus simul, quis est adversarius meus? accedat ad me Ecce Dominus Deus meus, auxiliator meus, qui est quis condemnet me?*

Ioan.5. *Qui credit in filium habet vitam æternam: qui autem incredulus est filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum.*

ACTVS SPEI.

Sap.3. *Iustorum animæ in manu Dei sunt, & non tanget eos tormentum mortis.*

Ioan.11. *Ego sum resurrectio & vita: qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet: & omnis qui vivit & credit in me, non morietur in æternum.*

Isaiæ 35. *Confortate manus dissolutas, & genua debilia roborate. Dicite pusillanimis; Confortamini, & nolite timere.*

Rom.5. *Vbi abundavit delictum, superabundavit & gratia.*

4.Reg.6. *Noli timere; plures enim nobiscum sunt, quàm cum illis.*

Psalm.90. *Clamavit ad me & ego exaudiam eum: cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum.*

Ibid. *Quoniam Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis.*

Psalm.22. *Et si ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es.*

Invita

Invoca me in die tribulationis: eruam te, & honorificabis me Psal. 49.

Ecce oculi Domini super metuentes eum, & in eis qui sperant super misericordia ejus, ut eruat à morte animas eorum Psal. 32.

Iuxtà est Dominus his, qui tribulato sunt corde, & humilis spiritu salvabit. Psal. 33.

Multæ tribulationes justorum, & de omnibus his liberabit eos Dominus. Ibidem.

In Deo salutare meum, & gloria mea: Deus auxilij mei, & spes mea in Deo est. Psalm. 61.

Respicite filij nationes hominum, & scitote quoniam nullus speravit in Domino & confusus est. Eccli. 2.

Noli timere, ego sum primus & novissimus; & vivus, & fui mortuus. Esto fidelis usque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ. Apoc. 1.

Non eritis vos qui dimicabitis, sed tantummodò cõfidenter state, & videbitis auxilium Dei super vos: credite in Domino Deo vestro, & securi eritis. 2. Par. 20.

ACTVS CHARITATIS.

Quid enim mihi est in cælo, & à te quid volui super terram? defecit caro mea, & cor meum: Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum. Psalm. 72.

Clamavi ad te, Domine, dixi, Tu es spes mea, portio mea in terrâ viventium. Psal. 141.

Pars mea Dominus, dixit anima mea, propterea expectabo eum. Thren. 3.

Bonus est Dominus sperantibus in eum, animæ quærenti illum.

Transibo in locũ tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei. In voce exultationis & confessionis sonus epulantis. Quare tristis es anima mea, & quare conturbas me? spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi; salutare vultus mei, & Deus meus. Psal. 41.

Convertere anima mea in requiem tuam; quia Dominus benefecit tibi, quia eripuit animam meam de morte, oculos meos à lacrymis, pedes meos à lapsu. Placebo Domino in regione vivorum. Psal. 114.

Non moriar, sed vivam, & narrabo opera Domini: Psal. 117.

Sive vivimus, Domino vivimus; sive morimur, Domino morimur, sive ergo vivimus, sive morimur, Domini sumus. Rom. 14.

Salvatorem expectamus Dominum nostrum JESVM *Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ.* Phil. 5.

Ecce Deus salvator meus, fiducialiter agam, & non timebo: quia fortitudo mea, & laus mea Dominus, & factus est mihi in salutem. Isaiæ 12.

Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi. Matth. 28.

Ecce

Exod.23. *Ecce ego mittam Angelum meum, qui præcedat te, & custodiat in via, & introducat in locum quem p ravi tibi.*

Psalm.41. *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum: ita desiderat anima mea ad te Deus.*

Apoc.21. *Absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum, & mors ultrà non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra, quia prima abierunt.*

Psal.30. *Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine quam abscondisti timentibus te!*

Psal. 83. *Quàm dilecta tabernacula tua, Domine virtutum! Concupiscit & deficit anima mea in atria Domini.*

Cor meum & caro mea exultaverunt in Deum vivum. Beati qui habitant in domo tuâ, Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te. Beatus vir, cujus est auxilium abs te, ascensiones in corde suo disposuit, in valle lacrymarum, in loco quem posuit.

Sap.12. *Quàm bonus & suavis est, Domine, spiritus tuus!*

Sap.11. *Diligis omnia quæ sunt, & nihil odisti eorum quæ fecisti: parcis autem omnibus, quoniam tua sunt Domine qui amas animas.*

Matth. 11. *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos.*

Ioan.3. *Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret.*

Ierem.31. *In charitate perpetua dilexi te, attraxi te miserans.*

Abacuc.3. *Ego autem in Domino gaudebo, & exultabo in Deo* JESV *meo Dominus Deus fortitudo mea & ponet pedes meos quasi cervorum, & super excelsa mea deducet me victor in psalmis canentem.*

Gal.2. *Vivo ego jam non ego: vivit verò in me Christus. Quòd autem vivo in carne, in fide vivo filij Dei, qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me.*

CAPVT XXVII.

Contemplatio de Vitâ æternâ, fine ac termino vitæ nostræ.

PRÆLVDIVM I. Contemplare cælum apertum, ut suprà in imagine de æternitate vel gaudio virtutis expressum habes.

II. Roga Dominum, ut viam tuam sic dirigat, ut ad vitam pervenire possis ac creationis tuæ terminum, & illum æternùm amare.

PVNCTVM I. Considera cælum apertum, & in terrâ simul

ſimul deſpice ſtudia omnium hominum, velut ex editiſſimo monte, & vide, quæſo, quorſum tot labores ſuſcipiantur, tam longa ſtudia totque pericula adeantur. Videbis aliquos ex iis quaſi ſpeciosâ viâ tendere gradatim ad honores, etiam ad regna ſuſpirare: tum converte ad cælum apertum oculos, & vide, & ſi vis audi Dominum dicentem, Veni tu & poſſide regnum tibi paratum à conſtitutione mundi, quod quotidie tibi advenire poſtulas. Quale autem id regnum, attende. Primò, quàm frequens populo, in quo ſinguli ut Reges, ut jubilantes & triumphantes. Numquid (ait Job) eſt numerus militum ejus? Aſpice & obambula Angelorum choros, & totidem ab alterâ parte Sanctorum, neque hos ut cives tantùm intuere, ſed ſingulos ut Reges prudentiſſimos & ſapientiſſimos & potentiſſimos eſſe certò ſcias, & latiſſimè dominari. Vnde dicitur Rex regum Chriſtus Iesvs, ipſeque promittit tibi dicens: Qui vicerit, poſſidebit hæc, & ero illi Deus, & ille erit mihi filius. & rurſum; Qui vicerit dabo ei ſedere mecum in throno meo, ſicut & ego vici, & ſedi cum Patre meo in throno ejus: tu credis hæc, & piger es?

Matt. 25.

Iob. 25.

Apoc. 3. 21.

Secundò, vide quanta bona regni illius. poteſtas ibi ſumma: omnia enim quæ volunt Beati, verbo uno faciunt ac habent. vincenti, ait Dominus, ac cuſtodienti uſque ad finem opera ejus, dabit Dominus poteſtatem ſuper gentes. Deinde quantæ illic opes, deliciæ, divitiæ! Et hæc ibi omnia pura, ſincera, ſine ullâ miſeriarum commixtione: hîc verò, quanta mala omnibus permixta bonis! Ne diadema reſpicias (ait Chryſoſtomus) ſed curarum tempeſtatem: neque purpuram intuere; ſed animam, ipsâ purpurâ magis nigreſcentem. non ita corona caput circumdat, ſicut animam ſollicitudo. Jam vide quanto nihilominus ſtudio per fas & nefas terrarum regna petantur, & tu etiam regno cælorum vim facito, & cum violentis rapias illud. Ac præponc

Apoc. 2.

Regnum vobis eſt promiſſum. Hom. 66. ad pop. Antioch.

Matth. 11.

Matth.1. *Matth.6.* pone illud omnibus, & primùm quære, perque paupertatem sperne omnem mundi gloriam & vanitatem. *Exerce hîc fidem*, ut sup. vel *Aspira*, ut suprà. *Hæccine firmâ fide, &c.*

PVNCTVM II. Considera Primò, Quantâ in hoc orbe homines cupiditate soliti aurum congregare, & tamen numquam dicere, Sufficit: tu verò aspice in civitate Dei tui quantæ tibi paratæ sint opes. Portæ Ierusalem civitatis tibi promissæ ex sapphiro & smaragdo ædificabuntur, & ex lapide precioso omnis circuitus murorum ejus. Et erit, ait Apostolus, structura ejus ex lapide jaspide, ipsa verò civitas aurum mundum, simile vitro mundo, & fundamenta muri civitatis omni lapide precioso ornata, & singulæ portæ erant ex singulis margaritis, & plateæ civitatis aurum mundum; & hæc tibi parata sunt & oblata. Si vera hæc credis, eia, ubi es avare, & conquisitor hujus sæculi? cur eligis terram mortuorum pro terrâ viventium? terræ frustum pro civitate Jerusalem? *Credo Domine*, ut sup. p. 7.

Tob 13. *Apoc.21.*

Considera Secundò, quomodo Dominus Deus, ut animum avocaret humanum ad opibus coacervandis, comparaverit regnum cælorum thesauro abscōdito in agro, quem qui invenit homo, abscondit, per humilitatem scilicet, & præ gaudio illius vadit, & emit agrum illum. Thesaurus autem ille est divinitas, & abyssus omnium bonorum parata ut ea perpetuò fruaris. Rursum eum comparavit margaritæ, quam ut quis emere valeat, necesse habet omnia divendere. Si igitur in unâ margaritâ, in uno thesauro omnia habeas in æternum parata bona, & hoc verè credis, cur, quæso, Christiane, turbaris erga plurima, cùm unum sit necessarium? cur momentaneas opes æternis & præparatis præponis? *Exerce hic fidem*, ut s. vel *Aspira*, ut s. p. 8. *Hæccine firmâ fide.*

Thesaurus est nobis promissus.

PVNCTVM III. Considera alios tendere incredibili insaniâ & cupiditate ad voluptatem, & pro eâ honores, opes, Deum repudiare; tu verò aspice qualem habeas

beas tibi paratum in cælo paradisum, & quæ in eo paravit Pater misericordiarum, & Deus totius cõsolationis solatia, & liquidissimas voluptates, de quibus Psalmista. Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos. verba expende. Cibabit illos Dominus pane vitæ & intellectus, & aquâ sapientiæ salutaris potabit illos. Considerà ibi nuptialem & regalem verè cænam tam opiparè paratam, adeò ut Isaias dicat: Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus iis qui diligunt eum. Appende in staterà justâ & non mendaci momentanea mundi solatia, & æterna, & intra in gaudium Domini tui. Vt meliùs autem intelligas bonorum cælestium magnitudinem, collige te & expende, quæ sit longitudo, latitudo, altitudo, profunditas eorũ. Longitudo: erunt enim æterna, erũt securissima & immutabilia bona, numquam totâ æternitate quîdquam aut tempore aut usu tædio iis detrahetur. Latitudo verò tanta est, ut omnem omnino complectatur felicitatem, quã intellectus concipere, aut voluntas potest desiderare. Intellectus enim replebitur Deo sũmo bono: juxta illud: hæc etenim est vita æterna, ut cognoscãt te solum Deum verũ, & quem misisti IESVM Christum. Cùm igitur objectũ sit nobilissimum, & clarissimè videatur, & in eo sint bona omnino omnia, & ardentissimè ametur; summũ omnino gaudiũ esse oportet. Voluntas certè gaudio implebitur & satietate incomparabili, ut nihil ultrà desiderare possit; sed erit plena Deo quasi deificata. Memoria verò plena erit bonis omnibus, ex recordatione Dei, quem unũ cogitabit, & ex recordatione beneficiorũ illius. Imò ex hac visione similis erit Deo anima: memoriâ enim cum lumine gloriæ quasi similis Patri, se ab æterno ex vi luminis cognoscẽti; verbo intellectus seu visione, Filio seu Verbo Patris; voluntate & amore anima Spiritui sancto assimilatur. Nec solũ hæ potẽtiæ implebuntur gloriâ Dei, sed insu-

Voluptas in cælo quanta. Psal. 35.

Isaiæ 64.

Magnitudo cælestium bonorum quomodo sciatur.

Longitudo. Latitudo: Ioan. 17.

Anima similitudinẽ habet SS. Trinitatis.

per accedent perfectissima sensuum omnium oblectamenta. Justi omnes fulgebunt sicut sol, & videbunt civitatis sanctæ Jerusalem splendorē: audient perpetuū illius Alleluja & suavissimā symphoniam, audiēt laudes Dei perpetuas, & suas, juxta illud: Euge serve bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, intra in gaudium Domini tui: gustabunt verò, & videbunt quàm suavis sit Dominus, & panem Angelorum omne delectamentum in se habentem comedent in regno Dei: odorabuntur thymiama suavissimum; & quòd ad tectum attinet, nullâ asperitate ille offendetur, sed suavissimè, absque turpitudine afficietur. Sublimitas verò gaudiorum cælestium quanta sit, attende sedulò; nullum certè creatum iis comparari potest. gaudent enim beati de Deo, ejusque bonis; Primò, intrinsecis, potentiâ, sapientiâ, bonitate, liberalitate, dulcedine ac pulcritudine ejus; Secundò, extrinsecis, id est de gloriâ, quæ illi provenit ex dignitate humanitatis Christi, ex B. Virginis perfectione, ex Ecclesiæ triumphantis splendore, ex fortitudine & victoriâ militantis, denique ex pulcritudine universi. De his bonis Dei sui gaudet anima magis quàm si sua essent; amat enim illum plusquam se totis uiribus suis. Postremò vide quæ sit profunditas thesauri cælestis, & abyssi bonitatis; infinita planè est, atque ita ex ea, totâ & longissimâ æternitate semper novâ Beatis gaudia dimanabunt. Hæc cine vera sunt, & ut talia apprehendo? & sic vivo, sic omnia præ iis despicio? Excita in te affectum amoris & gaudium ut suprà. vel ut infrà pag. 1111. O JESV O JESV, &c.

Matth. 25.

Altitudo gaudiorum.

Anima gaudet de bonis Dei ut suis.

Profunditas gaudiorum.

PVNCTVM IV. Considera Primò, non unum regnum cælorum te in cælo habiturum, sed totidem quot sunt sanctæ ac beatæ animæ; etenim illæ sunt verè cæli, & sedes Dei præstantissimæ; ita verò de illarum felicitate ac tuâ ipsius ob charitatem perfectam lætaberis. Aspice igitur agmina Angelorum & Sanctorum,

rum, gratulare illis de numero & tibi, zeloque animarum succensus, attende quomodo cum Angelo tuo custode eundem augere studeas & studebis. Secundò considera, quos illic notos & patronos jam habeas: contemplare, ut intentis oculis luctantem in mari ipsi in portu apertis ulnis expectent, invitent, & celeusma cantare incipiant.

PVNCTVM V. Considera quanta sit corporum beatorum futura excellentia: fulgebunt enim justi sicut sol in regno patris eorum, eruntque absque rugâ, & absque maculâ. erunt impatibilia, neque esurient, neque sitient ampliùs: erunt agilia, & sicut scintillæ in paradiso Dei sui discurrent: erunt subtilia, & sicut Angeli Dei. Post hæc expende quàm æquum sit existimare Patrem cælestem filiis & electis suis immensa bona in patriâ præparasse; cùm in hoc mundo tanta tribuere reis, exulibus & blasphemis dignatus sit. Deinde Dei Filii infinitam charitatem; qui precio tanto redimere nobis ea voluerit, & Spiritum sanctum de cælo mittere. Obstupesce ad hæc, ô anima mea, suspira ad illum, & dilige eum ex toto corde tuo; & sic ratiocinare: Veráne hæc gaudia sunt, & ego torpeo? Falsáne mundi, & ego ea ambio? Quid me facere pro æternis oporteret, si ea crederem, si sperarem, si amarem? fidem excita vivam & amorem.

Matth. 13. Ephes. 5. Corporis beatitudo quæ?

ORATIO.

O JESV, ô JESV, ô JESV, *quàm dilecta tabernacula tua, quàm dilecta tabernacula tua, Domine virtutum! concupiscit, & deficit anima mea in atria tua. sitivit anima mea ad te Deum fontem vivum: quando veniam? quando amabo te toto corde, & videbo, & apparebo ante faciem tuam? ecce defecit in salutare tuum, & anhelat ad te, anima mea: ecce enim cucurri in viam mandatorum tuorum, & laboravi annis tot N. in vineâ tuâ, Deus meus; etsi quod vehementer doleo, non uti*

Psalm. 41.

debui. Attamen jam, sine, aspiret dies, & inclinentur umbræ. O requies mea, quando requiescam in te? ô gaudium meum, quando absterges omnem lacrymam ab oculis meis? O fons aquæ vitæ, quando inebriabor ab ubertate tuâ? O quàm magna est multitudo dulcedinis tuæ, quam abscondisti timentibus te! etiamsi liceret unâ horâ tantùm eam gustare, libenter deberem omnia mundi gaudia sæculis plurimis abnegare. Quid verò jam ago, quando & æterna sunt, & regni tui Deus meus non erit finis, gaudij nullus terminus, & dabis mihi mensuram bonam & confertam & coagitatam, in sinum meum, & intrare in abyssum bonitatis tuæ, & charitatis tuæ?

Aug. l. 22. de Civit. Dei.

Augu. sup. Ioannem in Homil. *Ego sum pastor bonus.*

Ibi tota virtus erit videre, ô anima mea, quod amas; & summa felicitas amare quod vides: & ibi beata vita in suo fonte bibitur, ubi veritatis visio clarissimè aperitur. Ibi hymnidici Angelorum chori, ibi societas civium supernorum, ibi dulcis solemnitas à peregrinationis hujus labore redeuntium, ibi festivitas sine fine, æternitas sine labe, serenitas sine nube. Ibi quidquid amabitur, aderit; nec desiderabitur quod non aderit. Omne quod ibi erit, & quod est, bonum erit, & tu, summe Deus, summum bonum eris mihi & omnibus omnino beatissimus. Ibi vacabimus & videbimus, videbimus & amabimus, amabimus & laudabimus Esse, quod erit in fine sine fine. Quod enim, ô Deus, præparasti diligentibus te, fide non capitur, spe non attingitur, charitate non apprehenditur, desideria et vota transgreditur, acquiri potest, æstimari non potest. O verè felix & gloriosa societas! ô sanctum convivium, ô desiderabiles epulæ! ubi nimirum anxietas nulla, nullum poterit esse fastidium, quin satietas summa, & summum inerit desiderium.

Aug lib. 22. de civ. Dei.

Bern. in ser.

O beata regio paradisi! ô beata regio deliciarum! ad quam suspiro de valle lacrymarum: ubi sapientia sine ignorantia, memoria sine oblivione, intellectus sine errore, ratio sine obscuritate fulgebit: ubi homo videbit Deum ad voluntatem, habebit ad voluptatem, fruetur ad jucunditatem: in æternitate vigebit, in veritate fulgebit, in bonitate gaudebit. Quæ ergo nos tangit vesania, vitiorum sitire absynthium, hujus mundi sequi naufragium, vitæ labentis pati infortunium, impiæ tyrannidis ferre dominium,

Hug. Vict. de Anima c. 4. l. 1.

minium, & non magis convolare ad Sanctorum felicitatem, ad Angelorum societatem? Ibi vacabimus, & videbimus quàm dulcis sit Dominus, & quàm magna multitudo dulcedinis ejus. O beata visio, videre Deum in seipso, videre in nobis, & nos in eo, felici jucunditate, & jucundâ felicitate!

O vita, vita vitalis, vita sempiterna, & sempiternè beata; ubi gaudium sine mœrore, requies sine labore, dignitas sine tremore, opes sine amissione, sanitas sine languore, abundantia sine defectione, vita sine morte, perpetuitas sine corruptione, beatitudo sine calamitate! O bone JESV, *adjutor meus, protector meus, & spes mea, in domo Patris tui mansiones multæ sunt, & abiisti parare mihi locum; nunquid igitur, postquam desertum peregrinationis hujus peragravero dabis pervenire in regnum tuum: & facies ut permaneam in te, ô vitis vera, & bibam vinum novum in regno Patris tui? Advena sum & peregrinus; sed memento, quia apprehendisti me ab extremis terræ, & à longinquis vocasti me. Vtinam, utinam cùm fessus de viâ & vitâ hac venero ad te, audire merear, Servus meus es tu, elegi te, & non abjeci te: ne timeas, quia ego tecum sum; ne declines, quia ego Deus tuus: quando hoc erit? quando respicies me? & osculo pacis osculaberis? quando audiam illud: Veni, veni, coronaberis, & amaberis in æternum?*

l. 4. c. 4.

Ioan. 14.

Isaiæ 41.

Isaiæ 43.

Quando dices mihi: Ex quo honorabilis factus es in oculis meis, & gloriosus; ego dilexi te, ego sum, ego sum Dominus, & non est absque me Salvator. Tunc sitibundus & anhelus veniã ad te fontẽ aquarũ viventiũ, & spero potabis me; famelicus & satiabis me, ô panis vitæ, non esurient, neq; sitient, & nõ percutiet servos tuos æstus & sol, quia miserator eorũ reges eos, & ad fontes aquarum potabis eos; lugens veniam, & absterges lacrymã ab oculis meis; pauper ero, et dabis mihi diadema speciei; miser ero, et teipso beabis me; nudus, & indues vestimẽtis lætitiæ; desolatus, et cõsolaberis me: & jã nõ erit ampliùs luctus, neq; dolor, sed tristitia mea vertetur in gaudiũ, et videbo te, et deliciis affluã, et mirabitur, et dilatabitur cor meũ, & sciã quia tu es Dominus, super quo nõ confundẽtur qui expectant eũ. Exspecto Domine, & expeto ut ponas desertũ nostrũ in delicias, & solitudinem ejus quasi hortũ tuum.

Isaiæ 49.

Ego enim agricultura tua sum, ager tuus, ager primitiarũ habẽs irriguum superius gratiæ tuæ, imò situs secus decursus aquarum, quando toties venis ad me fons æternæ vitæ, ut flumina de ventre meo fluant aquarum viventium. Vtinam manducans te vivam saltem ex nunc propter te, & saturer de te, & expleas desiderium meum! Id verò est videre te, & satiari de te, & comedere panem in regno tuo, & ut ubi tu es, illic sit & indignissimus minister tuus. Credo, credo videre te, amantissime IESV, *& bona tua in terrâ viventium, & oblivisci omnis pressuræ vitæ hujus: gaudium enim & lætitia invenientur in ea, gratiarum actio, & vox laudis, & lætitia sempiterna super capita eorum. In te, Domine, speravi, te amavi & amo, ad te suspiro, ô bonitas, ô charitas, fac, quæso, misericordiam cum servulo tuo, ut non confundar in æternum. Amen.*

Praxis ad amorem cælestis patriæ concipiendum.

QVæcumque in hoc mundo bona vides, alia ac infinitè meliora te habiturum Dei benignitate confide; Secundò, quæcumque mala, iis omnibus te æternùm cariturum; Tertiò, si quæ tibi eripiantur, æterno thesauro per patientiam scias concludi: si quæ verò abneges, aut ex Dei amore largiaris, ea non solùm conservare te tibi persuadere debes, si te fidelem profitearis, sed centuplum tibi reddendum à Domino Deo tuo.

IACVLATORIÆ.

1. Cor. 2. *OCulus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus iis qui diligunt eum.*

2. Tim. 4. *Reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illâ die justus judex, non solùm autem mihi, sed & his qui diligunt adventum ejus.*

Psal. 26. *Credo, videre bona Domini in terra viventium.*

Iob. 19. *Rursum circumdabor pelle meâ, & in carne meâ videbo Deum Salvatorem meum.*

Brevia

Brevia sed utilissima Sanctorum documenta hunc in locum rejecta habe & fruere.

CVm anima quædam ab auctore lucis illuminata, propriam fragilitatem & miseriam, ignorantiam scilicet & propriam ad malum naturam recognosceret, aliquãtulumque Dei magnitudinem, sapientiam, (inquam) potentiam, bonitatem, cæterasque ipsius præstantiæ partes suspiceret; vidit quàm dignum & necessarium esset, ut idem perfectè coleretur & sanctè. Dignum, quia cùm Pater universorum & Dominus sit, omniaque ut suum ipsius nomen collaudent, & ad suam referantur gloriam; fecerit, congruum & æquum est, ut servus Dominum suum observans, ei serviat, & obsequio pateat. Necessarium, quia cùm ipse Deus, rationale animal spiritu, & corpore compositum, hac conditione condiderit, ut, si voluntariè usque ad mortem fidelem sibi præstiterit servitutẽ, ad vitam perveniat sempiternam; aliter felicitatem illam omni bonorum aggregatione cumulatam consequi nequit: perpaucos autem hoc adimplere, sicque perpaucos salvari, quòd ferè omnes quærant quæ sua sunt, non quæ Dei. Vidit præterea breves dies hominis esse, incertam horam, punctumq; quo id momentaneum promerendi tempus finiatur; in inferno verò nullam esse redemptionem, sed unumquemque in futura vita, immutabili & inevitabili sentẽtiâ, præmia pœnásve, prout in hoc suo vivendi genere sit emeritus, justâ consequi retributione. Vidit etiam multos multa dicere, & diversimodè multifariamque prædicare ac loqui de virtutibus quibus Deus fideli servitute colatur; rationalis autem creaturæ capacitatem modicam, intellectum hebetem, memoriam debilem, ut nequeat vel multa percipere, vel percepta fideliter continere, ac idcirco, licet multi studeant semper addiscere, quàm paucissimos tamen integritatis perfectionem attingere, Deo ut dignũ & necessarium esset, deservire, sed ferè omnes curis anxiosimẽtis agitationibus fluctuantes, extremo semper in periculo degere. Videns igitur hæc omnia anima illa, spiritu coram Domino exurgens, ardenti desiderio, ac vehementi affectu, ab ipsius majestate efflagitavit, ut succinctè & brevibus præcepta aliqua tradere vellet, quibus vita nostra sanctè instrui ac perfici posset, quæque vi sententiarum, prædicationum veritatẽ & universas cõplecterentur scripturas, quorũ observatione, & ipsa debitâ servitute coleretur, & ex hac brevi, mortali ac miserâ

Dignus Deus ut ei serviatur.

Necessariũ.

Vita incerta & mors.

Quæris cõpendium via ad perfectionem; Ecce.

vita, ad eam ad quam creaverat, felicitatē perveniremus. Deus itaque qui & sancta desideria inspirat, & eadem suscepta irrita non esse permittit, statim huic animæ in mentis excessu constitutæ affuit, hæc dicens: Dilecta mea placent mirum in modum hujuscemodi desideria tua, & adeò placent ut eis longè magis cupiam ipse satisfacere, quàm ipsa sibi cupiant satisfieri. Ingens namque meum optatum est, ea in vobis (volentibus vobis) beneficia conferre, quæ saluti vestræ utilia, cōmoda & necessaria sint, atque ideò tuum adimplere desiderium & te voti compotem efficere paratissimus sum. Quare attende & diligenter observa quæ tibi ipse ineffabilis & nunquam fallēs veritas dicturus sum, quoniam tuæ annuens petitioni breviter proponam, quid sit, quod summam perfectionem omnesque contineat virtutes, ac simul Scripturarum volumina, & multiplices complectatur prædicationes, ut si tuā ibi faciem speculata fueris, & te ad illud composueris, ac servandum formaveris, quidquid patet & latet in divinis sermonibus, adimpletura sis, & sempiternâ lætitiâ, & perpetuâ pace fruitura. Scias igitur servorum meorum salutem perfectionemque hoc uno constare, ut meam solius faciant voluntatem, atque eam summo semper studio adimplere nitātur, ut mihi uni obsequi, me unum observare, me unum attendere, omnibus vitæ suæ contendant momentis; quantoque diligentiùs in id incumbant, tanto perfectioni propiùs accedere, quoniam mihi qui sum summa perfectio, magis pressiusque adhærent, copulātur, junguntur. Vt autem planiùs hanc (licet ineffabilem) brevibus tamen traditam veritatem intelligas; respice in faciem Christi mei, in quo mihi benè complacui, Ipse namque exinanitus servili formâ assumptâ, factusq; in similitudinem carnis peccati est, ut vos cæcâ caligine obrutos, & à via veritatis aversos, suæ lucis splendore illuminans, ad rectum iter & verbo cōverteret & exemplo. Obediens fuit usque ad mortem, sic suâ perseveranti obedientiâ vos edocens, salutem vestram ex faciendæ solius voluntatis meæ stabili instituto pendere: nā si quis diligenti studio & consideratione, ipsius tum vitam, tum doctrinā meditari velit, perspiciet procul dubio, mortalium integritatem perfectionemque in nullâ re alia cōstare, quàm in jugi, perpetua ac fideli meæ voluntatis observatione. quod idem dux vester toties attestando repetit. Ait enim, Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum, sed omnis qui fecerit voluntatem Patris mei. Et attende quòd non frustra repetit bis, Domine, Domine, quoniam, cùm omnis transitoria cōditio ad duo universalia generare-

Compendiū perfectionis quod sit.

Perfectio in quo consistit.

Exemplum Christi Iesu.

Resignatio filii Dei.

ra reducatur, religiosum scilicet & sæculare; significare vult neminem, cujuscumq; conditionis sit, æternæ vitæ gloriam consecuturum, licet omnem mihi extrinsecus honorem exhibeat, nisi meam fecerit voluntatem. Item alio loco: Non veni facere voluntatem meam, sed ejus qui misit me Patris. Et iterum: Meus cibus est ut faciam voluntatem eius qui misit me. Item, Non mea voluntas sed tua fiat. Et, Sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio. Si vis ergo Salvatoris tui exemplū imitatura. meam facere voluntatem, quam constat esse bonum tuum, necesse est ut tuam omnibus in rebus prorsus cōtemnas facere voluntatem, illamque abneges & extinguas: quoniam quantò magis morieris in te, tantò magis vives in me; & quò purgatius ejicies quod tuum est, eò abundantiùs ipse reponā quod meum est. Postquam illa anima hæc veritatis saluberrima documenta percepit, tota lætabunda dixit: Pater & Deus meus, placent summopere, & plusquam explicare queam, quæ servulæ tuæ narrare dignatus es, & quàm magnas possum benignæ majestati tuæ gratias ago: quoniam quantum meâ rudi intelligentiâ consequi possum, non aliter est, quàm mihi per Salvatoris exemplum præclarè ac lucidè demonstrasti. Cùm enim tu summum & omne bonum sis, non volens iniquitatem, sed justitiam tantùm & honestatem, quidquid faciendum est, perago, si tuam voluntatem adimpleo; & eam impleo, si meam propter te abnego, quam tu minimè violare vis; quoniam mihi idcirco liberam tradidisti, ut ego sponte eam tibi subigendo, & tuam solius facere semper intendendo gratior tibi fiam, & majora apud te mea sint merita. Volo igitur, ac vehemēter desidero id adimplere quod præcipis: sed non planè scio, quibus rebus tua contineatur voluntas, quóve tibi fideli obsequio mancipari queam: si arrogans non sum, & mea temeritas tuâ non abutitur lenitate, supplex obsecro, ut juxta petitionem meam, id quoque me paucis doceas. At Dominus, Si paucis & collectim scire desideras voluntatem meam, ut eam integrè valeas adimplere, hæc mea voluntas est, ut summè & semper ames me, sicut præcepto mandavi vobis, ut toto corde, totâ animâ, & omnibus viribus vestris diligatis me, hujusque præcepti observatione tua perfectio continetur: quoniam finis præcepti charitas est, & plenitudo legis est dilectio. Anima ad hæc: Teneo voluntatem tuam, & perfectionem meam, in summo tui amore collocatam esse, ipsaq; te (ut par est) summo amore ac vehemēntissimâ dilectione prosequi vellem; sed quonam pacto id efficere possim aut debeā, satis mihi compertum non est. Quocirca orans expeto ut me hac quoq; in parte

Quæ sit voluntas Dei.

brevi-

Quid sit amare Deũ.

brevibus instruas. Tunc Deus. Audi igitur, & ad ea quæ dicã, totâ mentis attentione invigila. Si me perfectè amare vis, te tria hæc facere necesse est. Primò, ut voluntatem tuam ab omni amore affectuq; terreni & carnali prorsus amoveas, segreges, mundifices, ita ut in istâ vitâ nihil transitoriũ, nihil caducum, nihil tẽporale ames, nisi propter me, nec (quod magis & maximũ est) ames me propter me, aut te propter te, aut proximũ propter te, sed ames me propter me, te propter me, & proximum propter me. Quoniam divinus amor terreni affectus, aut alterius cujusuis amoris consortium pati nõ potest. Vnde quantum eum terrenarum rerum contagione infeceris, tantum & in mei amore peccabis, & de tuâ perfectione deperdes. Mentem quippe, ut munda & sancta sit, omnia quæ corpus sentit, fastidire necesse est. Effice igitur ne quidquam ex his quæ à bonitate mea vestros in usus profecta sunt, te à me amando impediat, sed omnia adjuuent, accendant, inflamment. Quoniam vobis illa creando concessi, ut bonitatis meæ largitatem latiùs ex ipsis dignoscentes, me abundantiore quoque amore prosequeremini. Perstes igitur appetitu lumbisque succincta, ac vigilanti custodiâ te semper observans, terrenis concupiscentiis, quas undecumque tibi mortalis vitæ miseria, & corrupta suggerit natura, alacriter resiste, ut cum Propheta meo dicere possis: Qui perfecit pedes meos, id est, affectus, qui animæ pedes sunt; tamquam cervorum, ad fugiendum canes, id est laqueos concupiscentiæ terrenarum rerum, super excelsa statuens me, id est, in contemplatione. Cùm hoc primum impleveris, ad secundum, quod etiam altioris perfectionis est, pervenire poteris, ut omnes cogitationes, actus & opera tua dirigas ad meum solummodo honorem & gloriam, semperque solius meæ laudis studiosissima, des operam, precibus, verbis & exemplis, & quomodo possis, ut non tu tantùm sic, sed alii omnes tecum pariter, & eodem modo affecti sint, utque universi me unum nôrint, ament, colant, hocque mihi magis placet, quàm primum, quoniam magis implet voluntatem meam. Tertium, quod reliquum est, si assecuta fueris, tibi nihil deesse, teque consummatam integritatem consecutam, scito. Illud autem hoc est, ut summo desiderio quæras, nitaris & studeas ad hanc pervenire mentis dispositionẽ, ut mihi ita conjuncta sis, tuaque meæ (quæ perfectissima est) ita similis sit conformisque voluntas, ut nolis, non solùm malum, sed & bonum quod ipse nolim; utque, eveniat quidquid velit, & undecumq; velit, in istius vitæ miseriâ, sive spiritualibus, sive temporalibus in rebus, minimè frangatur pax tua, turbetúrve quies

Intentio pura.

Conformitas cum voluntate divina.

quies mentis tuæ; sed inconcussâ fide semper teneas me Deum tuum omnipotentem magis amare te, quàm tu te ipsam, meq; tui diligentissimam habere curam, & multò diligentiorē quàm tu. Quantò magis si re mihi commiseris dederisque, tantò magis te adjuvans, tibi semper adero, & tu ipsa clariùs cognoscès, ac uberiùs senties circa te dulcissimam charitatē meam. Ad hanc autem perfectionem perveniri non potest nisi per stabilem, constantem ac absolutam propriæ voluntatis abnegationem: quam qui præstare negligit, simul hanc excellentissimam perfectionem negligit; qui verò libens præstat simul integerrimam voluntatem meam, integerrimè exequitur, mihique summè placet, & me secum habet: quoniam mihi gratius ac jucundius nihil est, quàm per gratiam vobiscum agere, & in vobis habitare, meæque sunt deliciæ cum filiis hominum esse, & ut volentes ipsi (nolo enim liberi jus arbitrii violare) à me in me, per gratiam, transformentur; ut sint unum mecū participatione perfectionis meæ, præcipueque pacis ac tranquillitatis meæ: Vt autem planiùs intelligas, quam ardenti desiderio cupiam vobiscum esse; utque magis accendaris ad subigendam mihi copulandamque meæ voluntatem tuam, vide & altâ mente considera, voluisse me, ut Vnigenitus meus incarnaretur, utque mea divinitas majestatis dignitate sepositâ, vestræ copularetur humanitati, ut tanto amoris ac charitatis exemplo, tantâ ineffabilis dilectionis demonstratione vos ad pariter conjungendam meæ voluntatem vestram, uniqué mihi jugiter adhærendum provocarem, allicerem, traherem. Voluisse præterea ut ille ipse dilectus filius meus tam horrēdam, immanem crudelemque crucis mortem subiret, ut suis tormentis vestrum peccatum tolleret. Peccatum, inquam, quod inter me & vos divisionem fecerat, & meam à vobis ita faciem averterat, ut nullo vos pacto possem respicere. Parasse insuper mensam maximi & parum agniti Sacramēti corporis ipsius & sanguinis, ut in cibum sumentes transformemini, muteminique in me, ac sicut panis & vinū quibus vescimini in substantiam transeunt corporalem, ita & vos manducantes ipsum qui mecum unum est, sub panis & vini specie, in substātiam spiritualem & in meipsum convertamini. & hoc illud est quod Augustino servo meo his verbis dixi: Cibus sum grandium, crescе & manducabis, nec tu me mutabis in te, sed tu mutaberis in me. Cùm audisset anima illa quænam esset Dei voluntas, & quemadmodum in eam implendam necessaria etiam erat perfecta charitas, perfectamq; charitatē propriæ voluntatis abnegatione constare, dixit: Significasti mihi Domine Deus meus volū-

Abnegatio sui necessaria.

Cur verbum sit incarnatum.

SS. Eucharistia bonæ.

tatem

tatem tuam, significasti Domine quòd si perfectè amavero te, nihil terrenum aut mortale, nec etiam meipsam amabo propter me; sed quidquid amabo, secundùm te & propter te amabo. Dixisti ut summo semper studio tuam solius laudem, honorem & gloriā velim perquirere, simulque operam dare, ut alii quoque idem nitantur facere: & ut quæcumque adversa mihi in hac miserâ adveniāt vitâ, ea compositâ mēte & æquo animo ac lætanti tolerare contendam. Nunc quoniam hæc per propriæ voluntatis abnegationem efficiēda sunt, doce, quæso, quonam pacto ad hanc pervenire abnegationem, ac tantam virtutem comparare & assequi queam: ut enim per tuæ doctrinæ lumen video, tantum in te vivo, quantum in me morior. Deus autem qui sancta nunquam frustratur desideria, sic intulit. Perfectâ tui abnegatione tuum omne bonū constare certum est, quoniam te tantum meâ gratiâ repleo, quantū te tuâ voluntate evacuas: & perfectionem tuam efficit participatio divinæ bonitatis meæ per gratiam, sine quâ humana creatura (quantum ad virtutem & dignitatem suam) nihil est. Ad hanc igitur si pervenire vis, tibi est in summâ humilitate perstandū, & ex verâ atque intimâ miseriæ & inopiæ tuæ cognitione id unum jugiter vehementerque affectandum, ut mihi soli pareas, meamque solius voluntatem observes. Quò autem id præstare queas, necesse est ut per mentis conceptum & animi existimationem tibi habitaculum circum undique concameratum ex solius meæ voluntatis materia construas, teque eo concludas & semper inhabites, ut quocumque eas numquam egrediaris; quocumque prospicias, numquam extrà aspicias, sed tuos mentis & corporis sensus mea semper circumstet voluntas, nec quidquā aliud loquaris, cogites aut efficias, nisi quod mihi placet, & meæ esse voluntatis credas, sicq; te quidquid agendum erit sanctus Spiritus edocebit. Aliā etiā viâ ad propriæ voluntatis abnegationem perveniri potest, si adsunt qui te secundùm me instruant regantque, his propriam subjiciendo voluntatem, te totam ac tua omnia his committendo, his parendo, & eorum semper sequendo consilia, quoniā qui fideles & prudentes servos meos audit, me audit. Sed ad hæc volo ut certâ fide, altâ mēte, ac frequenti cōsideratione mediteris me Deum tuum gloriosissimum, qui te ad beatitudinem perfruendam creavi, æternum esse, summum, omnipotentem, vobisque omnia quæ mihi placita sunt facere, nec esse qui vel tantillum meæ possit resistere voluntati, nec quidquā sine eādē voluntate meâ vobis accidere, nihil prorsus nisi me permittēte provenire, ut per Prophetam vobis enuntiavi, non esse malum in

Abnegatio simplicēda.

Conformitas cum voluntate Dei quomodo acquiratur.

Alius modus abnegandi per obedientiā.

Nihil fit sine voluntate Dei & cognitione.

lum in civitate quod non ipse fecerim, id est, permiserim. Mediteris pariter me Deũ tuum summæ esse sapientiæ, perfectissimæ cognitionis & intelligentiæ, omnia certâ ratione videntis & acutissimè penetrantis, ut ad cælum, terram, mũdum totum & universa gubernanda, nullâ possim ratione falli, nullo errore turbari. quòd si non ita esset, nec Deus essem, nec sapientissimus. Et ut tantillùm percipias vim hujus summæ sapientiæ meæ, scias de malo culpæ & pœnæ me longè majus bonum, quàm sit malum, elicere. Tertiò, velim consideres me eundem Deum tuum non minùs summè bonum esse, & vi amoris benevolentiæque & hac de causâ non posse, non nisi quæ bona sunt, utilia & salubria tibi & aliis velle, non posse à me aliquid malum provenire, nihil odisse, & hominem ut meâ bonitate creavi, ita per me semper inæstimabili dilectioni prosequi. His verò per firmã fidem mente ac meditatione collectis cognosces tribulationes, tẽtationes, difficultates, honores, infirmitates, & adversa omnia ob nullam aliam causam, me gubernãte provenire, nisi utilitatis & salutis vestræ gratiâ; ut per ea quæ videntur vobis mala à pravitate corrigamini, & ad virtutem, quâ itur ad verum & summum bonum vobis incognitũ perducamini. Cognosces præterea hoc fidei lumine perlustrata, me Deum tuum magis posse, scire, velle bonum tuum quã tu, teq; id nec posse, nec scire, nec velle absque gratiâ meâ. Id igitur cùm ita sit, danda tibi summo studio opera est, ut voluntatem tuam divinæ voluntati meæ prorsus subjicias, quoniam sic placidâ semper mẽte quiesces, & me semper tecum habebis (factus est enim in pace locus meus) nec erit tibi scãdalum peccati, hoc est offendiculum aliquod ad peccatum, nec per impatientiam, nec aliquo quovis modo: nam pax multa diligentibus nomen meum; & non est illis scandalum: tantum etenim amant legem meam, id est, meam voluntatem, meaque lex est quâ cuncta reguntur, tãtumque mihi per ipsam copulati sunt, & in ipsius delectantur observatione. ut eveniat quidquid velit, & undecumque velit, cujuscumque generis & æstimationis sit, nullâ re præter quàm culpâ quâ mihi fiat injuria perturbari queant. Prospiciunt namque claro & purgatissimo mentis oculo à me summo universi gubernatore, mirificâ sapientiâ, charitate & ordine cuncta administrante non nisi bona posse provenire, meque sibi ac rebus suis meliùs utiliusque prospicere quàm ipsimet per se sciant, possint ac velint, sicque omnibus in rebus quæ eveniant, quasque sustineant (utut sint) me auctorem & non proximum firmo considerãtes proposito, quadam invictâ & inexpugnabili patientiâ ita roborantur, ut non

Deus omnia ad salutem ordinat.

Deus melius nobis vult quàm nos ipsi.

Pax resignati.

Omnia Deo bona tribuit & mala accipit de manu ejus.

ut non solùm æquo animo, sed libenti ac gaudenti sustineant, degustantes in omnibus, sive intrinsecùs sive extrinsecùs accidant, meæ ineffabilis dulcedinem charitatis: quod est sentire de me in bonitate; in omnibus (inquam) tribulationibus difficultatibusque attendere, credere & læto animo gratoque meditari me disponere omnia suaviter, & ex profundo meæ dilectionis fonte cuncta provenire. Atque hujus ultimæ considerationis compositionisque sanctissimæ maximum bonum nil aliud corrumpit, impedit & perdit, quàm propria voluntas vestra & amor vestri, quæ si tollerentur à vobis, tolleretur & infernus vobis; tum ille qui maledictis æterno mentis & corporis tormento paratus est, tum ille quem in mortali vita multiplici agitatione animi ac vario curarum æstu, imò sustinetis errore. Igitur si vivere cupis, & in hoc labenti sæculo per gratiam, & in stabili sempiternoque per gloriam sac moriaris, temetipsam abnegans & propriam voluntatem deponens. Beati enim mortui qui in Domino moriuntur, & beati pauperes spiritu, quoniam tales me vident in peregrinatione per mutuum amorem, visuri deinde in patriâ per gloriam & honorem. Amen.

Propria voluntatis malitia.

Doctri-

Documenta, seu consilia saluberrima, in quibus se exercere debet, qui vult evadere laqueos diaboli, è tractatu S. Vincentij de vitâ spiritali deprompta.

QVi vult fugere atque evadere laqueos atque tentationes Antichristi, seu diaboli finales, debet habere in proprio sentimento sui, duo. Primò, quòd sentiat de seipso, sicut de uno corpore mortuo, pleno vermibus, & malè olenti, & sicut de uno cadavere, quod dedignatur videre & intueri, imò super quod claudit nares, propter ejus pessimum odorem & fœtorem, & à quo avertit faciem, ut non videat talem & tantam abominationem. Sic oportet, charissime, facere semper mihi, & tibi, sed plus mihi, quia tota vita mea fœtida est, totus fœtidus sum, & corpus meum, & anima mea, & omnia quæ intra me sunt, fæce & putredine peccatorum & iniquatatum fœtidissima & abominabilissima sunt. & quod deterius est, quotidie hunc fœtorem in me sentio recentiùs & angustiùs revocari. Et debet talem fœtorem de seipsâ sentire fidelis anima cum maxima verecundiâ coram Deo, sicut coram illo, qui omnia videt, & scit, sicut si esset coram districto judicio, & dolere maximè de offensa Dei, & perditione gratiæ animæ, in quâ erat, quando redempta fuit preciosissimo Christi sanguine, & abluta per Baptismum. Et sicut sibi & Deo fœtere se credit & sentit, sic etiam credat & sentiat: quòd non solùm coram Angelis, & sanctis animabus, sed etiam coram omnibus hominibus viventibus, sit abominabilis & fœtidus, & quia facta & dicta sua non solùm homines videre & audire dedignantur, sed quòd nares suas claudant, & avertant facies suas, ne ipsum videant, & tamquam fœtidum cadaver de medio eorum expellant, & sit ab eis aliena us & separatus & projectus, sicut plusquam leprosus, usquequo veniat & reveniat ad seipsum. Et si quis de eo justitiam faceret, & de corpore suo sentiat quod justum est, & ita credat, etiamsi sibi oculi eruerentur, nasus truncaretur, manus abscinderentur, & aures, & os, & sic de aliis sensibus corporalibus & membris, quia cum his omnibus Deum offendit & creatorem. Item quòd despici desideret, & contemni, & quòd omnia vituperia, verecundias, diffamationes, injurias, blasphemias, & cætera adversa, summo cum gaudio & lætitiâ recipiat, & patienter

Quid de te sentire debeas, vide.

Qualis debeas velle æstimati.

Humilitas & patientia perfecta.

Diffidentia sui.

tienter ferat. Et oportet quòd diffidas de teipso totaliter, & de omnibus bonis tuis, & de tota vita tua, & convertas te totum, & reclines super brachia IESV Christi pauperrimi & vilissimi, & improperati, despecti, & mortui propter te, usquequo tu sis mortuus in omnibus sentimentis tuis humanis, & IESVS Christus crucifixus vivat in corde tuo, & in tua anima, & totus transformatus & transfiguratus, cordialiter sit in te: ut nunquam videas, nec sentias, nec audias, nisi ipsum solum stantem in cruce propter te, mortuum & suspensum, ad exemplum Virginis Mariæ, mortuus in mundo, & vivens in fide: & quòd in illa fide vivat tota anima tua usque ad resurrectionem, in qua Dominus immittet gaudium spirituale, & donum Sancti Spiritus in anima tua, & in illis personis, in quibus debet renovari status Apostolorum, & Ecclesiæ sanctæ Dei, exercens te in sanctis orationibus sive sacris meditationibus & affectionibus ad obtinenda dona virtutum, & gratiam Dei.

Christus crucifixus semper sit in corde.

Septiformis affectus in Deum.

Sed debes præcipuè septiformi affectu exerceri ad Dominum, scilicet amore ardentissimo, timore summo, honore debito, zelo constantissimo, & illis debet adjungi gratiarum actio, & vox laudis, omnimodæ obedientiæ promptitudo, & suavitatis divinæ pro posse degustatio. Et ideò continuè debes ista septem devotè petere à Deo, utpote dicendo, bone IESV, fac ut totis medullis amem te, summè timeam, reverear, & pro omni honore tuo fortissimè zelari, ità quòd omne tuum opprobrium, tanquam tuæ gloriæ zelotypus vehementissimè exhorrescam, & potissimè, si in me, aut à me, vel pro me facta tibi sint opprobria ulla. Deinde da etiam ut te Dominum, tamquam tua creatura humiliter adorem & recognoscam, & de omnibus beneficiis à te mihi impensis, gratias semper agam, & hoc cum summâ gratitudine cordis. Da etiam ut in omnibus semper te benedicam, laudem & magnificem, & hoc cum summo jubilo & tripudio cordis, & tibi in omnibus obtemperans, & obediens, semper reficiar dulcissimâ tuâ & ineffabili suavitate, cum sanctis tuis Angelis & Apostolis tuæ mensæ assistens, licet omnino indignus & ingratus. Qui cum Patre, &c.

Septiformis affectus erga nosipsos.

Debet etiam circa seipsum exerceri alio septiformi affectu. Primò, scilicet quòd totus de suis vitiis & defectibus confundatur. Secundò, ut peccata sua tanquam offensiva, & sui ipsius maculativa acutissimo & acerbissimo dolore plangat & deploret. Tertiò; humiliatione sui, & conculcatione, cum contemptu, ut scilicet totis viribus se sicut rem vilissimam & fœtidissimam spernat, & contemni appetat

petat, ut dictum est. Quartò, rigore severissimo, ut scilicet corpus suum asperrimè maceret, & macerari appetat, tamquam peccato fœtidum, imò tamquam latrina & sentina, & tumulus omnium fœditatum. Quintò, irâ, implacabili contra omnia vitia sua, & contra radices & inclinationes vitiorum suorum. Sextò, vigore pervigili & strenuo, ut scilicet omnes sensus, actus, potentias suas, semper cum quâdam virilissimâ strenuitate, in omne bonum teneat pervigiles & attentos. Septimò, discretione perfectæ modestiæ seu moderantiæ, ut scilicet in omnibus districtissimè servet mensuram, & modum, videlicet inter nimium & non satis, ut scilicet nihil sit in eo superfluum, nihil diminutum aut defectivum, nec plusquam debet, aut minus quàm deceat. Debet etiam circa proximum se exercere alio septiformi affectu, Primò, scilicet per piam compassionem, ut scilicet ita sentiat aliorum mala & incommoda, sicut sua. Secundò, per dulcem congratulationem, ut scilicet de aliorum bonis lætetur sicut de suis. Tertiò, per tranquillam supportationem, & condonationem, ut scilicet molestias & injurias ab aliis illatas patienter toleret, & ex corde indulgeat & condonet. Quartò, per benignam affabilitatem, ut scilicet sit ad omnes benignus, & omnibus bonum affectet, & optet, & talem se exhibeat in gestibus suis & verbis. Quintò, per reverentiam humilem, scilicet, ut omnes sibi præferat, & omnes revereatur, & omnibus ex corde se subdat, tamquam dominis suis. Sextò, per concordiam unanimem, ut scilicet quantum in se est, & quantum secundum Deum potest esse, unum sentiat cum omnibus: & ita sentiat se esse omnes. & illos se, & omnium rectum velle, pro suo reputet; & è contrà. Septimò, per Christi formem sui pro omnibus oblationem, scilicet, ut ad instar Christi pro omnium salute sit paratus, & solicitus ponere vitam suam, & die, noctuque orare & laborare, quòd omnes in Christo invisceretur, & Christus in eis. Sed tamen, ne ex hoc credatur, quin vitia hominum sint pro toto posse cavenda & fugienda, sciendum, quòd quandocumque ex societate malorum hominum, vel imperfectorum, periculum imminet vel occasio retrahens vel impediens à perfectione, vel fervore prædictarum virtutum, debes à talibus, sicut à serpentibus, vel draconibus elongari. Non enim est carbo ita ignitus, quin in aquâ frigescat aut tepescat: sic è contrà, vix est carbo ita frigidus, quin acervo carborum ardentium accendatur. Aliàs ubi periculum hujusmodi non imminet, ex merâ simplicitate debes

Septiformis affectus circa proximum.

Consortium malũ fuge.

bes aliorum non videre defectus; aut si videas, per compassionem supportare ut tua. Vt autem utiliter ad temporalia, & æterna te habeas perfectè, scito, quod temporalia debes aspicere sub quadruplici sensu. Primò, scilicet ut tamquam peregrinus & advena sentias omnia ut extranea & aliena, in tantum, ut tua vestis tuo sit sensui ita extranea, ac si esset in Indiâ. Secundò, ut in tuo usu abundantiam timeas, ut venenum, & ut mare submergens. Tertiò, ut in tuo usu omnem inopiam & egestatem sentias, quia ipsa est scala per quam ascenditur ad cælestes divitias & æternas. Quartò ut societatem, contubernium & apparatum divitum & magnatum fugiens, non ex contemptu tantum de societate pauperum glorieris, & in memoria, & adspectu, atque conversatione pauperum & despectorum totus læteris, quasi expressâ imagine Christi, & eis quasi Regibus cum summâ alacritate, & jucunditate, & reverentiâ associeris.

Quomodo se anima ad temporalia habere debet.

Paupertatis & pauperũ amor.

Documenta ad perfectionem ex Divi Bernardi Formulâ honestæ vitæ.

Contemptus rerum humanarum. Resignatio.

SI plenè vis assequi quod intendis, duo sunt tibi necessaria; Primum est ut subtrahas te ab omnibus transitoriis rebus, & terrenis, ut nihil de eis cures, ac si non essent. Secundum, ut ita te des Deo, ut nihil dicas vel facias nisi quod credideris firmiter placere Deo. Primum autem assequeris hoc modo. Omnibus modis, quibus potes, te vilifica, te nihil reputando esse, sed credas omnes homines esse bonos & meliores te, magisque placere Deo: quæcumque audis, vel vides in Religiosis personis, puta bonâ intentione dici vel fieri, etiamsi contraria videantur: nam humana suspicio facilè fallitur. Nulli displiceas, nihil vnquam de te loquaris quod laudem importet, quantumcumque sit familiaris ille cum quo loqueris: imò plus labora cælare virtutes, quàm vitia. De nullo prorsus sinistrè loquaris (quantumcumque sit verum vel manifestum) nisi in confessione, & hoc, ubi non potes aliter manifestare peccatum tuum. Libentiùs accommoda aurem tuam, cùm aliquis laudatur, quàm cùm vituperatur. Cùm loqueris, verba tua sint rara, vera, ponderosa, & de Deo: si sæcularis loquitur tecum, & vana proponit, quàm citiùs potes succide sermonem, & transferas te ad ea quæ Dei sunt.

Laus propria fugienda. Detractio.

Sermo qualis sit oportet.

ſunt. Quidquid contingat tibi, vel alij, quantumcumque conjuncto, non cures, & ſi eſt adverſum, non triſteris; ſi eſt proſperum, non læteris: ſed totum nihil puta, & lauda Deum. Sollicitudinem adhibe, quantum maximè potes, ut utilitati tuæ ſedulus intendas. Fuge locutoria quantum potes: melius eſt enim ſilere, quàm loqui. Poſt Completorium non loquaris, quouſque finita ſit Miſſa ſequentis diei, niſi cau a maxima intervenerit. Cùm vides aliquid quod tibi diſplicet, vide ſi hoc eſt in te, & abſcinde; ſi verò vides aliquid quod tibi placet, vide ſi hoc eſt in te, & tene, ſi non eſt, adſume: & ſic erunt tibi omnia in ſpeculo. De nulla re murmures cũ aliquo, niſi credideris prodeſſe, quantumcũque ſit grave quod habes. Numquam pertinaciter aliquid affirmes, vel neges ſed ſint tuæ affirmationes & negationes, dubitationis ſale conditæ. A cachinnis ſemper abſtineas; rideas verò rarò, & cum paucis præſtes os tuum. Breviter in omnibus dictis tuis ſic te habeas, ut ſint ita; quæ dubia, dimittantur. Secundum aſſequeris hoc modo: orationibus cum magnâ devotione intendas, & eas dicere labora horis debitis, & quod offers in oratione reminiſcaris in corde, & ut ea quæ legis, confirmes, diligenter recogita & eorum imagineris ſtatum in quorum memoriâ hæc dixeris. Iſta tria ſemper in mente habeas: Quid fuiſti, quid es, quid eris. Quid fuiſti, quia ſperma fœtidum; quid es, quia vas ſtercorum; quid eris, quia eſca vermium. Similiter imagineris eorum pœnas, qui ſunt in inferno, & quòd numquam finientur, & pro quàm modicâ delectatione tanta mala patiuntur. Similiter imagineris gloriam Paradiſi, & quòd numquam finietur, & quàm breviter & citò acquiritur: & quantus luctus & dolor poterit eſſe illis, qui pro parvâ re tantam gloriam amiſerint. Cùm habes aliquid quod tibi diſplicet, vel times habere, cogita quòd ſi tu eſſes in inferno, & illud, & quidquid nolles haberes. & cũ habeas aliquid quod tibi placet, vel optas habere, cogita quòd ſi tu eſſes in Paradiſo, haberes illud & quidquid velles; ſi autem in inferno eſſes, nec illud, nec aliud, quod velles haberes. Quandocumque eſt feſtum alicujus Sãcti, cogita de illo quanta ſuſtinuit propter Deum, quia brevia; & qualia adeptus eſt, quia æterna. Similiter cogita quia tranſeũt bonorũ tormenta, malorũ gaudia. hi cũ iſtis tormentis adepti ſunt gloriam æternã, & iſti ex indebitis gaudiis æternam pœnam. Quandocumq; te vincit acedia, accipias hoc ſcriptũ & imagineris hæc omnia diligẽter: & cogita de tẽpore quod ſic perdis, quòd illi qui in inferno ſunt, darent totum mundum (ſi haberent) pro eo. Cùm habes aliquas tribulationes; cogi-

Reſignatio

Ex obviis quid colligendum.

Orationi inſtandum.

Humilitatis exercitium.

In adverſis quid cogitandum.

Hoc ſcriptũ legendum crebrò.

ta quòd illi qui sunt in paradiso, carent eis: similiter cùm habes aliquas consolationes, cogita illos de inferno carere eis. Omni die cùm vadis cubitum examina diligenter quid cogitasti, & quid dixisti in die, & quomodo utile tempus, & spatium quod datum est ad acquirendam vitam æternam, dispensasti: & si benè transivisti, lauda Deum, si malè, vel negligenter, lugeas, & sequenti die non differas confiteri. Si aliquid cogitasti, dixisti, vel fecisti, quod tuam conscientiam multùm remordeat, non comedas antequam confitearis. Istud in fine pono, ut imagineris duas civitates, unam plenam omnibus tormentis, quæ est infernus; alteram plenam omni consolatione, quæ est paradisus; & ad unam illarum oportet te currere. Vide quid te possit trahere ad malum, vel impedire à bono credo, quòd nihil invenies. Certus sum, quòd, si benè servaveris ea, quæ sunt hic, Spiritus sanctus habitabit in te, & perfectè docebit te facere omnia. Ergo bene serves ista, & nihil negligas, & lege ea in septimanâ bis, scilicet in die Mercurij, & in die Sabbati, & ut inveneris te fecisse quod scriptum est; lauda Deum; qui est pius & misericors in sæcula sæculorum. Amen.

Examen.

Duæ civitates ad quas homines tendunt.

Epistola cohortatoria Sancti Thomæ ad quemdam, in quâ proponit idoneum modum salubriter acquirendi scientiam, sive humanam, sive divinam.

QVIA quæsisti à me, in Christo mihi clarissime, qualiter te studere oporteat in thesauro scientiæ acquirendo; tale à me tibi super hoc traditur consilium, ut per rivulos non statim in mare eligas introire, quia per faciliora ad difficiliora oportet devenire. Hæc est ergo monitio mea, & instructio tua. Tardiloquum te esse jubeo, & tardè ad locutorium adscendentem: conscientiæ puritatem amplectere, orationi vacare non desinas: cellam frequenter diligas, si vis in cellam vinariam introduci. Omnibus te amabilem exhibe, nihil quære penitus de factis aliorum, nemini te multum familiarem ostendas: quia nimia familiaritas parit contemptum, & subtractionis à studio materiam subministrat. De verbis & factis sæcularium nullatenus te intromittas. Discursus super omnia fugias. Sanctorum & bonorum imitari vestigia

Custodia oris, &c.

gia non omittas: non respicias à quo audias, sed quidquid boni dicatur memoriæ recommenda. Ea quæ agis & audis, fac ut intelligas, de dubiis te certifices; & quidquid poteris in armariolo mentis reponere satage, sicut cupiens vas implere. Altiora te ne quæsieris. Illa sequens vestigia, frondes & fructus in vineam Domini Sabbaoth utiles, quamdiu vitam vixeris, proferes ac produces. Hæc si sectatus fueris, ad id attingere poteris, quod affectas.

EPILOGVS OPERIS ET ORATIO AD B. VIRGINEM MARIAM.

E Mensus sum, ô stella maris, Beatissima Mater, hanc triplicem Viam, nō meis viribus; sed tuo unius post Deum præsidio, te prælucente quasi ad portum appuli, sed stylo, non vitâ; non facti spatio, sed voto ac desiderio. Hoc verò ne inane sit, ne, cùm aliis prædicavero, ac viam ostendero, ipse reprobus efficiar, obsecro te, ut efficiat per te Christus IESVS, *via vitæ, & veritas, & vita: non solùm autem in me, sed in omnibus qui hæc legerint, & oculos ad te suos exules filii Evæ levarint. Et verò quò eos levare, quò se possunt convertere tempestate jactati nisi ad te, quæ es portus omnium in te sperantium! quo luctantes cum contrariis tentationum ventis in nocte tristitiæ, nisi ad te, quæ es stella matutina & aurora consurgens? quò peregrini & advenæ, nisi ad te, ô janua cæli: ut per te in terram promissionis, in patriam, ad quam vocati sumus cælestem perveniant, & hauriant salutem à Domino. Accipe, precor, hæc vota mea, & omnium qui ad te suspirant, accipe, quod Dominus hîc per me operari dignatus est; tibi enim ea accepta fero atque offero, ut per* viam *istam & veritatem quotquot ambulamus, perveniamus ad* vitam æternam, IESVM *Christum filium tuum. Amen.*

FINIS.

Quibus ante orationem, meditationem, lectionem piam, & in illis & post ea fructuosè uti potes quoties in illis ad virtutis alicujus amorem, vel vitii detestationem moneri vel moveri te senties.

Oratio præparatoria, cuivis orationi longiori, vel meditationi Communis.

O Rex regum, & Domine dominantium, qui ubique es, & contemplaris in omni loco bonos & malos, & scrutaris cor & renes; Ecce fide vivâ & fiduciâ magnâ (dixisti enim: quidquid petieritis fiet vobis) accedo ad thronum gloriæ tuæ, ut reus ad Iudicem, filius pauper & prodigus ad Patrē, & quâ possum charitate ad te quem diligit anima mea: ut uni tibi placeam, & vitam seriò corrigam, maximè defectum illum N. ut offeram tibi sacrificium laudis ex toto corde meo, & cùm omni desiderio omnis creaturæ, quæ fuit, est, eritque & esse potest, etiamsi infiniti mundi potentiâ tuâ crearentur: idque in unione amoris & meritorum Christi Iesv, & B. Virginis, & Sanctorum omnium.

Præsentia Dei.

Actus fidei, spei & charitatis.

Propositum vitæ novæ.

Scilicet quē examine particulari persequeris.

Exercitium fidei & virtutum aliarum in oratione.

HÆccine vera sunt? Hæccine vivâ fide credo? & quasi crederem, sic vivo piè, & ut statui ordinatè? sic cogito, loquor, & operor velut ambulans coram te? sic honorē, opes, & vitæ hujus blandimenta, ut tu & sancti fecerunt, contemno? & adversa hæc, & illa, atque aspera tolero? & omnes, maximè inimicos sincerè, & opere diligo? & utor hoc vitæ, seu mercatus tempore? cùm impendeat etiā fortè hac horâ mihi à momento æternitas? ita N. ardentissimè desidero pro majori tuâ gloriâ. Et si quidem vires me volentem deficiant, nónne tu adstas mihi, & in te spero, ô spes mea, & te amo, ô infinita bonitas, hic mihi præsentissima! Credo Domine, adjuva incredulitatem meam, spero in te solo, & sciò, non confundar, & te solùm quæro. Extra te enim vanitas vanitatū, & omnia vanitas. Et sicut amore tui super omnia doleo, quod offenderim te ullo pacto; & nominatim hoc defectu N. ita toto corde amo te, super omnia. Et an aliquid N. ultrà me separare poterit à te? ô Iesv, ô vita, ô amabilissima charitas! ô omne bonum Deus meus, Deus cordis mei & omnia! Vtinam te diligam super omnia, te unum quæram, nec dimittam in æternum. Amen.

Actus fidei, spei, amoris.

Actus contritionis.

Abnegatio sui.

Aliud exercitium in oratione.

Actus fidei. CRedo tibi, ô æterna veritas, quæ mihi iudicia tua aperire dignata es; credo, ô majestas infinita, te hic & in corde meo, & ubique esse per essentiam, præsentiam & potentiam: in te ergo ego & omnia ut in mari spongia, & tu in omnibus, & nobis es omnia, & circa nos omnia. velut lumen, aër, nebula, ignis; & in me omnia, & in omnibus operaris propter me, & in corde meo velut throno & templo tuo, requiescis; quare in te solo confido, & spero desiderata obtinere N. quia toties, ô veritas, dare per filium tuum postulata promisisti, ideoque & omnia tibi committo, ac diligo te ex toto corde meo, & omnes propter te, & desidero pro innumeris beneficiis N. & vitæ mysteriis N. & peccatis meis, quæ detestor, & quia dignissimus es, offerre tibi omni affectu possibili hoc sacrificium cordis mei, & bonæ voluntatis N. ultimum fortè coram curiâ tuâ, & cum eâ, & pro omni creaturâ tuâ. Da mihi, benignissime IESV, à te vocato ad hoc gratiam, & suscipe in unione omnium meritorum tuorum me, & omnia mea, & hoc propositum meum N. Amen.

Præsentia Dei.

Resignatio.

Actus charitatis.

Oblatio sui.

Aliud per aspirationes.

Aspirationes viæ purgativæ.

Hæccine firma fide credo? & hoc à me postulat bonitas tua? certè sagittæ tuæ infixæ sunt mihi, Deus, vivifica me, & deduc in semitam mandatorum tuorum.

Psal. 37.

Actus timoris Domini.

O Pater amantissime, peccavi in cœlum & coram te, *nempe non sequendo virtutem illam N* & jam non sum dignus vocari filius tuus: sed doleo ex amore tui: itaque fac me, benignissime IESV, sicut unum ex mercenariis tuis. Et quæ merces mea? tu es, bone IESV, & verè magna nimis.

Lucæ 15.

Contritionis.

Psal. 118.

Ampliùs lava me, bone IESV, ab hac N. iniquitate meâ, *nempe contraria virtuti præpositæ*, & à peccato meo munda me, qui sic dilexisti me, & lavisti me in sanguine tuo.

Psal. 50.

Detestatio peccati.

Sana me, Domine & sanabor, salvum me fac, ô IESV, & salvus ero, & dum inveniri potes, quæram te in toto corde meo, utinam inveniam te.

Isaiæ 55.

Actus fiduciæ in Deum:

Quæ utilitas in sanguine meo, dum descendo in corruptionem! igitur nè elongeris à me, Deus meus in auxilium meum respice.

Psal. 29.

Psal. 70.

Adjutor meus esto, ne derelinquas me, neque despicias me, Deus salutaris meus.

Psal. 26.

Contemptus sæculi.

Eheu sapientia æterna! quam mendaces filii hominum instateris, ut decipiant ipsi de vanitate in idipsum! abrenuntio illi N. & omni quod retrahit à te, & adhæreo tibi Deus meus, *Sola enim vanitas retrahit à virtute.*

Averte

Averte oculos meos, ô veritas, ne videant vanitatem, & deprædentur, & rapiant animam meam, & non sit qui eripiat, ad te enim, ad te levavi oculos meos. *Custodia cordis.*

O quàm doleo & quàm amarum est sic dereliquisse te, ô dulcedo ineffabilis, *scilicet per peccatum virtuti propositæ contrarium.* Domine Deus meus, omne bonum, qui sic vivens, & moriens, dulcedinem tuam in filios demonstrasti. *Contritio.*

Quid respondebo tibi sic monitus, & toties doctus à te, N. ô sapientia æterna, ô Judex supreme, cùm scrutaberis cor meũ in lucernis, & veneris judicare sæculum per ignem? *Actus timoris.*

O via vitæ, ô lux mea, quis mihi tribuat ut ambulem dum te lumen habeo, & tenebræ me nõ comprehendant, & juxta præsens monitum N. curram in viam mandatorum tuorum? ut comprehendam te sicut comprehensus sum? *Aspirationes viæ illuminativæ.*

O omne bonum, quando satiabis me gratiâ & charitate tua, & cognoscam te quòd tu sis mihi omnia, quodque verè extra te, & fumus, & umbra & vanitas, & nihil sint omnia? *Propositum pium obedientiæ.*

O Sapientia æterna, ergo non credam tibi, ô veritas, sic amãtissimè loquenti ad me? ut sequar te N. quocunque ieris, ô lux mea, illuminatio mea, & salus mea? credo, credo, adjuva incredulitatem meam. *Contemptus sæculi. Actus fidei & imitationis* IESV.

O Domine, quid mihi, qui nihil sum & nihilo pejus, quid mihi est in cælo, & à te quid volui super terram? quo minus sequar te. Tu enim pars hæreditatis meæ, & calicis mei; quid Domine? Deus meus es, verè Deus cordis mei & omnia. *Psal. 26. Psal. 72. Actus spei & amoris.*

Magister bone IESV bone, doce me facere volũtatem tuam, quia Deus meus es tu, & cùm in manibus tuis sortes meæ, mors & vita sempiterna, ô IESV esto mihi IESVS. *Psal. 142. Actus spei.*

Orere, obsecro mihi, sol justitiæ, & inclinentur hæ umbræ vanitatis meæ ut ne atomus quidem separet me à te omni bono, aut obumbret mihi. O lux mundi, jam hiems transiit, imber abiit, & recessit, fac ô sol justitiæ, ut appareant flores virtutum in terrâ nostrâ, & tu maximè flos campi, & lilium convallium in medio cordis mei. *Contritio perfecta. Desiderium virtutum.*

O quàm suavis est, Domine, spiritus tuus, & quàm dulcia faucibus meis hæc eloquia tua super mel & favum! *Suavitas legis Dei.*

O quàm multa pax diligentibus legem tuam princeps pacis! da mihi obsecro sequi sic vestigia N. pedum tuorum quos millies exosculor & cum Magdalenã lavo lacrymis meis. *Pax ejusdem & imitatio Christi.*

O utinam velut sancti tui currebant in viam mandatorum, sic ego ad te ô meum bravium & suavissimos amplexus tuos: quando hoc erit? *Imitatio Sanctorum.*

O charitas Deus meus Christe IESV, quis mihi tribuat, ut Adspiratio

viæ unitivæ. perfectè amem te unum sicut desiderat anima tua, & ego nihil desiderem extra te, & oderim me.

Actus amoris. O spes mea, & sola requies mea, & centrum, & portus, & omnia, quando sustolles me super altitudinem terræ, & requiescet cor meum in te? ut gustem & videam quàm suavis sis diligentibus te.

In quo quies animæ. *Psal. 33.* O hospes dulcissime animæ meæ, ô thesaure abscondite, quando te inveniam? quando te videbo & amplectar, ut ubi est thesaurus meus, ibi sit totum cor meum, unum tecum.

Amicitiæ. *Dei suavitas.* *Prov. 8.* O IESV, si deliciæ tuæ sint esse cum filiis hominum, obsecro te, sint etiam tuæ esse mecum: paratum enim cor meum amare te, paratum cor meum, tu scis facere omnes voluntates tuas.

Resignatio. *Psal. 56.* Patribus meis conglutinatus es, Domine, fac obsecro me unum tecum sicut tu & Pater unum estis da unum velle, unum nolle tecum, & sufficit mihi.

Vnio cum Deo. *Deut. 10.* Quis mihi det ut faciam omnes voluntates tuas & gustem quàm suavis sis, Domine, & amarescat omne quod tu non es.

Obedientia perfecta. Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quàm abscondisti timentibus te? quanta ergo, quanta diligentibus te? verum quid quæro multa? unum est necessarium, unum bonum, ô omne bonum quod tu es.

Actus spei. Cur jam vivo, & cui vivo, ô vita mea, si non vti cupis sic N. vivo, & soli tibi, qui pro me mortuus es, & crucifixus? & tot benedictionibus me prævenis.

Actus gratitudinis & rectæ intentionis. Eheu, quid videmus hic miseri? N. vana omnia extra te: te verò te per speculum in ænigmate, ô quando dabitur facie ad faciem, & satiabis me cum vultu tuo!

Aspiratio ad Deum. Fecisti me, Domine, ad te: & cur? ut amem te; & inquietum est cor nostrum, donec, requiescat in te, ideò super omnia diligo te propter te; ex toto corde meo, & ex totâ anima mea, ex tota mente mea, ex totis viribus meis, in æternum, in æternum. Amen.

Actus charitatis.

Oratio post Orationem longiorem.

Gratiarum actio. DOmine Deus meus, qui custodis pactum, & misericordiam servis tuis, gratias tibi ago, quia dignatus es audire deprecationē meam; exaudi, quæso, eam propter gloriam nominis tui, & da mihi gratiam (sine qua nihil possumus) ut voluntatem tuam, quàm cognovi, & defectus meos N. de quibus vehementer doleo, emendare ac pia desideria ista N. perficere possum, ut magnificetur nomen tuum usque in sempiternum. Suscipe illa; obsecro, & opera mea in unione meritorum

Diffidentia sui. *Propositorū iteratio.*

tum filii tui, & omnium Sanctorum tuorum: dispone de me vilissimâ creaturâ tuâ secundùm beneplacitum tuum. Resigno me, & rejicio totum in te, omniaque accepto à paternâ manu tuâ, ac toto corde te diligere & tibi servire desidero, Amen. *Oblatio sui.*

Nota quoties N. ponitur indicari, secundùm subjectam materiam oportunum ibi esse, aut beneficia Dei, aut vitæ Christi mysteria, aut defectus tuos, aut pia desideria, aut illa quibus indebitè adhæres, considerare.

Oratio pro executione bonorum desideriorum tum in oratione, tum inter legendum praxes, aut historias sacras, aut exempla alicujus virtutis iteranda crebrò & attentè.

DIgnatus es, amantissime magister JESV, in sudore vultus tui, exemplo & sanguine tuo signare doctrinam istam N. sis benedictus in æternum. Dignatus es has praxes faciles (mandata enim tua gravia non sunt) mihi proponere, ut sequar tua tuorumque vestigia. Itaque cùm possim per te, propter te volo ut placeam tibi, dolens de omnibus peccatis meis: sis benedictus in æternum. Visitasti terram & inebriasti eam imbre & rore gratiæ tuæ, da obsecro incrementum semini sancto tuo, ut sis à me benedictus toto affectu in æternum. Si enim hæc sciente me, gratia tua in me vacua sit, quid erit quod moriens, quod in judicio, tibi, & charitati, & immensæ bonitati tuæ, vel ad tot exempla respondeam? Da igitur velle & perficere, & amare te, amantissime IESV, & vivere tibi ò vita nostra in æternum, in æternum. Amen. Amen.

Alia brevior.

HAnc doctrinam N. & occasionē ejus ab æterno mihi destinasti ex summo amore ô JESV, ut eâ uterer. Credo tibi ô Sapientia æterna, suadenti, & sequi te cupio in te uno sperans, cum nihil possim sine te. Et nónne tot dona, tot promissa, & super omnia charitas tua à me id impetrabit; Cupio gratiâ tuâ facere ut alteri suaderem N. ut in morte, & judicio, ac æternitate, & tu, & omnes Sancti, & ego me fecisse optabo.

Alia.

HÆc scio, & fateor gratiâ tuâ, si volo, faciendo beatus esse possum hîc & æternùm. Volo igitur, credo in te, in te spero, & toto corde te diligo.

Exer-

Exercitium Complectens Meditandi modum, varioſque affectus, & virtutum Præcipuarum actus.

Præſentia Dei.

Humiliatio ſui.

Actus Contritionis & Amoris.

Petitio.

Diffidentia ſui et Confidentia in Deo.

Virtutem ſuadet.
Ratio.
Sapientes.
Natura rerum.
Mors.
Iudicium.
AEternitas.
Exempla Sanctorum.
Pax animæ.
Gaudium de virtute.
Chriſti exemplũ & Scripturæ adhortatio.
Actus fidei.
Actus Martyrii.
Admiratio.
Beneficia Dei.
Invitant ad virtutem.
zelus & Compaſsio erga Chriſtum.
Actus amoris Dei.

Proximi.
Inimici.
In proximo agnoſcere Chriſtum.
Oratio pro proximo.

Communicatio cum Deo.

O Deus, qui præſentiſſimus & intimus hic mihi & omni creaturæ es: ecce ego adſto coram te & curiâ tuâ, reus & inops à virtutibus N. N. quas merito à me exigis: verumtamen uti ſpero & cupio, toto corde amo te: Ignoſce obſecro amanter dolenti quod minus quàm debeo, amârim, quodq; tot gratijs ac donis tuis (pro quibus tibi cum omnibus Angelis, & Sanctis tuis, ac creaturis humillimè gratias ago) tot de perfectione, & virtute hac N. mandatis ac conſilijs non reſponderim. Da mihi bone IESV *jam id facere: credo enim & ſcio hoc à ſola tuâ gratiâ, uti & omne donum, non ab induſtriâ noſtrâ manare: Verè enim dixiſti: Sine me nihil poteſtis facere. Da igitur & indue me hoc affectu, & virtute N. ex alto: hanc enim mihi etiam ipſa ratio, & utilitas, ſic N. ſuadet, imò & ſapientum mundi facta N. & dicta, atque adeò in naturâ rerum velut imagine & ſimilitudine eam depingis: Mors inſtans ſtimulat, & judicium irrevocabile, & æternitas interminabilis. Exemplo ſuo & doctrina ſic ad eam nos provocant Sancti, & pax quæ exſuperat omnem ſenſum, & gaudium in Spiritu Sancto, ſed inſuper ô amantiſſime* IESV, *ad eam nos invitas potentiſſimo exemplo tuo N & Scripturâ tuâ N. ô æterna Veritas hortaris. Huic, & Eccleſiæ cum certâ fide credam paratus eam vitâ & ſanguine ex amore tuo etiam hac horâ obſignare, qui fieri poteſt, ut perinde ac ſi nænia forẽt, tepidus permaneas? Deus bone quomodo ſaltem innumera beneficia, non me compellent? Quomodò non ſuper omnia bonitas tua, Deus meus? Vtinam ego ſaltem, cùm totus ferè mundus in maligno poſitus, vitæ & paſſioni tuæ, ô Chriſte* IESV, *injurius ſit, tibi vitâ Sanctâ ſolatio forem, ego quem tot benedictionibus dulcedinis immerentẽ prævenis: Deus bone hæccinè ſcio & credo, & ſpero, & te amo ac torpeo? O Domine adauge nobis fidem, ſpem, & ſuper omnia tui amorẽ. Diligo quidẽ te toto corde meo, ſed multo ardentiùs deſidero & affectu omnis creaturæ quantũ licet, quantũ poſſum: Proximũ verò amo non verbo, ſed opere, & ſincerè, ut meipsũ propter te, maximè alienos àme, quibus omnia ex nunc dimitto, ſicut tu omne debitũ dimiſiſti mihi, & te in eis agnoſco, cupioq; tibi in eis omnia facere, quos & omnes, maximè quibus debeo, & uti debeo, commendo infinitæ bonitati tuæ, ſimul & animas defunctorum. Vnũ autem peto à te Domine & requiro, ſuſcipe me totũ, & da mihi te ipſum & præſentiam tuam, ſimul & providentiã in his N. N. & in omnibus ſem-*

per

per agnoscere & laudare, illiq; non alteri præterita NN. præsentia NN. & futura NN. seu bona seu mala juxta legem tuam tribuere: ac proinde de nullo queri vel dolere. Da stare inter adversa NN. securũ & absque terrore: quorsum enim timeo cum in pondere, numero, & mensura, à te Deo meo, Patre, medico, & duce optimo ac præsentissimo pro æternâ Sapientia & bonitate sint ordinata. Da stare in te erectum; neque spe creaturæ inniti, quàm doleã se subtrahere; abnegavi enim, & abnego omnem, & omnia propter te quæ sperare potest homo aut optare. Da mihi ut neque gaudio trahar, aut exemplo vel respectu hominum ad ulla mundi bona incliner. Habeo enim hic ea omnia in te fonte omnis boni, & vera (cùm illa picta sint & falsa) & sintera (cùm illa felle & veneno mixta) & ultra parata, cùm illa ægrè acquirantur, nec momento securè & absque amaritudine possideantur. Habeo ea quidem in te ubique, at maximè in Ven. Eucharistiâ, ad quàm velut fontem aquæ vivæ sitivit, & sitit anima mea. Da mihi de tam præclaro calice bibere, & illo inebriari ab ubertate domus tuæ, & cibo Angelorum satiari: sic enim spe plenus obtinendæ gratiæ tuæ, & salutis meæ quàm supplex per vitam & mortem Christi Iesu peto (dixisti enim Petite & accipietis) ambulabo coram te corde tranquillo & perfecto, nihilque sperans aut timens sic N. semper de te cogitabo, sic loquar N. tecum vel de te crebro, amanter & pie. sic actiones NN. ad te dirigam, & operabor hoc velut ultimo die immò horâ salutem meam: donec, donec aspiret illa: quando hoc erit? donec, donec aspiret illa dies, & inclinentur umbræ, donec quod arden ter exopto & sincerè, uti nosti, desidero, te videam, te perfectè amem, & complectar te unum: sim tecum & liquescam in te, donec sis mihi omnia in omnibus, Deus cordis mei & omnia. Amen.

Omnia accipere de manu Dei ac de nullo queri.

Animi ad adversa præparatio.

Spei & omnium affectuum in Deum cõversio.

Contemptus rerum humanarum.

Applicatio ad S. Communionẽ, Ordinatio actionum.

Aliud exercitium in oratione fidei.

O Veritas, ô bonitas, credo tibi hic & ubique mihi præsentissimæ, & hæc N. & quæcumq; scripta, facta & dicta sunt ad meam esse instructionem, & certissimè profiteor coram curiâ tua, neque esse, quod excusem nisi credam illa, & opere id ostendam per gratiam tuam. Tu potentissimus & sapientissimus, & optimus, & ego non credam tibi, & hæc N testimonia voluntatis tuæ non amplectar? verè credibilia mihi & amabilia facta sunt nimis, sivè rationem N. & sapientes N. sive rerum naturam inspiciam & audiam Vtinam te audissem semper, ô omne bonum, & numquam te offendissem. Vtinam vita mea te honorassem, & ex patientia mea ostendissem fidem meam! Verùm ex nunc in æternum credam & diligam te opere & veritate N. fac de me quod tibi visum in æternum: ego gratia tua cùm scivero voluntatem tuam faciam ex intimo tui amore & quæcumque revelasti pro salute

Dei mandata credibilia.

Resignatio

salute mea, amplectar, & omnes voluntates tuas, ô vita mea & omne bonum meum. Amen.

Exercitium Spei.

Humiliatio sui.

Tu scis Deus meus, tu scis quòd non sumus sufficientes aliquid facere ex nobis uti hoc N. tãquam ex nobis, Itaque ego pulvis & cinis ad te confugio, uti per te, & patientiam & consolationem scripturarum spem habeam, & in te sperans non confundar. Tunè enim, ô bonitas, sic N. me vocas, & repellere poteris; sic invitas & trahis ad te, & deficere sines in viâ? In te Domine sperans, scio non infirmabor in æternum, etsi inveniam in membris meis legem repugnantem legi mentis meæ, neque dignus sim gratiâ tua. Sed qui dedisti mihi corpus & sanguinem tuum in precium; & te hodie paratus es dare in pignus salutis, & qui tot beneficiis N. prævenisti me, & petere toties jussisti, & dare promisisti, ô bonitas! ô veritas! dabis utique mihi quod petam, ut toto corde sperem in te. & quamvis occideres me, ô spes & vita mea in te sperabo; etsi consurgerent in me castra mundi hujus & vanitatis, & reclamarent, portio mihi tamen erit, sic N. custodire legem tuam; & te sequi: quo enim ibimus à te bone IESV, *nonne verba vitæ æternæ habes?*

Beneficia Dei & promissa spem excitant.

Exercitium Charitatis.

O charitas Deus meus da mihi intellectum, & discam mandata tua, sive per epistolam, sive per creaturam loquaris ad cor meum. Quidquid enim ad salutem disco, tu præsentissimus mihi, me ex infinito amore doces: O salus mea & medicina animæ meæ. Et quanto, quanto id amore doces me, qui nihilum sum ante te! tûne bonorum meorum eges, ut tam spontaneo amore tot me bonis & charitate tuâ prævenias? Sic enim pater æterne dilexisti mundum, ut filium tuum unigenitum dares Sic tu benignissime IESV *fili Dei, ut pro me in mortem dederis preciosam animam tuam, & gravia mihi queant esse mandata & consilia tua? Diligam ergo hæc N. & te Deus fortitudo mea, ô quàm tibi adhærere mihi bonum est! Quid ergo me separare poterit à charitate tua? tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius? fortis enim ut mors dilectio tua, & aquæ multæ spero non poterunt extinguere charitatem, id est ignem quem venisti mittere in terram, & vis vehementer accendi.*

Deus nos docet ex amore.

Magnitudo amoris Dei.

Rom. 8.

Resignatio.

Cant. 8.

FINIS.